Hi 9580

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM
ANNO M DCC

publicata.

Cum S. Cæſareæ & Regiæ Polonicæ Majeſtatum privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes & JOH. THOM. FRITSCHIUM.

Typis JOHANNIS GEORGII.
A. M. DCC.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Januarii, *Anno* M DCC.

DISSERTATION PRELIMINAIRE, OU PROLEGOMENES SUR la Bible &c. par Meſſire LOUIS ELLIES DU PIN *&c.*
Tom. I.

i. e.

PRÆFATIO AD BIBLIA SACRA, AUCTORE LUDOVICO ELLIES DU PIN, S. Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctore, ac Philoſophiæ Profeſſore Regio.

Pariſiis apud Andr. Pralard, 1699. 8. Alph. 2. pl. 17. chartæ auguſtæ.

NEmo facile inter Chriſtianos tam incurioſus rerum ſuarum eſt, tamque parum de ſalute ſua ſolicitus, quem non ſæpius de Divinarum litterarum, quæ unicam ad veram perennemque felicitatem viam monſtrant, auctoritate, deque auctoribus, a quibus libri ſacri conſcripti ſunt, & quæ alia ſunt ejusdem commatis, ſubeat cogitatio. Et extiterunt ſane omni tempore viri eruditiſſimi, qui diſcutere dubia, quæ hic oriri poſſint, ſummo ſtudio allaborarunt, licet non omnes eandem ingreſſi ſint viam. Horum inſtitutum, laude ſane dignum, ſi ſobrie, ut decet, in eo verſentur, Auctor quoque celeberrimus imitari ſecum conſtituit, operæque ſe facturum pretium duxit, ſi quæ ab aliis recte hac de re & præclare dicta ſunt, colligeret, & quæ ad veritatem accedere quam proxime exiſtimaverit, exponeret.

Digitized by Google

Cap. I. De libris itaque, qui Scripturæ S. codicem conſtituunt, & ſpeciatim tum de Canonicis, ut vocantur, tum de Apocryphis, primo loco verba facit. Multa hic ſe offerunt notatu digna, cum campus ille, quem Auctor hic ingreſſus eſt, ſpatioſiſſimus ſit & utiliſſimarum obſervationum copia abundans. Sed ſufficiat nobis, hinc inde quædam delibaſſe. De libris deperditis Veteris Teſtamenti dum exponit, id poſitum apud omnes in confeſſo dicit, allegari nonnullos in V. T. qui jam pridem interierint; ſed tamen ſimul obſervat, a nonnullis ejusmodi libros pro deperditis haberi, de quibus, an unquam extiterint, dubitari poſſit. Sic inter deperditos vulgo referri *librum bellorum Domini*, cujus Num. XXI, 24. injiciatur mentio: aſt ex textu Ebræo, talem unquam librum extitiſſe, colligi non poſſe, cum ita quoq; verba explicari poſſint: *quemadmodum dicetur, cum Iſraëlitæ commemorabunt bella Domini*; vocem סֵפֶר enim non minus commemorationem, aut narrationem, quam librum ſignificare. Forte & canticum hic deſignari ait, quo victoriam, de qua ibi ſermo eſt, celebrarint Iſraëlitæ, cum verba ibi allata poëticum quid haud obſcure præ ſe ferant. Similiter per *librum fœderis*, cujus Exod. XXIV mentio injiciatur, ipſam legem Moſis deſignari contendit: quemadmodum per *librum Domini* Eſ. XXXIV, 16. memoratum, ipſa Scriptura S. intelligatur. *Libro Juſtorum*, ad quem Joſ. X, 13. & II Reg. I, 18. provocetur, videri quidem hiſtoriam ab alio ſcriptam indicari, nec id tamen certum eſſe, aut extra dubitationem poſitum. Contra de libris Nathani, Gadi, aliorumq; quin perierint, ambigi non poſſe. Aſt ſi quæratur, num libri iſti, quos periiſſe conſtet, fuerint Canonici, Auctor ita reſpondet, ut Canonicos fuiſſe neget, ſi hac voce illi deſignentur, qui in Canonem a Judæis publica auctoritate fuerint recepti: quod ſi autem hac voce indigitentur libri divinitus inſpirati, tum quidem fatetur, nihil ſua opinione obſtare, quo minus libri quidam divinitus inſpirati perire potuerint, præſertim cum nonnulli ex iis, qui perierunt, non poſſint non pro divinitus inſpiratis haberi. Interim tamen ex eo, quod liber aliquis in Scriptura S. allegatur, non ſtatim colligi poſſe, eum divinitus inſpiratum eſſe, concedit, lubensque admittit, non omnes libros qui perierunt, etſi laudatos in ſcriptis Canonicis, fuiſſe Canonicos, ſeu divinitus inſpiratos.

Aucto-

Digitized by Google

Auctoritatem Scripturæ S. divinam & infallibilem, duobus principiis ceu fulcris firmiſſimis inniti docet: quorum alterum ſit, non poſſe homines a Deo decipi; alterum, libros Canonicos Scripturæ S. Deum habere auctorem. De priori dum diſſerit, Scripturæ S. loca, quibus impugnari Numinis veracitas ſolet, in medium affert, atque ad ea reſpondet. Ad poſterius autem dum accedit, de variis revelationum generibus, quibus voluntatem ſuam Deus hominibus ſanctitate puritateque morum præditis in V. T. manifeſtaverit, præſertim de prophetia variisque ejus ſpeciebus, & ratione veros vates ab impoſtoribus diſcernendi, ex inſtituto diſſerit. Subnectit hinc juſtam verorum vatum apud Judæos ſucceſſionem, ſimulque ad ſententiam Richardi Simonis de Scribis publicis examinandam digreditur. Conſtat namque, Simonem hunc in gente Ebræa Prophetas aut Scribas publicos conſtituiſſe, quorum munus fuerit commentarios conficere, & in his negotia publica, & quicquid memoratu dignum contingeret, conſignare: & hoſce quidem Scribas librorum ſacrorum eſſe auctores, quibus etiam fas fuerit, ex arbitrio in certam formam eos redigere, addere itidem aliquid aut adimere, prout commodum illis videretur. Aſt ſine omni ratione hoſce Scribas in ſcenam orbis eruditi a Simone productos fuiſſe, Noſter contendit. Nullibi enim in Scriptura S. horum Scribarum θεοπνεύστων injici mentionem, nullibi eos Prophetas vocari, innuit. Commemorari quidem II. Reg. VIII, 17. nec non alibi Scribas, viroſque qui Regibus ab epiſtolis fuerint, ſed de iis ne verbum quidem extare, quod divinitus fuerint inſpirati, nec Prophetas eos appellari. Nec ſatis conſtare inquit, num commentarii de Regibus Juda & Iſrael, quorum in libris Regum & Paralipomenon ſæpius injiciatur mentio, a viris θεοπνεύστοις fuerint conſcripti: quod ſi vel maxime concedatur, nondum tamen inde colligi poſſe, omnes qui commentarios de rebus & negotiis publicis confecerunt, itidem divinitus inſpiratos fuiſſe. Libros Prophetarum, quorum itidem in libris Paralipomenon fiat mentio, videri tantum fuiſſe libros Hiſtoricos, nec divini Spiritus inſtinctu aut inſpiratione ſcriptos: ſed rurſus ſi & hoc quoque concedatur, colligi inde poſſe, non niſi a Prophetis ejusmodi libros confectos tum fuiſſe aut confici potuiſſe; id vero eſt, quod Auctor abnuit. Afferri quidem ait nonnulla a

Cap. II.

Digitized by Google

Simone, pro ſententia iſta ſtabilienda, ſed ea ita comparata eſſe, ut nihil comprobent minus, quam cujus gratia afferuntur. Primo namque eum obſervare, Rempublicam Ebræorum a Deo ipſo ceu ſupremo Principe fuiſſe adminiſtratam: Deumque adeo non tantum legem Ebræis dediſſe per Moſen, ſed ſubinde alios quoque illis conceſſiſſe Prophetas. Hoc nihil ad rem facere pronunciat Auctor, cum non id quæratur, an Prophetæ fuerint in gente Iſraelitica; in eo enim conſentire omnes: ſed de eo litem eſſe, num ſemper in gente Ebræa Scribæ publici fuerint, quorum munus fuerit in commentariis conſignare omnia negotia publica? deinde num hi Scribæ divinitus fuerint inſpirati? & denique num hi auctores fuerint librorum ſacrorum? Hæc probanda eſſe Simoni, & quamdiu ea nondum probaverit, nihil eum proficere. Sed addere tamen refert Simonem & hanc rationem, quod in Rebuspublicis bene conſtitutis nunquam non certi viri ſint, quibus injunctum ſit in litterarum referre monumenta, quæ memoratu digna gerantur, & ad ipſam rempublicam ſpectent. Sed obſervat Auctor, ipſum agnoſcere Simonem, quod hinc non ſequatur, ideo apud Ebræos quoque publicos conſtitutos fuiſſe Scribas. Interim Moſen quoque publicos Scribas in gente Ebræa conſtituiſſe, valde veroſimile ſit Simoni, idque ideo, quod in aula Ægyptiorum educatus eſſet Moſes, apud quos Sacerdotes, illis etiam Scribæ dicti, hocce munere res memoratu dignas litterarum monumentis conſignandi fuerint functi; tum etiam quod legiſlator fuerit Moſes longe excellentiſſimus. Aſt Du Pinius his rationibus, ut in ſententiam Simonis eat, induci neutiquam poteſt. Namque ad primam quod attinet, fruſtra hoc afferri putat, quod Moſes, quæ apud Ægyptios conſtituta atque recepta vidit, ſtatim in Iſraelitarum induxerit Rempublicam. Quod autem Moſes legiſlator fuerit excellentiſſimus, conſtare quidem apud omnes; aſt hoc nondum comprobatum eſſe, legiſlatoris hoc eſſe munus, ut Scribas publicos, quales ſibi fingat Simon, conſtituat. Rationibus itaque Simonis enervatis, ad teſtimonia ab eodem prolata accedit. Joſephum, dum Prophetas librorum ſacrorum auctores vocat, ipſum Moſen ceterosque Scriptores θεοπνεύςους, non autem Scribas publicos intelligere docet. Ceterum hunc ipſum Joſephum non tantum in eo, quod diſerte Pentateuchum a Moſe ſcriptum aſſerat, ſed in aliis quoque

quoque capitibus diſerte Simoni contradicere, pluribus Du Pinius demonſtrat. Euſebium, ad quem itidem, non tamen indicato capite, aut pagina, Simon provocet, hoc ſolum aſſerere, quod apud Ebræos homines fuerint divinitus inſpirati, qui librorum ſacrorum ſint auctores, nec cuivis apud eos fas fuiſſe de aliquo, num divinitus inſpiratus eſſet, ferre ſententiam. Aſt quid inde præſidii, inquit, capit ſententia Simonis? Namq; Scribas publicos fuiſſe apud Ebræos, eosque divinitus fuiſſe inſpiratos, id ne verbo quidem innuit Euſebius. Theodoretum hoc ſolum affirmare docet, quod libri Regum & Chronicorum ex commentariis & ſchedis publicis ſint confecti. Aſt hoc neutiquam id eſſe quod velit Simon, Pentateuchum ſcilicet eadem ratione eſſe confectum. Sed provocat inſuper Simon ad auctorem Synopſeos, quæ vulgo Athanaſio tribuitur, itemque ad auctorem Chronici Alexandrini, & ad alios. Sed quid ad hæc teſtimonia Auctor regerat, ex dictis quivis facile conjectura aſſequi poterit.

Certamine iſto cum Richardo Simone defunctus, redit ad id, quod præcipue hic ſibi tractandum ſumſit. Libros videlicet V. T. a Judæis, & N. T. a Chriſtianis doctoribusque primitivæ Eccleſiæ pro θεοπνεύςοις habitos fuiſſe, productis teſtimoniis confirmat. Aſt ut iis accedat, qui ipſas voces quoque divinitus inſpiratas eſſe credunt, neutiquam a ſe impetrare poteſt. Idque ideo, quod primo ad rerum, quas litteræ ſacræ nos edocent, veritatem hoc parum conducat, cum ad hanc ſufficiat conceptus ſive cogitationes divinitus eſſe inſpiratas. Deinde quod magna quoq; ſtili ſit diverſitas in Scriptoribus ſacris. Etenim ſicut ratione rerum nulla diverſitas, nulla pugna eſt inter ſacros Scriptores, quia harum auctor Spiritus S. eſt, qui a ſe ipſo diverſus eſſe nequit; ita ſi verba quoq; a Spiritu S. profecta eſſent, eundem quoque genium dictionis in omnibus deprehendi neceſſum eſſet. Accedere vero inquit, quod una eademque res a diverſis ſcriptoribus prodita neutiquam iisdem efferatur ab illis verbis, cum v. g. eædem leges Divinæ aliis verbis in Exodo, aliis in Deuteronomio referantur. Præterea nec ex Scriptura S nec ex traditione aliud quid conſtare nobis, quam Scriptores ſacros divinitus fuiſſe inſpiratos, nec in rebus, quas exponere nobis & enarrare ſusceperint, falli potuiſſe: quod verba etiam a Deo ipſo ſint profecta,

Digitized by Google

de eo nullum ullibi extare indicium. Subjungit denique hiſce rationibus teſtimonium Agobardi Archiepiſcopi Lugdunenſis, quo ineptam abſurdamque illorum ſententiam dixerit, qui verba quoque ipſa divinitus inſpirata arbitrentur. Ut modum autem rationemque θεοπνευςίας declaret Auctor doctiſſimus, obſervat, vocem inſpirationis interdum pro rei nondum cognitæ manifeſtatione accipi poſſe, & ſi ita capiatur, dici non poſſe, hiſtorias Scriptoribus jam prius cognitas, quam ad ſcribendum ſe accingerent, fuiſſe inſpiratas, idemque de præceptis ad mores formandos ſpectantibus, aliisque rebus jam aliunde ſacris Scriptoribus cognitis, eſſe cenſendum: aſt ſi vox inſpirationis accipiatur pro actione Spiritus S. quæ cogitationes Scriptorum ſacrorum direxerit, ne a veritate aberrarent, nihil ab illis memoriæ litterisque proditum eſſe, quod non ex divina inſpiratione ſit profectum; & ita quidem ad inſpirationem requiri primo, ut voluntas ejus, qui ſcripturus aliquid eſt, recte ſe habeat, hoc eſt, ut firmiter illi conſtitutum ſit veritati litare ubique, nec quod falſum aut erroneum ſit, aliis perſuadere; deinde ut lumine divino repletus ſit intellectus, ut errare nullo modo queat in rebus rite concipiendis, & cum aliis iterum communicandis. Iis autem, qui *pium animi motum* ad inſpirationem ſufficere arbitrantur, nullo modo Auctor ſuffragatur. Quemadmodum nec cum illis conſentit, qui in rebus philoſophicis & factis ad religionem non ſpectantibus, Scriptores ſacros ſibi relictos, nec luce Divini Spiritus colluſtratos labi & errare potuiſſe autumant, quippe quorum rationes ex inſtituto ſibi refellendas ſumſit. Et hæc quidem hactenus generatim de libris Biblicis diſputavit.

Cap. III. Ad ſingulos dum deſcendit, Pentateuchus ſe illi offert, ſimulque occaſio contra Spinozam, Hobbeſium, Iſ. Peirerium, & Richardum Simonem, Moſen Pentateuchi auctorem eſſe abnuentes, ſtringendi calamum, quibus omnibus Aben Eſram Judæum præiviſſe exemplum, repugnante licet Simone, contendit. Ut autem demonſtret, Moſen Pentateuchi eſſe auctorem, primo quidem obſervat, Pentateuchum ſubinde Legis nomine venire: adeoque ſi demonſtretur, Moſen Legis (voce in hoc ſenſu accepta) eſſe auctorem, palam eſſe, quod Pentateuchi quoque idem auctor ſit. Deinde & illud poſitum extra dubium putat, Deuteronomium h. e. Legem repetitam ſupponere aliam legem, & quidem eam, quæ in

quatuor

Digitized by Google

quatuor libris præcedentibus contineatur: unde porro ſequatur, ſi conſtet, Moſen Deuteronomii auctorem eſſe, eundem quoque pro auctore reliquorum librorum, qui illi tribuuntur, eſſe habendum. Hiſce hunc in modum præmiſſis, plurima Scripturæ S. dicta congerit, quibus Moſes tum Deuteronomii, tum Legis totius, hoc eſt, omnium quinque librorum, qui illi tribuuntur, auctor prædicatur. Atque hæc tam firma certaque eſſe putat, ut ſupervacaneum cenſeat ad profanorum auctorum, Moſen & pro legislatore Judæorum, & pro Pentateuchi auctore agnoſcentium, teſtimonia provocare. Produci quidem hic a nonnullis Sanchoniathonem Berytenſem, Phœnicum hiſtoricum, eumque bello Trojano antiquiorem ferri; ſed cum de Auctoris hujus ætate nihil certi conſtet, incertius autem adhuc ſit, num is libros Moſis unquam viderit, cauſæ ſuæ non magnum conciliare præſidium, qui ejus auctoritate nitantur. De Heſiodo quoque & Homero nonnullos contendere ait, quod ex libris Moſaicis nonnulla hauſerint; ſed hoc quoque dubium eſſe & incertum. De Platone tamen rectius forte hoc affirmari putat, cum hujus philoſophia in pleriſque cum theologia Moſis accurate conſentiat. Aſt qui omnem theologiam gentilium, omniaque Poëtarum commenta a Moſe repetant, conjecturis ſolum inniti, quibus nemo ſanæ mentis demonſtrandi probandique ineſſe vim, exiſtimaverit. Eſſe tamen quosdam Scriptorum ethnicorum, quorum teſtimonia certa ſint, momentumque omnino trahant. Manethoni primum inter hos locum tribuit, cujus teſtimonium referat Joſephus, quo Moſen & legis & reipublicæ Judaicæ auctorem eſſe diſerte autumet. Huic adjungit porro Philochorum, Polemonem, Eupolemum, Alexandrum Polyhiſtorem, Apollonium Molonem aliosque, qui Moſis, ut auctoris legum Judaicarum, injiciant mentionem. Addi his omnibus poſſe docet Pentateuchum Samaritanum, quippe ex quo luculentius, quam ex ſcriptoribus profanis omnibus, documentum peti poſſit. Id quo pacto evincat, brevitatis ſtudio ducti nunc non commemorabimus. Indicabimus potius, ſed breviſſimis, quæ ad argumenta ſecus ſentientium Auctor reponat. Omnia autem, quæ in contrarium afferuntur, huc fere redire docet: quod in Pentateucho talia ſubinde narrentur, quæ mortuo jam Moſe geſta ſint: quod nomina urbium & regionum longe poſt Moſis obitum orta, ibi legantur:

Digitized by Google

tur: quod auctor Pentateuchi de Moſe ceu alio quodam loquatur, ut ſi quis eo modo de ſe ipſo loqui velit, is decori leges migrare omnibus cenſeatur: quod ſtilus quoque documentum præbeat, Moſen librorum iſtorum non eſſe auctorem: quod denique ex ſtili diverſitate ordinisque neglectu pateat, hoſce libros ex variis commentariis antiquiſſima fata populi Iſraelitici continentibus, congeſtos eſſe, & compilatos. Ad primum ita fere Auctor reſpondet, ut aut neget ea, quæ adducuntur, poſt mortem demum Moſis contigiſſe, aut ab alio libris Moſaicis hæc addita, & textui inſerta eſſe contendat. Quæ de morte & ſepultura Moſis in fine Deuteronomii referuntur, ea ab alio ſubjuncta eſſe, non dubitat. Reges Edomiticos, quorum nomina Geneſ. XXXVI referuntur, a prima gentis origine ad Moſis usque tempora, juſta ſerie ſe invicem excipere potuiſſe arbitratur, cum octo tantum commemorentur, & præterea non parentum liberorumque ibi indigitetur ſucceſſio, ſed Principum diverſarum regionum, qui ſe invicem exceperint; ceteros autem Principes, qui Regum titulo uſi non ſint, diverſis forte civitatibus præfuiſſe. Ad alterum quod objici ſolet, regerit, nomina urbium & regionum recentiora, iterum ab aliis illuſtrationis cauſa adjecta, & in textum deinceps recepta eſſe: quædam tamen perperam pro recentioribus venditari, cum jam Moſis ætate cognita eſſe potuerint. Sic *Ninivem* urbem Moſi omnino cognitam fuiſſe, cum tempore Abrahami urbs iſta a Nino condita ſit, non autem demum tempore Deboræ, ut nonnulli perperam ſibi perſuadeant. Nec probari ab illis, qui aliter ſentiunt, *Chaldæorum* nomen Moſis ætate nondum fuiſſe auditum. Sicuti & illud fruſtra afferatur, Jordanis nomen, fluvius quo inſignitur, Moſis tempore fuiſſe ignotum. De voce *Moria* idem obſervat, ut & de aliis. Aſt vocem *Dan* pro *Leſen* aut *Lais* ab alio poſitam putat, & ſic cetera quoque, quæ objici hic ſolent, diluit. Præterea Moſen de ſe ipſo ceu alio loqui, mirum non eſſe dicit, cum præſtantiſſimis Hiſtoricorum, Xenophonti, Cæſari, Joſepho, aliisque, idem in more poſitum fuerit. Quæ autem de ſeipſo Moſes retulerit, neceſſario ipſi fuiſſe commemoranda, ut intelligerent homines, eum ad liberandum ex Ægyptiaca ſervitute populum Iſraeliticum, a Deo fuiſſe miſſum, nec tamen modeſtiæ limites, quoties de ſe ipſo verba fecerit, eum fuiſſe transgreſſum. Reliqua, de ſtilo ſcilicet, ejusque diverſitate, fruſtra

Digitized by Google

ſtra dici, cum non probentur, adeoque nec argumentum, quo demonſtretur, hos libros ex aliis compilatos eſſe, hinc capi poſſe.

De reliquis libris ſacris eodem modo erudite diſſerit, & in illorum auctores inquirit. Sed cum non temere quemquam fugiant, quæ diſputari ab illis ſolent, qui hoc in campo verſantur, ad alia properamus. Quarto namque ſequenti capite, de lingua Ebræa Veteris Teſtamenti Auctor doctiſſimus verba facit. Et primo quidem dum de origine & diviſione linguarum diſſerit, Chaldaicam linguam Ebræa antiquiorem eſſe pronunciat. Equidem num primitiva iſta lingua ab Adamo ad poſteros propagata, poſt linguarum confuſionem, in gente ulla aut familia ſuperſtes manſerit, incertum dubiumque eſſe putat. Etſi enim vix credibile videatur, Noachum ejusque filios linguæ, quam cum lacte materno hauſerant, plane oblitos eſſe; nihilo ſecius valde ſibi veroſimile videri aſſerit, primitivam iſtam linguam in varias mutatam fuiſſe dialectos, ut ſimul in illis abſorpta plane interierit. Quod autem inter eas, quæ poſt confuſionem extiterunt, Chaldaica antiquior quam Ebræa ſit, hunc in modum evincit. Pro certo ponit, linguam, qua familia Eberi, Tharah, Nachor, & Abraham, antequam ex patria diſcederet, uſi ſint, fuiſſe Chaldæam. Namque cum apud Chaldæos hi habitaverint, iisdem quoque cum illis uſi ſint ſacris, nullam obſtare rationem videt, cur non & eadem uſi ſint lingua. Deinde & hoc extra dubium poſitum putat, Chaldæorum linguam omni tempore diverſam fuiſſe a lingua Ebræorum. Luculentiſſime inter alia vel inde hoc demonſtrari poſſe exiſtimat, quod Laban ex Eberi familia prognatus, at in Chaldæa vivens, *Jegar Sahaduta* vocaverit lapidum acervum, quem Jacob *Galaad* lingua Ebræa vocarit. Quod autem Abraham, poſtquam relicta patria apud Cananæos rerum ſuarum fixerat ſedem, lingua quoque Cananæa uſus ſit, & hanc deinceps propagaverit ad poſteros, eaque hæc ipſa lingua ſit, quam Ebræam hodie vocamus, id itidem pluribus demonſtrari rationibus poſſe contendit. Etenim cum plurima Abrahamo cum Cananæis quotidie interceſſerint commercia, quis, inquit, crederet, eum linguam eorum non didiciſſe, eandemque ad poſteros, quibus in eadem regione vivendum fuit, non propagaſſe? Sed alias adhuc rationes addit, quæ rem plane conficiant. Earum prima hæc eſt, Cap. IV.

Digitized by Google

quod Eſa. XIX, 18. lingua Ebræa diſerte vocetur *lingua Canaan.* Altera, quod nomina locorum & hominum Cananiticorum, quorum in libris Moſis & Joſuæ injiciatur mentio, ex eadem lingua, quæ hodie Ebræa dicitur, derivari queant; id quod ex ſequentibus, Jericho, Salem, Sichem, Bethlehem, Segor, Cariath-Arbe, Cariath-Sepher, aliisq; ſatis pateat. Tertio accedere dicit, quod nuſpiam in Scriptura ſacra legatur, linguam Cananæorum diverſam fuiſſe a lingua Iſraelitarum, aut interprete opus fuiſſe, quoties cum Cananæis ſermones miſcuerint Iſraelitæ. Quarto, Joſephum cum a fratribus agnoſci nollet, uſum eſſe interprete, qui cum Ægyptiæ pariter ac Ebrææ linguæ peritus fuerit, ſequi inde, præter Iſraelis progeniem, alios quoque extitiſſe linguæ Ebrææ non minus peritos, & hanc adeo Iſraelitis ſolis non fuiſſe propriam. Quinto denique ex Punicæ etiam linguæ, quæ fuerit Phœnicum, adeoque & Cananæorum, atq; Ebrææ convenientia novum Noſter argumentum arceſſit. Convenientiam autem iſtam utriusque linguæ, Hieronymi, Auguſtini aliorumque teſtimoniis comprobat. Nec tamen reticet argumenta, quibus ſententia illorum, qui pro Ebrææ linguæ antiquitate pugnant, comprobari poſſit. Et præcipuum quidem eſſe, quod ab etymologia nominum, quibus Patriarchæ aliique, quorum in libro Geneſeos injicitur mentio, inſigniti fuerunt, depromitur, obſervat. Significationem enim, quam Auctor Geneſeos hiſce nominibus tribuat, omnino ex Ebræa lingua peti poſſe, idque documento eſſe, primævam hanc eſſe linguam ipſis Patriarchis receptam. Nota ſunt exempla nominum, Adami, Evæ, Caini, Sethi aliorumque hunc in finem afferri ſolitorum, ut ex Auctore noſtro prolixe ea repetere non ſit neceſſe. A locorum regionumque nominibus ſimile argumentum duci, itidem refert, nec illud prætermittit, quod ex linguæ Ebrææ puritate, ſimplicitate perfectioneque nonnulli idem demonſtrare ſatagant. Hiſce tamen quæ reponi poſſint, non deeſſe docet. Namque ad primum quod attinet, adeſſe exempla Hiſtoricorum, qui nomina propria itidem in aliam linguam tranſtulerint, eaque adeo cum aliis ejusdem ſignificationis commutarint. Sic Aquilam, ut alluſionem vocum Ebræarum איש & אשה exprimeret, ea reddidiſſe per ἀνὴρ & ἀνδρὶς; Evangeliſtas nomen *Cepha* mutaſſe in nomen *Petri*; LXX Interpretes pro *Babel* poſuiſſe

poſuiſſe Σύγχυσιν, & quæ alia ſunt ejusdem commatis. Eſſe quoque quædam nomina propria, quorum ſignificationi accurate exprimendæ Ebræa lingua vix ſufficiat. Sic *Noachum* ex Ebrææ linguæ indole *Nobbemum* potius dicendum fuiſſe, ſi a conſolando nominis ratio ſit repetenda: & *Cain* accuratius a *Koun*, quam *Kana* derivari, & *Tubalcain* a vocibus Arabicis *Tubalom* & *Kunaon*, laminam æream ferreamque ſignificantibus. Quod ſi denique vel maxime concedatur, nomina hæcce propria primitivæ linguæ præbere documenta, non aliud tamen inde colligi poſſe, quam ſupereſſe in lingua Ebræa voces quasdam ex lingua primitiva; non autem, linguam Ebræam eſſe ipſam primitivam. Quæ autem de linguæ Ebrææ puritate, ſimplicitate, perfectione dicuntur, nondum ſatis evicta Auctor dicit, et ſi evincantur etiam, ad antiquitatem ejus probandam ea parum facere. Finit tandem hanc diſceptationem de Ebræorum denominatione nonnulla obſervando, acriterque contendendo, non ab Ebero arceſſendum eſſe hoc nomen, quod Iſraelis ſoboli hæſit, ſed ab Abrahamo, qui Ebræi nomine inſignitus a Cananæis fuerit, quod ex Chaldæa trans fluvium Euphratem ſita, in Cananæam veniſſet.

Ex iis quæ in ſequentibus de origine & inventione litterarum, deque litterarum Ebræarum antiquitate diſſerit, hoc unicum obſervaſſe ſufficiat, quod Auctor illorum ſubſcribat ſententiæ, qui litteras Samaritanas eas eſſe autumant, quibus ante captivitatem uſi ſint Iſraelitæ, easque litteras una cum lingua ipſa Abrahamum ejusque poſteros accepiſſe a Cananæis: eas autem litteras, quas hodie Ebræas vocamus, Aſſyriacas eſſe aut Chaldæas, quippe quas Judæi, in captivitate Babylonica iis aſſueti, ſecum retulerint, retinuerintque. Et confirmare quoque hanc ſententiam atque ſtabilire annititur præcipue ex antiquis ſiclis ſive nummis Ebræorum, ante captivitatem cuſis, quibus litteris Samaritanis inſcripta ſint hæc verba, *Hieroſolyma Sancta*. Ex inſcriptione namque iſta conſtare, non a Samaritanis, ſed Judæis hos nummos cuſos eſſe; de antiquitate autem horum nummorum cum dubitare nefas ſit, nihil eſſe, quod reponi huic argumento poſſit, putat. Sed addit quoque teſtimonia veterum, Chriſtianorum pariter atque Judæorum, & rationes ſecus ſentientium tam infirmas eſſe pronunciat, ut omni prorſus

pondere deſtituantur. Sed mittimus cetera, præſertim quæ de vocalium & punctorum antiquitate diſputat. Textum Ebræum tempore captivitatis Babylonicæ periiſſe, & ab Esdra reſtitutum negat; concedit tamen, a mendis eundem & depravationibus fuiſſe repurgatum. Sed nec illis ſuffragatur, qui Judæos ſtudio corrupiſſe textum Ebræum autumant; licet alias ob cauſas eundem quandoq; corruptum non diffiteatur. De Maſora quoq;, deque Keri & Ketib, ut & Cabbala quædam ſubnectit, quæ omnia uberrimam quidem variarum obſervationum ſegetem nobis præberent, ſi immorari hiſce diutius animus nobis eſſet. Atque idem, quo tenemur, brevitatis ſtudium ſicco quoque pede præterire jubet, quæ Auctor prolixe de Pentateucho Samaritano, deque variis Scripturæ S. verſionibus, de ſtilo quoque & ſenſu Scripturæ ſacræ, & ratione eam interpretandi, ut & diviſione ſacri codicis in capita & verſus, in medium affert. Duo tamen ſunt, quæ vel tribus indicanda verbis duximus. Primum, quod Auctor Pentateuchum Samaritanum cum Ebræo contendens, utrumque non niſi litterarum charactere differre, adeoque utrumque pro authentico habendum, pronunciet; cumque Ebræus textus quandoque depravatus ſit, ubi Samaritanus non ſit corruptus, & vice verſa, Samaritanus corruptus ſit, ubi Ebræus ſit integer, nec hunc ſemper illi, nec illum huic præferendum docet, ſed adhibitis in ſubſidium regulis criticis, mox Ebræum, mox Samaritanum textum ſequendum eſſe. Alterum, quod de verſione Vulgata doceat, eam textui Ebræo omnino eſſe poſtponendam, authenticamque eam ex decreto Concilii Tridentini eſſe, non ratione fontium, & textus originalis, ſed ratione reliquarum verſionum Latinarum, quibus omnino jure præferatur, licet nec ipſa errorum atque nævorum ſit expers.

LETTERE DI GREGORIO LETI.

i. e.

EPISTOLÆ GREGORII LETI.

Amſtelodami apud Georgium Gallet, 1700. 8.
Alph. 3. pl. 8.

Certare

CErtare cum ſeculo idque ſuperare videtur fœcundiſſimi ingenii ſcriptor Gregorius Leti, qui, quot ſeculum annos, tot ipſe libros, & quidem multo minore annorum ſpatio protulit, & centeſimo ſeculi anno nondum ineunte centeſimum ſcriptorum ſuorum volumen publicat: quo literas a ſe & ad ſe plurium annorum decurſu ſcriptas, & duos in tomos diſtributas, exhibet. Fatetur rem eſſe novam, (quæ tamen exemplo non caret) amicorum literas, illis inſciis, evulgare: at, cum in his edendis nihil ſecutus ſit, niſi quod honori ſit Autoribus, eorumque vel ingenium vel virtutem & liberalitatem patefaciat; ſperat hoc inſtitutum ſuum non reprehenſione modo cariturum, ſed & imitatores inventurum. In eum vero finem has epiſtolas a ſe divulgari ait, ut his exemplis cognoſcatur ſcribendi ratio, qua illuſtres viri & magnates erga literatos, aut hi vel erga illos vel inter ſe, ſeu ſerio agentes ſeu jocantes, uti ſoleant. Extant enim hic epiſtolæ a Principibus, legatis, aliisque proceribus, imo & fœminis illuſtribus & monialibus ad Autorem datæ: in quibus etſi nonnullæ Gallica aliave lingua fuerint ſcriptæ, omnes tamen Italica lingua legi voluit. Cum ergo in his literis ſtylum maxime ſpectari velit, factum inde ſine dubio, ut nec temporis ordinem ſervaverit, nec omnibus literis diem adſcribendum putaverit. Præter dictionis vero cultum, de quo aliis judicium relinquimus, res quoque in his occurrunt, quæ vel ingenii vel doctrinæ dotibus lectorem detinere poſſunt. Partis I Epiſtolam primam & nonam, utramque ſatis prolixam, eo artificio contextam videmus, ut nulla vox ſit adhibita, cui litera canina inſit, nec tamen ſententiæ vis illata videatur. Epiſtola ſeptima Bruſſonus Hiſtoricus Venetus Autori noſtro impertit catalogum familiarum tam veterum quam novarum, quæ Venetiis in Patriciorum vel Nobilium ordinem fuerunt relatæ. Epiſtola XII & XIII Illuſtriſſimus Comes Fridericus a Dohna, errorem nuperi ſcriptoris arguens, prolixe aperit origines, nec non progreſſus & fata gentis ſuæ, in qua hærere novimus Burggraviatus dignitatem, certiſſimo utiq; antiquitatis argumento, cum memoria nullibi extet alius Burggravii his proximis ſeculis creati. Neque non Comites & Baro-

Barones dictos eſſe Dohnanos fatetur, idque qua de cauſa, quibusve temporibus factum ſit, diſquirit. Gentem vero hanc jam tum Carolingicis temporibus in Miſniæ Bohemiæque finibus conſediſſe ait, eique in urbem Dresdam nonnihil fuiſſe juris, quod ſuperiori ſeculo Auguſtus Elector redemerit. Diffuſam vero fuiſſe ſtirpem in duos præcipuos ramos, alterum Miſnico Bohemicum, alterum Sileſiacum: ex utroque rurſus ſex palmites prodiiſſe. Ac ex Misnico quidem adhuc anno 1620 quatuor floruiſſe; ſed cum Friderici Palatini auſpicia parteſq; ſecuti eſſent, ejus calamitati implicitos boniſque everſos periiſſe. Ultimum ex Miſnicis Chriſtophorum, qui ſolus in patria perſtiterit, dynaſtiam *Muſcau* in Luſatia ad generum Baronem Callenbergium transmiſiſſe. Dohnam vero caſtrum, a quo nomen titulumque Burggravii gerunt, ad gentem Carlovvitzeiam tranſiiſſe. In Sileſia in hujus Domus ditione fuiſſe duas ex quatuor illis Dynaſtiis, in quas cum tredecim Principatibus hæc provincia diſtribuatur. In his Abrahamum, ampliſſimæ Dynaſtiæ Wartenbergicæ poſſeſſorem, ineunte hoc ſeculo a Cæſare in Principum ordinem evectum: ejus vero filium ſtudio magnificentiæ prolapſum res impeditas hæredibus reliquiſſe, ſic ut filius, ut vulnera rei familiaris ſarciret, titulo Principis abſtinuerit, cujus nunc filius ſterile matrimonium ſine ſpe prolis colat; ut Sileſiacus æque ac Bohemicus ramus jam in eo ſit, ut exareſcat. Florere vero adhuc Pruſſicum, qui ex Sileſiaco proceſſerit, cum Stanislaus e tribus fratribus natu minimus, e Sileſia in Pruſſiam ſe conferret, & anno 1463 inter Ordines Provinciales reciperetur. Ejus filium Petrum fortunis & dignitate auctum, inter Barones primum locum obtinuiſſe, cujus filii Achatius, Henricus, Chriſtophorus & Fabianus, rebus per varia Europæ regna geſtis immortalem ſibi gloriam pepererint, Fabianus etiam a Thuano laudatus vitæ ſcriptorem magnum Gerardum Voſſium invenerit. Achatium porro duos reliquiſſe filios, Fabianum & Chriſtophorum. Hunc primum Friderici Palatini Comitem cubicularium, deinde in regendo Principatu Arauſionenſi Principis Vicarium, in hoc munere ſucceſſorem habuiſſe filium natu maximum Fridericum: a quo cum Arauſio in Gallorum manus ſit tradita, nullam hujus in hac re fuiſſe culpam oſtenditur, totiusque rei geſtæ ſeries & arcana conſilia aperiuntur, & demum hodierna Illuſtriſſimæ

Gentis

Gentis conditio & facies pertexitur. Epiſt. XXIII & ſeqq. ad XXIX Auctor in gratiam amici Pontificii vitam perſcribit Calvini, quæ notior eſt, quam ut ejus ſummam hic reddere opus ſit. Epiſt. XXXI perſequitur familiæ Offredeæ nobilitatem, quam Cremonæ tenuit; unde *Evangeliſta* & *Marcus* fratres ſub finem ſuperioris ſeculi *Genevam* migrarunt; Evangeliſtæ vero ex Paulo filio nepos *Carolus* medicinam tunc Patavii profitebatur, de cujus genere *Zabarellæ* quærenti iſta reſpondet. Epiſt. LXXX & tribus, quæ ſequuntur, primi in urbe Londinenſi Magiſtratus ſeu Magiſtri civium quæ ſit dignitas, poteſtas, qui ſplendor, quæ ratio eligendi & inaugurandi, tradit; in cujus privilegiis eminet, quod Rege defuncto, dum ſucceſſor abeſt, primum in regno gubernando locum teneat. Epiſt. CLIV & duabus ſeqq. motus in urbe Genevenſi civiles deſcribuntur, quos excitarat diſſenſio inter duplicem Senatum, alterum viginti quinque, alterum ducentorum virorum, cum uterque ſummam poteſtatem non ſine periculo amittendæ libertatis ſibi vindicaret. Part. II, Epiſt. XIII exponitur, quomodo Venetiis *Legati* pro Principum vel characteris ſui diſcrimine excipiantur. Epiſt. XX usque ad XXIV continetur deſcriptio Aulæ Romanæ Statusque Pontificis, quam Venetus Orator e Romana legatione redux Senatui exhibuit. Epiſt. XLVI Autor Sereniſſimæ Landgraviæ Haſſiæ obitum filii Principis nunciat, & per plures epiſtolas, quæ in ejus morbo, morte & pompa funebri acciderint vel ſervata ſint, refert. Epiſt. CLXX Marci Antonii Borri nobiliſſimo inter Etruſcos genere oriundi, res geſtas & dignitates militares, rogatu Illuſtris Puffendorffii exponit. Et ne prolixiores ſimus, ex his ſatis intelligitur, præter familiaria, officioſa, jocoſa, in his Epiſtolis inveniri non pauca, quæ vel ad illuſtrium virorum hujusque adeo ſeculi hiſtoriam faciunt, vel ipſius Autoris genium, ſtudia, opera & fata aperiunt. Quo pertinet hujus operis Epiſtola poſtrema, qua Autor indefeſſus & alter Didymus Χαλκέντερος denunciat, ſe poſt centum opera perfecta, alterum centenarium ingredi, & in componenda Caroli V Imp. vita ſic verſari, ut quotidie horas quatuordecim ſcriptioni impendat, opusque adeo nitidiſſime excuſum propediem nos expectare jubeat.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIONES HISTORICÆ, CRITICÆ, CHRONOLOGICÆ in Sacram Scripturam Veteris Teſtamenti. Autore D. MATTHÆO PETITDIDIER, Presbytero & Monacho Benedictino e Congregatione SS. Vitoni & Hydulphi.

Pariſiis, apud Petrum Emery, 1699. 4. Alphab. 2. pl. 3.

SCripturam Sacram Veteris Teſtamenti Diſſertationibus nonnullis illuſtraturus Autor, ab iis exordium capit, quæ ad Scripturam generatim ſpectant; inde ad Canonem Scripturarum progreſſus, eos illi libros aſſerere annititur, quos ab aliis immerito hinc eximi perſuaſum ſibi habet; porro idoneas tradit regulas, quæ ad diverſos Scripturæ Sacræ ſenſus cognoſcendos atque eruendos pertinent; mox de ſingulis Veteris Teſtamenti libris ſeorſim diſſerit, ac tandem Chronologiam ſacram dilucidat. Cuncta vero hæc diſſertationibus quatuor & triginta perſequitur, quarum prima de linguarum ac characterum origine inſcribitur. In hac linguam omnium primam ad Deum ipſum, cæteras vero ad confuſionem Babelicam refert; literas autem ſeu characteres ante diluvium jam uſitatos, & aut ab Adamo ipſo, aut a Setho certe excogitatos fuiſſe, ſibi admodum probabile videri profitetur. In ſecunda diſſertatione Hebraicam linguam omnium eſſe ſtatuit antiquiſſimam; aſt circa ejus characteres adſtipulatur iis, qui antiquitus tales fuiſſe ſtatuunt, qualibus nunc utuntur Samaritani; puncta etiam vocalia conſonantibus coæva eſſe negat. In tertia textum Biblicum a Judæis unquam malitioſe dataque opera depravatum fuiſſe, prorſus inficiatur. Cum autem poſt Hebraicum Judæorum codicem nihil in ſacris literis antiquius ſit Samaritanorum Pentateucho, ideo de eo in diſſertatione quarta agit, cumque magna ſaltem ex parte genuinum Hebraicoque Moſis textui æquandum, minime tamen antiquam textus puritatem in omnibus illibatam ſervaſſe pronunciat, deque tribus ejus verſionibus, ac de Samaritanorum origine & religione quædam ſubjungit. In quinta Diſſertatione varias Hebraici textus editiones commemorat, & Maſoretharum induſtriam extollit.

Digitized by Google

tollit. In ſexta de paraphraſibus Chaldaicis commentatur. In ſeptima verſionem imprimis LXX-viralem celebrat, ejusque hiſtoriam ab Ariſtæa, ut fertur, conſcriptam rejicit, & mox in ſubſequenti octava autoritatem ejus, quam apud Judæos æque ac apud Chriſtianos indepta ſit, examinat; in nona vero varias illius editiones enumerat. Decimam verſioni Latinæ vulgatæ deſtinavit, & in ea Hieronymo hanc vindicare ſtudet, quamvis nihil omnino, quod Hieronymi non ſit, in iſta haberi, aſſerere non audeat, de cætero, cur a concilio Tridentino authenticæ elogio inſignita illa fuerit, prolixius indagans. Undecimæ contenta eo collimant, ut libros, quos vocare ſuevimus apocryphos, ad Canonem reducendos venire probetur. Duodecima præcipuas regulas hermeneuticas inculcat. Decima tertia Pentateuchum Moſi tanquam genuino autori vindicat. Decima quarta Præadamitarum exiſtentiam refellit, mundumque in inſtanti creatum eſſe negat. Decima quinta Paradiſum terreſtrem contemplatur, ac de ſerpente Evam ſeducente tradit, quod verus ille ſerpens fuerit, ſed in quem Diabolus ſe ſubdole inſinuarit; tandemq; Paradiſi aditum Angelo & gladio verſatili communitum fuiſſe innuit. Eſum carnium ante diluvium haud obtinuiſſe apud viros pios, in decima ſexta diſſertatione Autor conjicit, congreſſum vero Angelorum cum hominum filiabus explodit, deque idololatria addit, quod ejus origo parum certa ſit. In decima ſeptima Enochum minime fuiſſe mortuum, ſed tamen, quorſum eundem Deus tranſtulerit, non ſatis exploratum haberi contendit. Hinc de arca Noachi quædam in medium affert, ac diluvium univerſum orbem inundaſſe probat. Decima octava diſſertatio Melchiſedeci & Jacobi Patriarchæ proſopographiam complectitur. Decima nona polygamiam jure naturæ haud prohiberi affirmat. Vigeſima Jobum ex Eſavi familia ortum traxiſſe probat, libri vero ejus nomen præferentis autor num ipſe, an alius quis dici debeat, in medio relinquit. Vigeſima prima ſtatum reipublicæ Judæorum quoad civilia & ſacra, pro temporum diverſitate & ipſum diverſum, conſiderat. Vigeſima ſecunda miracula Solis ſub Joſua duce atque Ezechia rege tuetur; Jephtam non immolaſſe, ſed perpetuæ virginitati devoviſſe filiam ſuam contendit; & verum quidem Samuelem, ſed corpore ad tempus aſſumto, apparuiſſe Sauli aſſerit; Joſuam libri ejus no-

mine inſigniti autorem eſſe; librorum Judicum, Ruth, Regumque autores ignorari; priorem, qui Eſræ nomen in fronte gerat, librum ab ipſomet Eſra, librum Tobiæ ab alterutro vel utroque Tobia conſcriptum fuiſſe; libri vero Judith autorem incertum videri; ambiguumque, ad quem liber Eſtheræ mereatur referri; Proverbia, Eccleſiaſten, Canticumque Canticorum Salomonem procul dubio parentem agnoſcere, in diſſertatione vigeſima tertia Autor pluribus evictum dare allaborat. In vigeſima quarta de Pſalterio Davidis monet, non omnes in eo Pſalmos Davidem autorem agnoſcere, e titulis quoque alios canonicos eſſe, alios humana autoritate additos, vulgatumque Pſalterium illud ipſum dicit, quod ad Hexaplorum fidem divus olim Hieronymus emendarit; libros Maccabæorum (quos haud ab unico autore ſcriptos putat,) adverſus objectiones eorum, qui e numero canonicorum ipſos eximunt, defendit; nec tertium quartumque Esdræ librum unius autoris opus eſſe admittit; Orationem vero Manaſſis Regi huic indubitato vindicare non audet. Reliquæ diſſertationes ad Chronologiam ſacram ſpectant. Poſtquam enim in iis de diviſione omnis ævi ſecundum Gentiles, Judæos & Chriſtianos, deque annis Solis & Lunæ, menſibus, cyclis, indictionibus, periodoque Juliana prolixius locutus eſt, annos primorum Patriarcharum conſiderat, eosque noſtris ſimiles omnino fuiſſe docet. In rebus chronologicis textus Hebraici calculum Verſioni τῶν ό omnino præferendum venire affirmat, eaque propter cum R. P. Pezerono, ſecus ſentiente, in arenam deſcendit. Diluvium orbem inundaſſe ait anno vitæ Noachi ſexcenteſimo. Cainani, Arphaxadi filio, nullum inter Patriarchas poſt diluvium viventes locum relinquit. Ut alia taceamus, quæ de ſex mundi ætatibus (tot enim ad Chriſtum uſque numerandas cenſet,) ad accuratiſſimorum Chronologorum calculum commentatur.

SACRA SCRIPTURA UBIQUE SIBI CONSTANS.
Opera & Studio M. JOANNIS PONTASII.
Tomus I Pentateuchum complectens.

Pariſiis apud Jo. Boudot, 1698 4. Alphab. 4. pl. 6.

Tametſi

Digitized by Google

TAmetſi in conciliandis inter ſe Scripturæ locis, quæ ad ſpeciem ſibimet contrariantia videri poterant, plurimi jam pridem ſedulo & maxima cum laude elaborarunt, (cui enim ignorantur ea, quæ in *Conciliatore* ſuo iſtuc contulit Menaſſeh ben Iſrael; quæ in ſcriptis ad eundem ſcopum collimantibus, ab anonymo, quem Coloniæ A. 1532 edidit Henricus Sachſius; quæque ab Andrea Althamero, Mich. Walthero, Dominico Macro, Ludovico Rabo, Jo. Thaddæo & aliis præſtita in hoc genere fuerunt?) non tamen inconſultum fore ratus eſt doctiſſimus Pontaſius, ſi ſuas & ipſe vires in hac opera experiretur, & Scripturam ſacram ubique ſibi conſtare evinceret. Nec obiter aut carptim pertractare negotium hoc voluit, quin ſingulos potius libros accurato excuſſurus ſcrutinio, in primum huncce tomum illa tantum loca retulit, quæ in Pentateucho obvia deprehendit, collatis ad ea diligenter iis dictis, quæ aut cum proximis Moſaicis, aut cum effatis aliis concilianda venire exiſtimavit. In condenda vero eorundem harmonia, ſanctorum præcipue Patrum, quorum teſtimonia frequenter allegari videas, veſtigiis inſiſtere contendit. Quæ utut ad noſcendam operis hujus faciem ſufficere jam tum fortaſſis poſſent, non pigrabimur tamen, ſpeciminis in locum exempla quædam ſuggerere, e quibus de Autoris ratione dubia enata ſolvendi diſtinctius paulo judicare benevoli Lectores valeant. Gen. I, 20 non piſces ſolum ex aquis formatos eſſe, ſed & aves ex iis ortum duxiſſe Moſen affirmare, ſed Cap. II, 19 eundem aſſerere innuit, quod Deus formatis de humo cunctis terræ animantibus & univerſis cœli volatilibus, ad Adamum ea adduxerit; quod poſtremum ſane effatum innuere videatur, quod & volatilia cœli de terra formata fuerint. Verum ut volucres ex aquis productas omnino fuiſſe probet, poſteriorem locum ſic accipiendum ſtatuit: *Formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & formatis univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adamum.* Dum maſculum & fœminam Deum ad imaginem ſuam condidiſſe dicat Moſes Gen. I, 27, Apoſtolum ei opponendum arbitratur, qui 1. Cor. XI, 7. virum imaginem & gloriam Dei nuncupet, mulierem econtra viri gloriam appellet. Mox tamen eos inter ſe conciliat, & Apoſtolum ad principatum modo reſpexiſſe dicit, cu-

jus ratione mulier imaginem Dei haud geſtet; interim, quatenus intellectuali ea mente polleat, dignitate iſta minime privandam illam venire innuit. Mandato Dei, *creſcite & multiplicamini*, Gen. I, 28. non repugnare Chriſtum, aſſerentem expedire, ſi quis haud nubat, Matth. XIX, 10, ut evincat, modo præceptum iſtud ad primæva tantum tempora reſtringendum eſſe, modo in eodem permittentis potius, quam jubentis Dei verba contineri obſervat. Comminationem divinam: quocunque die comederis de ligno ſcientiæ boni & mali, morte morieris, Gen. II, 17, bene conſiſtere dicit cum ætate Adami, quam is ad annos 930 protraxerit, Moſe itidem teſtante, Gen. V, 5. Adamum enim, quamprimum prohibitum fructum guſtarit, mortem animæ expertum inquit, quia gratia Dei, quæ vita animæ, ſpoliatum ſeſe ſenſerit. Sed mortem quoque corporis eundem tunc ſtatim invaſiſſe ait; quatenus ſcilicet non inevitabilem ſolum moriendi neceſſitatem ſubierit, verum & mori inchoaverit. Mirum videri ait & ab omni fide abhorrere, Joſephum, virum toti Ægypto præpoſitum, ac de Ægyptiaco regno omnibusque Ægyptiis adeo præclare meritum, novo Regi incognitum fuiſſe, quod tamen Exod. I, 8. perhibeatur; ſed reſpondet, propter temporis diuturnioris lapſum, bonorum, quibus per Joſephum cumulatum fuerat regnum Ægyptiacum, oblitum illum Regem, cœpiſſe in eum, inque univerſam Hebræorum gentem, novo ſeu alieno eſſe animo, ſeque erga Joſephi poſteros ac ſuperſtites Iſraelitas ingratum, imo inhumanum exhibere. Aut forſan eam quoq; ob rem novum nuncupari Pharaonem, & Joſephum ignoraſſe dici, quia ſpretis & abrogatis legibus ab eo conſtitutis, novam in adminiſtrando regno conſuetudinem introduxerit. Tenebras Ægyptiis immiſſas palpabiles dici Exod. X, 21 exiſtimat per hyperbolen, & juxta conſuetum hominibus loquendi modum. Numerum annorum 430 Exod. XII, 40 commemoratum, non de ſola Iſraelitarum in Ægypto habitatione, ſed inſimul quoque de eorundem peregrinatione in terra Canaan, intelligi debere ſtatuit. Nubem inter Iſraelitas & Ægyptiorum caſtra conſurgentem, ut tenebroſam ſimul & fulgidam Exod. XIV, 20. congrue ſatis introduci monet, quandoquidem parte ſui anteriori, qua Hebræos reſpexerit, lucem præbuerit, ſed poſteriori ad Ægyptios directa meras hiſce tenebras offude-

ſuderit. Loca Exod. XX, 5. itemque Num. XIV, 18. non repugnare ait dictis Deut. XXIV, 16. & Ezech XIIX, 20. Utut enim ibi Deus patrum *iniquitatem* in filiis punire ſe velle minetur, heic vero filios a patrum pœna liberos pronunciet; utrumque tamen una conſiſtere *poſſe ait*, cum in Deuteronomio Judicibus in foro ſoli agentibus *præcepta* ſuppeditentur, apud Ezechielem vero de interiori & *æterna*, non de exteriori & temporaria pœna ſermo ſit. Moſen, *utut* homicidium Exod. II, 12 deſcriptum commiſerit, a transgreſſione tamen præcepti quinti abſolvendum ſtatuit, eo, quod divina inſpiratione motus talem ſeſe geſſerit. Iſraelitas vero vaſa argentea & aurea & veſtes pretioſas Ægyptiis ſubtrahentes, a furti crimine ideo liberat, quod vel jure belli, vel jure compenſationis ob debitam mercedem, vindicare ſibi iſta licite potuerint. Lev. XII, 2 ſeptem tantum dies immunditiæ mulieris, quæ maſculum pepererit, conſtitui, aſt cap. eodem v. 4. per dies triginta tres eandem immundam *pronunciari* dum obſervat, in verbis prioribus immunditiem *talem, qualis* menſtruatarum fuerit, ſed in poſterioribus minorem, & a contactu modo rerum ſacrarum, verum non item ab *hominum* conſortio arcentem denotari ſuperaddit. Legem Lev. XIIX, 16. de nuptiis cum uxore fratris haud ineundis, minime tolli ait per ſtatutum Deut. XXV, 5. ubi fratris uxor fratri ducenda concedatur; ibi namque caſum ſupponi, quo aut frater aut ejusdem liberi ſuperſtites adhuc agant, heic vero fratris absque liberis defuncti uxorem ſubintelligi. Ne mirum cuiquam appareat, cur Moſes ſe non poſſe ſolum ſuſtinere dicat omnem populum Num. XI, 14, cum tamen juxta Exod. XIIX, 25. 26. jampridem viros ſibi ſtrenuos adſciverit, eosq; millenarios, centenarios, quinquagenarios, decanos conſtituerit Judices, reſpondet, hos in forenſibus ſolum negotiis & in adminiſtratione civili Moſen auxilio ſuo ſublevaſſe, majoribus interim cauſis, quæ certe frequentiores fuerint, ipſi unice *relictis*. Uxorem Moſis Æthiopiſſam Num. XII, 1. recte vocari oſtendit, quamvis Exod. II, 16. 21. Madianitis dicatur. Madianitas enim *in* Scripturis vulgo appellari Æthiopes, quia terra quoque Madian *interdum* audiat Æthiopia, non Africana quidem illa & occidentalis, verum orientalis & Aſiatica. Bileamum Num. XXII, 5. XXIV, 3. 15. & Joſ. XXIV, 9. filium Beor, aſt 2. Pet. II, 15.

filium Boſor dici, aut, quia nomen Boſor & Beor unum idemque fuerit, & Græci ſæpius in nominibus efferendis nonnihil ab Hebræis ſecedant; aut, quia pater Bileami duplici iſta appellatione inſignitus fuerit. Cur Moſes dicatur locutus trans Jordanem Deut. I, 1, cum tamen, ut ex Cap. III, 8. 17. & XXXIV, 1. 4. 5. conſtet, Jordanem nunquam trajicere debuerit, ſolicite Autor noſter quærit, & reſpondet, voculam trans pro cis heic eſſe repoſitam, cum τὸ בעבר ambiguum ſit, & utramque ſignificationem admittat. Imo vocem hanc proprie etiam ſignificare *in tranſitu*; id quod proinde & heic locum inveniat, cum Moſes tunc omnesque Iſraelitæ ad flumen iſtud tranſeundum ſe accinxerint. Jubere quidem Deum Deut. XV, 4. 7, ut ne pauperem in terra promiſſa exiſtere ſinant Iſraelitæ; aſt mox v. 11. monere notat, quod egeni inter eos nunquam defuturi ſint. Voluiſſe enim Deum, ut pauperibus ſubvenire quilibet ſtuderet; ſed cum populi facultates tantæ haud fuerint, ut ſingulis pauperibus ſublevandis ſuffecerint, idcirco pauperes non penitus ſublatos e populo tam numeroſo fuiſſe colligit. Regi Iſraelitarum prohiberi putat Deut. XVII, 17. uxorum modo alienigenarum multitudinem; unde David, licet polygamus, interdictum iſtud minime violarit, cum alienigenas ſibi haud aſſociaverit. Sed ſufficiant hæc ſpeciminis in vicem, modo iſtud adhuc monuerimus, quod parilem in modum quæſtiones ſingulas, & ex Geneſi quidem 98, ex Exodo 69, e Levitico 29, ex Numeris 60, & ex Deuteronomio 78 Autor ſolertiſſimus reſolverit.

CHRISTIANI MATTHIÆ, S. S. THEOL. D. EJUSDEMQUE in Academiis Altorfina & Sorana Profeſſoris, Hagienſis demum Eccleſiæ A. C. Paſtoris Primarii, ANTILOGIÆ BIBLICÆ.

Hamburgi, apud Godofr. Liebezeit, 1700. 4. Alphab. 1. pl. 12.

MErito tractatum hunc antecedenti illi, cujus recenſum modo abſolvimus, comitem adjungendum arbitramur, cum idem Autoris utriusque inſtitutum ſit, licet non eadem per omnia methodo uterque uſus fuerit. Ubi enim iſte loca cum aliis pugnare viſa ex Penta-

Pentateucho ſolum allegavit; hic viciſſim per Scripturam omnem libere eſt divagatus. Ibi ordo dictorum ἐναντιοφανῶν juxta ordinem capitum, quæ in libris Moſaicis habentur, eſt concinnatus; heic econtra juxta ſeriem Locorum Theologicorum effata controverſa diſponi cognoſcas. Eruit autem opus hoc e ſchedis a Maxime Reverendo Autore moriente relictis Joannes Schelhammerus, Eccleſiæ Hagienſis Senior, & celeberrimi Matthiæ in munere hoc ſacro ſucceſſor; qui quidem haud diſſimulat, quod, cum pleraque compendioſis ab Autore notis conſcripta invenerit, ſenſum non raro divinare, ſuasque paſſim voces in earum, quibus ille mentem ſuam expoſuerat, locum ſurrogare neceſſum habuerit. Daturum ſe interea pollicetur ejusdem Autoris breves ſelectasque in Novum Teſtamentum obſervationes, modo integrum ipſi per ſenectutem fuerit, quam decrepitam omnino agit, cum octoginta annorum numerum Deo favente pridem prætergreſſum ſe teſtetur.

HISTORIA DE MAGNI TENDINIS SURAM INTER ET CALcem tranſverſim diſſecti, ſutura interveniente, unitione ac curatione, additis annotationibus, coram Societate Regia recitata a GUILIELMO COWPERO, Societatis laudatæ Membro.

Ex Actorum Philoſophicorum Anglicorum Menſe Majo A. 1699, ſive N. 252, Latine reddita.

AD *Thomam Wheatly*, fabrum lignarium, triginta annos agentem, ac in tibia ſiniſtra de gaſtrocnemiorum muſculorum magno tendine, tres digitos transverſos ſupra os calcis, integro diſſecto conquerentem accerſitus nuper, primo Februarii die, ſuperiorem tendinis partem duos ad minimum digitos ab inferiori ſejunctam deprehendebam. Acubus tamen ei operationi, quam in animo volvebam, ſatis proportionatis haud inſtructus, domum repetere easdemque inde afferre, habebam neceſſe; rediens vero Dominum *Gooddiar*, experientiſſimum Chirurgum, qui præſens eſſet, ac in operatione ſequenti mihi aſſiſteret, advocabam.

Appara-

Digitized by Google

Apparatu omni inſtructo, atque in duas vel tres magnas acus ſerico filo valido & probe incerato immiſſo, ante omnia integumenta externa *Fig. I. a, b*, incidenda mihi erant, quo diſſecti tendinis extrema *A B a b* denudarem. Hinc acum primam C per tendinem A ad dimidium circiter digitum ſuper diſciſſam extremitatem, alteram vero acum D per eandem ſuperiorem tendinis partem paulo ſub priori trajiciebam, ne fila duo ſibi invicem occurrerent, ſeque in tendinis medio decuſſarent. Hinc utraque acu diſſecti tendinis pars inferior eo perforabatur modo, qui in *Figura* modo memorata C D indigitatur. Pede extenſo, duo tendinis extrema vinculorum C D conſtrictorum ope ita ſibi invicem adaptabantur, ut, pede in iſto ſitu perſiſtente, ſectæ partes ſervarentur conjunctæ. Verum quatuor vinculorum horum terminis reſciſſis, labia quoque vulneratæ cutis unico utrinque punctu paulo ſupra tendinis ſuturam adducenda ſibi invicem videbantur. Quo peracto, ſplenium linteum Terebinthinæ Balſamo intinctum vulneri imponebatur, impoſitumque alio lato ſplenio lineo & *linimento e Gummi Elemi* imbuto tegebatur. Conſuetis denique faſciis, pulvillis, &c. admotis, quo partes inflexæ detinerentur, omnisque motio punctus tendini injectos forſan perrumpens præcaveretur, ferula omnino craſſior, in modum arcus concinne efformata, pedi ac tibiæ anterius a me erat applicanda. De dolore exquiſito querebatur æger, cum acus per ſuperiorem tendinis ſecti partem traducerentur; quamvis in ipſo diſſectionis loco vix digitum meum perciperet. Nec dolebat, ubi acus per inferiorem partem tendinis adigebantur. Poſtquam ſanguis in brachio ad quatuordecim uncias evacuatus eſſet, diſcedebam ab eo in lecto recumbente. Sex horis elapſis (circa octavam circiter veſpertinam) pulſum ejus aliquanto majorem quam antea obſervabam. Unciam tunc unam Syrupi de Meconio aſſumebat. Proximo mane conditionem ipſius haud pejorem cognoſcebam. Nonnihil hac nocte ſe dormiviſſe, a lancinationibus ſolum in ſura tibiæ vulneratæ ſæpius expergefactum, commemorabat. Tertia ab operatione die, vulnus eadem ac antea ratione deligabam, fomenti tantummodo vice decoctum abſynthii, ſalviæ, roriſmarini, foliorum lauri &c. adhibendo. Die quarta ab operatione faſciatio circa vulnus multo humore ſeroſo,

TAB. I. Fig. I.

Syno-

Digitized by Google

TAB.I.ad.A.1700.
pag.24.ſſq.



Digitized by Google

TAB
Fig.

Digitized by Google

Synovia qui vulgo audit, madefacta occurrebat. Sexto die materies paulo craſſeſcebat, cute autem circa vulnus parum diſtenta, ſuturam ultimam cogebar reſcindere, quo puri, duobus inſequentibus diebus magis adhuc ſpiſſeſcenti, adeoque Synoviæ imminutæ, liberior pateret exitus.

Hoc circiter tempore duo tendinis extrema non parum dilatabantur, & ſubſtantia quædam albicans, verſus ſuperiorem vulneris partem, in eo progerminabat; cui loco Balſami Terebinthinæ Tincturam Myrrhæ applicabam. Paucos dies poſt, ſubſtantia iſta augebatur, duoque tendinis extrema fungoſa cooperiebantur carne, certiorem me reddente, vaſcula ſanguifera & tubulos nutritios a duobus vinculis prioribus haud fuiſſe compreſſa. In uſum poſtea vocabam ſicciora, nunc ſplenia ſolum lintea, nunc vero pulverem terebinthinæ, admovendo. Decem circiter ab operatione diebus præteritis, alterutrum tendinis vinculum deprehendens relaxatum, diſcindebam & extrahebam; nec modo diverſo alterum vinculum removebam, cum poſt duos vel tres dies pariter laxum illud eſſet. Pars interea temporis ſemper ferulæ ſuperius indigitatæ adjumento ſervabatur inflexa.

Sæpius tenebar levia eſcharotica adhibere tendiniſve fungum abſumere. Triginta nondum abierant dies, cum valde claudus obambularet; neque multi dies interjecti, cum totum S. Jacobi vivarium pedibus ſe peragraſſe aſſereret. Nulla tamen inſequebatur moleſtia, etiamſi ipſe aliquod opus artis ſuæ quotidie ſedens efficeret; pedis potius uſus magis magisque reſtaurabatur, in tantum, ut vigeſimo ſexto die Martii (quo octava ab operatione ſeptimana complebatur,) Grenovicum expatiaretur, magnam ibi balænam in littore proſtratam viſurus, paucarumque horarum ſpatio inde reverteretur. Omnes pedis motiones nunc perfecte recuperavit, eundum inter vix claudicans, nec incommodi quicquam artem ſuam exercens percipit.

Quodſi tot hiſtoriæ hujus circumſtantias particulares tædioſius recenſuiſſe videar, excuſabor quodammodo, quod tam in genere modus conſuendi tendines infrequens, quam exempli hujus raritas in ſpecie, neceſſitatem impoſuerint nullam omittendi circumſtantiam, cum multi eorum, qui operationes Chirurgicas accurate deſcripſere, futu-

D tam

ram tendinum vel plane negligant, vel ſaltem improbent, alii autem ejus praxin multo ab ea differentem, quam hic tradidi, exhibeant.

ANNOTATIONES.

Apud omnes Autores, quos hac occaſione conſului, non niſi unicum caſum ſimilem reperire licuit, a Veslingio, accuratiſſimo ſui ævi Anatomico, nude quidem, non tamen ſine admiratione inſigni, enarratum.

Communis fert opinio, diſſectorum tendinum ſuturam periculoſam, ſi non impoſſibilem, eſſe; neque Chirurgicos inter Scriptores defuere, qui conjecturam talem approbarent. Equidem *Ambroſii Parai Opera* magni facere convenit, (ſpeciatim, quod in artuum amputatione pro ſanguinis effluxu inhibendo arteriarum extrema ligari optime jubeantur, atque adverſus obſtinatum adverſarium, *Bartholomæum Perdulcem* ſtrenue defendantur; qualis praxis & nuper apud nos exoptato revixit,) laudatusque autor de genere humano præclare meruit. Hic tamen neutiquam prætereunda, quæ *Lib. 9. c. 36.* protulit: *Quidam Chirurgi*, inquiens, *aliquando auſi ſunt, cum tendines penitus ſecti eſſent, extremis admotis, conſuere ad unionem. Id tamen ego tentare nunquam ſum auſus, doloris, convulſionis, & ſimilium horrendorum ſymptomatum metu. Quod* (pergit) *ad craſſi illius tendinis, qui in cruris ſura ex trium muſculorum concurſu conflatur, adque calcem pertingit, vulnera, animadverti illum enſe reſectum, vulnera relinquere diuturna & difficilis conſolidationis, quin etiam cicatrice tandem obducta, cum primum e lecto reſurgens in viam ſe daret æger & incedere conaretur, recrudeſcere illa iterumque dehiſcere.*

Opportunitas aliquando dabatur idem in dicti tendinis vulnere obſervandi; eo ipſo nihilominus Chirurgos a conſuendo ipſo, ſi integer diſſectus fuerit, haud terreri debere, exemplum modo in medium allatum ſatis evincet.

Hippocrates lib. 1. de Morbis VII, 21. ejusmodi opinioni videtur favere, quod nervus ſive tendo præciſus ac diſſectus non coaleſcat; nec ullibi (quantum mihi conſtat,) ſuturæ ejus mentionem injecit.

Etiamſi

Digitized by Google

Etiamſi vero nec *Galenus* diſſectorum tendinum ſuturam ſuadeat; *Guido* tamen *Tract. 8. Doctr. I. Cap. 4.* e verbis, quibus *Galenus de Meth. Medend. lib. 6. c. 3. curationem nervi præciſi cum ea communem* aſſerit, *quæ aliorum eſt ulcerum*, nititur colligere, praxin talem tacite a *Galeno* ratam haberi, *quod alia ulcera ſuuntur, ut ſerventur partes adductæ.*

Avicenna Fen. 4. T. 4. Cap. 2. dicit: Si autem diſrumpatur in latitudine nervus, tunc neceſſarium eſt ſuere ipſum, & ſi non, non conglutinatur. Cum *Avicenna* conſentiunt *Gul. e Saliceto Lib. 2. C. 9. Rogerius L. 3. C. 13. Lanfrancus L. 2. C. 9. Doct. 3. C. 3. & in Chirurgia parva C. 4. Nicolaus Florentinus* de tendinum ſutura pariter loquitur, itemque *Brunus L. I. C. 5.*

Guido operationem hancce propugnans ad eorum objectiones reſpondet, qui partes iſtas per primam intentionem haud denuo coaleſcere, ideoque ſubſtantia aliqua extranea, pororum continuitatem lædente ac vias ſpirituum obſtruente, reſarciendas eſſe contendunt, dum, *vidi*, ait, *& audivi in multis Nervos & Tendines inciſos, & eos ita reſtauratos Sutura, & aliis auxiliis, ut poſtea incredibile videretur ipſos fuiſſe inciſos.*

Marcus Aurelius Severinus itidem ſuturæ tendinum patrocinatur: fatendum tamen, ex *Ambroſio Paræo* falſo aliquem locum ab eo allegari. Edocet namque ibi *Paræus*, thecam ex ferro albo efformandam ſe curaſſe, in quam pollicem indiderit, ejusque medio erectum detinuerit, poſtquam tendines eundem erigentes plane reſecti fuiſſent; neutiquam vero ejusmodi tendines denuo conglutinatos adſtruit, prout *Severinus* innuit. Cujus erroris *Petrus de Marchettis Obſerv. 63.* non ſolum *Severinum* arguit, ſed & perſtringit, quod ipſam tendinum ſuturam commendaverit.

Felix Wurtz cum propria, tum aliorum aſſeverat experientia, tendines penitus diſſectos ſuturæ adminiculo coaleſcere.

Doctiſſimus atque ſolertiſſimus *Johannes Veslingius in Epiſt. 15. ad Fabricium Hildanum* perſcripta, (ubi Galenum de tendinum vulnere parum ſibi conſtare, e diverſis monſtrat locis) exemplum aliquod noſtro haud abſimile adducit, *vidi*, inquiens, in *parentis mei amanuenſe Othone Loſero tendinem a gaſterocnemiis & ſoleo muſculis conflatum, paulo ſupra calcis os diſſectum, ſuturis aliquot a Chirurgis*

conjunctum. In Arabe item, (adjungit) *cui acinace tendo a tibiæ extenſoribus conſtitutus transverſim ſub patella genu vulneratus, ſimilem in modum a Tunitario Chirurgo adducebatur. Deteſtabar hominum audaciam: ſed felix ſucceſſus & vix notabile a peracta curatione detrimentum timoris vanitatem arguebant.*

Dn. Bienaiſe tendinum diſſectorum futuram perhibetur in uſum revocaſſe. *Miſcellanea Acad. Nat. Cur. Dec. 2. A. 3. Obſ.* 121. & *Dn Verduc* rationem, qua eandem ille adminiſtraverit, diverſimode exponunt; methodus tamen prior in *Miſcellaneis* indigitata voto haud reſpondere videtur, nec altera, quam *Verduc* tradit adeo certa eſt & evidens.

Dn. Vauguion in Operationibus Chirurgicis (Anglice nuper verſis) exhibendo modum *Dn. Bienaiſe*, veſtigiis *Dn. Verduc* inſiſtit; uterque videlicet in eo conſpirant, unam tendinis reſecti extremitatem ſuper alteram eſſe adducendam, quod tamen in præſenti caſu haud factum, nec aliis occaſionibus id neceſſarium reputo, neque proficua tot in ſutura tendinum ſplenia, de quibus verba faciunt in ipſis eorum ſcriptis legenda.

Equidem præter hos & alii habentur, qui operationes Chirurgicas Gallice deſcribentes rationem conſuendi tendines oſtendere præſumunt, in *Dn. Bienaiſe* methodo tamen videntur acquieſcere.

Nuck in Operationibus Chirurgicis inter alia ſequentibus eam exprimit verbis. *Parte læſa decenter locata duobus in locis unamquamque tendinis extremitatem perforamus, filumque ſericum cera obductum trajicimus; hinc interpoſita ſuberis aut corii particula extremitatum adductio filorumque adſtrictio certior redditur, neque etiam tendinis extremitates adeo facile, ac omni ſplenio omiſſo, lacerantur*; num vero alterutra tendinis extremitas ſuper alteram debeat adduci, ne verbo quidem innuit.

Aſt quamvis tot Scriptorum autoritas ex parte apud me prævaluiſſet, ut de ſucceſſu ejusmodi operationis bene ſperarim, aliorum tamen non infimi ſubſellii contradictiones animum tenuiſſent ſuſpenſum, niſi aliquando in tendine tibiæ equinæ inſignia vaſa ſanguifera videre licuiſſet; tunc enim perſuadebar, tendines etiam plane diſſectos, æq; ac oſſa & alias partes, poſſe conglutinari, modo partes vicinæ illæſæ & duo tendinis extrema, ſolerter ſibi invicem ſine

ulla

ulla vel ſaltem notabili vaſorum ſanguineorum compreſſione, adductæ eſſent. Diſtributionem vaſorum ſanguiferorum repræſentat adjecta *Figura 2.* in qua truncus A A cum ramis *a a* ad tendinis fibrillas B B protenſis exhibetur; num autem vena eſſet, an arteria, in iſto quidem ſubjecto haud poteram diſcernere; probabiliter tamen in ejusmodi magno tendine utrumque vaſorum genus ſimili diſpenſatur ratione. Eo nihilominus inclinat ſententia, parilem vaſorum ſanguiferorum diſtributionem in præſentis exempli tendine diſſecto haud reperiri, ſed vaſa ejus ſanguiflua interne prope digitorum ac tarſi muſculos accedere & recedere. Id quod ab eo notandum, qui in ſimili caſu operationem aggreditur, ne pinguedinem & membranas prope dictos muſculos a tendine ſeparando communicationem hujus cum vaſis ſanguiferis una tollat. TAB. I. Fig. 2.

RELATIO DE MACHINA A THOMA SAVERY inventa, aquam ope ignis attollente.

Ex Actis Philoſophicis Anglicanis, menſe Junio 1699, ſive No. 253. pag. 228.

DN. Savery die 14. Junii 1699 exhibebat coram Regia Societate exemplar machinæ aquam ignis ope elevantis, & experimentum ejus rei faciebat, eo ſucceſſu, ut Societatis expectationi reſponderet, ab eaque approbaretur. Machinæ ſtructuram ex figura adjecta licebit cognoſcere. Ubi

Fig. 3. Frons eſt machinæ aquam adminiculo ignis attollentis. TAB. I. Fig. 3.

A. Fornax.

B. Ahenum.

C. Epiſtomia duo, quæ dum vertuntur, vapores transvehunt in vaſa D.

D. Vaſa aquam e fundo recipientia; eandemque devehentia ad ſummum.

E. Valvulæ.

F. Epiſtomia aquam detinentia, dum valvulæ forte expurgantur.

G. Pellens tubulus.

Digitized by Google

H. Tubulus ſuctorius.

I. Aqua.

Fig. 4. Proſpectus lateralis ejusdem machinæ.

CONSILIORUM TUBINGENSIUM VOLUMEN V. Quod nomine Ampliſſimæ Facultatis Juridicæ in antiquiſſima Eberhardina adornavit FERDINANDUS CHRISTOPHORUS HARPRECHT U. I. D. & P. P.

Tubingæ impenſis Philiberti Brunnii Bibliopolæ Viduæ, 1699. in fol. 2. alphab.

QUam gnaviter in utiliſſima Conſiliorum Tubingenſium elaboratione pergat Illuſtris Autor, Volumen hoc quintum, quatuor prioribus, Conſilia 66 complexis, alibique a nobis relatis, ſedecim adjiciens, ſatis teſtatur. De intentione & ſcopo Conſultiſſimi Autoris alias diximus; quare quemadmodum ille, inſuper habito voluminum diſcrimine, in contexendis Conſiliis ſerie non interrupta progreditur, ita exemplis olim relatis nunc aliqua breviter heic jungemus. In Conſilio 67, quod hujus voluminis primum eſt, de bonis fideicommiſſo familiæ obnoxiis, intuitu liberæ Imperii Civitatis Isnenſis agit Noſter. Nimirum ſtatuto Isnenſi cautum eſt, ut civis emigrans de bonis immobilibus retentis, triplicatam collectam annuam, loco emigrationis cenſus exſolvat, ac, ſi poſt lapſum anni, a tempore factæ emigrationis, eadem alienare vel nolit vel nequeat, impoſterum, velut Forenſis, duplicatas collectas annuatim pro iis pendat, de cætero vero ab omnibus aliis oneribus, quæ pro ratione neceſſitatum, civibus longe ultra duplicatarum collectarum quantitatem quandoque imponuntur, immunis ſit, Magiſtratui autem vel Civibus Iſnenſibus competat facultas bona illa immobilia, poſt dicti anni lapſum, eo pretio, quo civis emigrans ea in cataſtrum referri curaverat, comparandi. Hic igitur quæſitum fuit, *an ſtatutum illud ad bona fideicommiſſo familiæ obnoxia quoque, vel ratione Civis emigrantis, vel Magiſtratus & Civium Iſnenſium pertineat?* & putat Noſter, neque naturam bonorum

rum fideicommiſſo familiæ obnoxiorum in genere, neque teſtamenti, ex quo fideicommiſſum, de quo quærebatur, dependebat, diſpoſitionem obſtare, quo minus illud etiam huc applicari debeat; hinc & civem emigrantem, ſoluto emigrationis cenſu, deinceps, quamdiu *illa bona* retineat, frui Forenſium beneficio, & eum ſuo modo *eadem* poſſe alienare, ac Magiſtratum quoque & Cives Iſnenſes *facultate* illa comparandi non minus gaudere, prolixe deducit. In Conſilio 69 explicat Conſultiſſimus Autor, quænam debita ad abſolute privilegiata, i. e. in concurſu creditorum ad primam claſſem referenda ſint: deinde docet, quod, ſi bona debitoris ne his quidem creditoribus privilegiatis ſufficiant, hi *neque* juxta prioritatem temporis, nec ordinem ſcripturæ, in ſtatutis obſervatum, locandi ſint, ſed potius pro rata debitorum ſinguli aliquid conſequantur. In Conſilio 73 proponit caſum, quo pater illuſtris duas filias heredes inſtituerat ea conditione, ut ſi natu minor abſque liberis decederet, ejus portio, excepta legitima, ad ſororem natu majorem, *vel* ipſius liberos recideret. Poſtea mater filiæ juniori, pro augmento legitimæ paternæ, 2000 fl. legaverat, eo ſcilicet caſu, *ſi juxta* fideicommiſſum paternum, abſque liberis decedens, nihil niſi legitimam lucraretur. Quærebatur, an filia minor legatum 2000 fl. petere queat, antequam ſine liberis deceſſerit? quod negatur, cum ſit legatum conditionale, adeoque ante conditionis exiſtentiam, petitio ejus ceſſet. Conſilium 75 prolixiſſimum eſt, ac uſq; ad 731 numeros excreſcit, in quo Noſter expendit caſum, quo Barones Kielmanseggii ab Henningii, mercatoris Hamburgenſis, heredibus, ex cauſa mandati, debitum 100000 thalerorum una cum intereſſe, ad alterum tantum fere excurrente, petebant, lite eo nomine ac ſuo ordine ad Cameram Imperialem devoluta. Sed Noſter Perilluſtres Actores ne quidem ſemiplene debitum probaſſe, nec adeo ad juramentum ſuppletorium admittendos, ſed reos potius ab actione inſtituta abſolvendos eſſe oſtendit. In Conſilio 78 deducit Noſter, quod, teſtamento per agnationem poſthumi rupto, *legata* ex veriori ſententia ſimpliciter etiam corruant, clauſula vero codicillaris adjecta eadem non aliter ſuſtineat, quam ſi teſtator uxoris ſuæ graviditatem ſciverit, ſecus quam jure Wurtembergico, juxta quod virtute clauſulæ codicillaris legata in teſtamen-

to

Digitized by Google

to rupto relicta ſimpliciter valeant. In Conſilio 82 periculum rei venditæ, venditione perfecta, ad emtorem, licet venditor dominium rei, donec pretium exſolvatur, ſibi reſervaverit, pertinere, & hoc omne cum regulis æquitatis naturalis optime convenire, demonſtrat.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS Eccleſiaſtiques,

i. e.

BIBLIOTHECA NOVA SCRIPTORUM ECCLESIAſticorum, auctore LUDOVICO ELLIES DU PIN. Tomus X,

Pariſiis apud A Pralard, 1700. in 4. Alph. 1½.

SEculi decimi tertii Scriptores Eccleſiaſticos dum tomo decimo nunc exhibet Auctor doctiſſimus, more ſuo alia quoque Hiſto-
Cap. I. riæ Eccleſiaſticæ capita accurate proſequitur. Uberrimum autem differendi argumentum hic ſtatim ab initio illi præbent parum proſpera Friderici II Imperatoris fata, contentionesque quæ cum Romanis illi interceſſere Pontificibus; in quibus enarrandis, quo pacto Auctor ſe gerat, ut & quousque, quæ comperta ſunt, & Scriptorum fide dignorum teſtimoniis luculentiſſimis comprobata, ſuo quoque ſubinde calculo confirmet, ut omnibus pateat, pauca delibabimus. Primum litis inter Imperatorem atque Honorium III excitatæ cauſam, ex eo enatam fuiſſe obſervat, quod duos Etruriæ Comites ditionibus ſuis ſpoliaſſet Fridericus, qui Romam ſe receperint: cauſam tamen, quæ ut hoſce Comites durius haberet, Fridericum impulerit, non addit. Sed cum Bononia inſuper, aliæq; Italiæ urbes, ut porro Auctor docet, jugum quaterent, inſurgerentque contra Imperatorem, id jam palam egit, ut hoſtilem erga Pontificem declararet animum, eamque ob cauſam Epiſcopos, Archiepiſcoposque eccleſiis præfecit, expulitque eos, qui a Romanis Præſulibus erant conſtituti, obtendens gaudere hocce jure Siciliæ Reges, quo Innocentius III, ſe pueritiæ annos nondum egreſſo, uti cœpiſſet.
Com-

Digitized by Google

Comminationes valde atroces hinc ſubſecutæ Romani Pontificis, quibus cum parum moveretur Fridericus, excommunicationis in eum vibravit fulmen Honorius, a quo tamen non tantum poſtea eum abſolvit, ſed & Regem utriusq; Siciliæ & Hieroſolymorum declaravit. Honorium excepit Gregorius IX, quem ſacris interdixiſſe Friderico conſtat, quod, cum toties promiſſam in Palæſtinam expeditionem vix tandem ſuſcepiſſet, ſtatim tamen domum reverſus eſſet. Ita enim nonnulli rem iſtam referunt, quos etiam Auctor ſequitur. Fridericus hinc magnam animo concepit indignationem, litterisque ad Chriſtiani orbis Reges Principesque, Cardinales quoque, ut & populum Romanum promulgatis, de iſta excommunicatione graviter conqueſtus eſt, ſimul tamen denuo conſilium proficiſcendi in Palæſtinam cepit. Tantum tamen abeſt ut iram Pontificis placaverit hac ratione Imperator, ut potius irritaverit vehementius. Namque non tantum in gratiam eum recipere detrectavit, ſed ſacri quoque ordinis Equitibus mandavit, ut adventanti in Syriam Friderico arma opponerent, cruciatos autem milites Lombardiæ & Apuliæ, ne exercitui Friderici ſe adjungerent, prohibuit. Bellum hinc inter Pontificem ac Imperatorem ortum, hunc interrumpere felices progreſſus in Palæſtina, initisque cum Saracenis induciis, redire in Italiam coegit. Fatetur Auctor, iis legibus initas has inducias eſſe, quæ omnino e re Chriſtianorum eſſent, cum per eas urbem regnumque Hieroſolymitanum, templo & aliquot caſtellis exceptis, Friderico conceſſerint Saraceni. Nihilo ſecius Romanum, ut porro refert, male habebant Pontificem, quippe cui magno crimine ſe obſtrinxiſſe Fridericus videbatur, quod cum infidelibus inducias pepigiſſet, adeoque ut contra Fridericum inſurgerent armaque caperent, ſubjectos ei concitavit. Quæ dum optima fide Auctor doctiſſimus enarrat, non diſſimulat, non probari ſibi ejusmodi Romanorum Pontificum facinora, proculque ſe abeſſe ab illorum moribus, qui quo magis emolliunt, quæ a Pontificibus admiſſa ſunt, eo iniquius recte etiam & præclare ab Imperatoribus facta perſtringunt, hinc & fœdus illud Friderici cum Saracenis vituperant, idque Chriſtianis parum profuiſſe contendunt: a quibus diſſentit Auctor celeberrimus, & in aliam ingreditur ſententiam. Bellum autem Pontificem inter & Imperatorem ortum, eo ſucceſſu gerebatur,

Digitized by Google

tur, ut huic fortuna magis quam illi favere videretur; quod ipſum tamen non obſtitit, quo minus Fridericus redire cum Pontifice in gratiam cuperet. Et rediit ſane; ſed non diuturna iſta fuit concordia. Namque (ex mente Auctoris loquimur) cum Romani contra Pontificem inſurgerent, Fridericus huic ſuppetias laturus occurrit, cumq; iſta promptitudine inſignem apud Pontificem initurus gratiam videretur, contra accidit, ut novis ſimultatibus in mutua odia concitarentur. Pontifex namque objiciebat Friderico, quod Romanis potius faveret quam ſibi; Fridericus autem contendebat, Pontificem ſubdole Romanis ſignificaſſe, quod ſe invito & inſcio Fridericus prope Viterbium eos aggreſſus eſſet; addebatque, Pontificem nulla ſui habita ratione, præter jus atque fas cum Romanis rediiſſe in gratiam. Quo pacto auctæ hæ ſimultates ſint, ut in apertum tandem eruperint bellum, non commemorabimus, cum res nota ſit illis, qui non rudem plane ex hiſtoriarum monumentis retulerunt animum; id ſolum adjungimus, quod Auctor præclare obſervavit, cum Gregorius Pontifex ad excommunicationis fulmen tandem recurreret, Legatosque in Galliam mitteret, qui Roberto Comiti, Ludovici S. G. R. fratri, Imperatoriam dignitatem offerrent, Regem voluntati Pontificis plane non annuiſſe, ſed reprehendiſſe contra vehementer Pontificem, quod tantum Principem, nullius criminis convictum, Imperatoria ſpoliare dignitate, omnibusque exuere ditionibus auſus eſſet. Verba ipſa, quibus Proceres regni Gallicani ſuam Regisque ſui de hoc Pontificis facinore ſententiam luculenter atque aperte expoſuerunt, prolixe Auctor refert. Miſit tamen Ludovicus Legatos ad Fridericum, qui ejus de religione Chriſtiana ſententiam exquirerent; quibus ſancte affirmavit, ſe ita ſentire & ea credere, quæ hominem Chriſtianæ & Catholicæ Eccleſiæ addictum credere atque ſentire deceat. Quæ cum intellexiſſet Ludovicus, moleſtiam ullam Imperatori faceſſere religioni ſibi duxit. Aſt Pontifex nondum conquievit, bellumque, in quod exarſerant, licet ſuperior fere in eo eſſet Fridericus, non tamen niſi morte Gregorii finiri potuit. Obiit autem is die 30 Sept. anno 1241 Succeſſit illi Cœleſtinus IV, cujus mors præmatura ſpem pacis atq; concordiæ, quam omnibus polliceri videbatur, rurſus intercepit. Hunc autem Innocentius IV excepit, quem hoſtem graviſſimum acerrimum-

mumque expertus eſt Fridericus, cum tamen, priusquam ad Pontificatum eſſet evectus, eum admodum ſibi faventem habuiſſet. Is poſtquam in Galliam ſe recepiſſet, humaniſſimeque a Ludovico Sancto G. R. exceptus eſſet, Lugduni concilium indixit anno 1245. Comparatum id eo fuiſſe, ut Fridericus condemnatus, ſolenni ritu imperio exueretur, pœnasque violatæ Pontificis ſanctitatis daret, nemo non intelligebat, & Auctor quoque prolixius commemorat, ex quo quæ hocce in concilio acta ſint, utut lectu memoratuque ſint digniſſima, nobis tamen repetere non licet. Id conſtat, obtinuiſſe tandem Pontificem, quod voluit, damnatumque in eo concilio fuiſſe Fridericum, objectumq; illi fuiſſe primo perjurium, quod concordiam Eccleſiam inter atque Imperium non ſarciviſſet, licet jurejurando ſe ad hoc obſtrinxiſſet; deinde ſacrilegium, quod intercepiſſet Præſules ad concilium Romanum a Gregorio celebrandum contendentes; ac denique hæreſin, quod fidem Pontifici datam violaſſet, auctoritatem Romanæ ſedis habuiſſet in minimis, ditionem ejus invaſiſſet, & alia ejusmodi, id unice arguentia, quod Romani Pontificis deſideriis ubique non geſſiſſet morem. Hæc ita refert Auctor, ut tamen non diſſimulet, quæ Fridericus hiſce repoſuerit, ut tum innocentiam ſuam demonſtraret, tum Romanum Pontificem muneris ſui poteſtatisque limites transgreſſum eſſe, comprobaret. Adjungit quoque ea, quæ tum in Sicilia tum in Germania poſtea geſta ſint, hiſtoriamque Imperii noſtri usque ad Albertum juſta ſerie proſequitur.

Romani poſthæc ſequuntur Pontifices, quorum vitas atque ſcripta more ſuo Auctor ediſſerit. Has autem celebriores excipiunt Scriptores, qui in Eccleſia Occidentali quandam nominis celebritatem ſunt conſecuti. Quos inter nonnulli, ne ſilentio eos plane prætermittamus, omnino ſuo quodam jure a nobis exigunt. De Joachimo itaque Abbate Floriacenſi, qui primum inter eos locum occupat, obſervat, a nonnullis quidem eum ut vatem celebrari, ſed Guilielmum Pariſienſem, Thomam de Aquino, Trithemiumque negare, quod prophetiæ dono fuerit inſtructus, etſi concedant, eum prudentia ſingulari fuiſſe præditum, qua eventus rerum futuros perſpexerit, prædixeritque. Prædictiones ejus de quibusdam Pontificibus, quarum mentionem injiciat Trithemius, easdem eſſe, quæ ſæpius Cap. II. III. IV.

Digitized by Google

ſint impreſſæ: aſt Explicationem libri, qui Cyrillum quendam auctorem agnoſcat, de magnis calamitatibus, ſpuriam eſſe atq; ſuppoſititiam. Reliquas prædictiones Trithemio commemoratas hodie non comparere. Franciſcus, celeberrimi ordinis, qui ab eo nomen retulit, auctor conditorque, inter ſeculi hujus doctores cumprimis quoque eminet, nec Auctori noſtro prætermittitur, cui ſatis eſt ſcripta ab eo edita paucis indicaſſe. Sed Lincolnienſi quoque Epiſcopo Roberto Groſtead locus inter claros ſeculi hujus doctores non eſt denegandus. Namque quam cordate Romano Pontifici Innocentio IV, Fridericum de Lavania Eccleſiæ Lincolnienſi, ut in Canonicorum numerum, licet ea nondum ætate eſſet, quam leges eccleſiaſticæ requirebant, reciperetur, obtrudere conanti, Robertus hicce ſe oppoſuerit, ex Auctore intelligere licet, qui integram ex Matthæo Pariſienſi Roberti hujus ad Pontificem epiſtolam repetit, qua acriter ejusmodi Romanorum Præſulum auſus perſtringit. Addit ex eodem Matthæo Pariſienſi, vehementer hinc commotum Pontificem, magnam animo contra Robertum huncce concepiſſe indignationem; aſt interceſſiſſe Cardinales, atque demonſtraſſe Pontifici, parum conſultum eſſe, Virum doctrina atque morum ſanctitate florentem, pro juſta inſuper cauſa magno animo dimicantem, irritare; & ita ad mitiora conſilia Pontificis flexisſe animum. Sed Henricum tamen Knichtonium hic diſſentire obſervat, quippe qui auctor ſit, excommunicationis fulmen in Robertum vibratum fuiſſe, quo tamen neutiquam adduci potuerit, ut a ſententia ſua diſcederet. Robertum excipit Guilielmus Epiſcopus Pariſienſis, quem tum ob mores integros atque ſanctos, tum ob ſolidam doctrinam præſtantiſſimis itidem ſeculi hujus doctoribus annumerandum eſſe contendit. Scripta ejus dum prolixe recenſet, inter alia quoque librum ejus de beneficiorum ſeu munerum eccleſiaſticorum collatione commemorat, in quo acriter & erudite illum contra eos diſputare refert, qui fas eſſe ſtatuunt plura munera ſeu beneficia conjungere; hoſce enim id tantum agere, ut ſuis commodis conſulant, non autem conſiderare, quid hominum, quibus præeſſe ſacri ordinis viri jubentur, ſalus poſtulet. Sermones qui Guilielmo huic vulgo tribuuntur, & in Tomo II Operum ejus extant, Guilielmo Peralto noſter vindicat. De Vincentio Bellovacenſi dum verba facit, diſquirit, num Speculum ejus

Digitized by Google

jus morale ipſi Vincentio, an vero Thomæ de Aquino tribuendum ſit? Namque contineri in illo nihil fere aliud, quam quod Thomas in Secunda Secundæ doceat; quominus tamen dici queat, Vincentium ex Thoma ſua ſuffuratum eſſe, obſtare rationes temporum: Thomam enim de Aquino mortuum eſſe A. 1274, Summamque ab eo conſcriptam inter ultima ejus opera eſſe referendam; Vincentium autem jam anno 1256 ſupremum obiiſſe diem. Has difficultates quo pacto viri docti ſuperare contendant, refert, ipſe tamen nihil definit, judiciumque lectori permittit. Celeberrima porro in Scholaſticorum ordine ſunt nomina Alexandri ab Ales, Bonaventuræ & Thomæ de Aquino, de quibus Auctor ita diſſerit, ut de ipſorum ſcriptis maxime ſit ſolicitus. Et de Thoma quidem dum verba facit, num Summa, ut vocatur, tripartita, eum agnoſcat auctorem, diſputat. Launojum enim id negaſſe, eo quod Clemens VI Pontifex, ſcripta Thomæ accurate & ſummo ſtudio enarrans, nullam tamen hujus libri injecerit mentionem. Sed ſuffragatur tamen Natali Alexandro (cujus peculiaris extat de ſcriptis Thomæ diſſertatio T. VII p. 391 & ſeqq. editionis noviſſimæ) teſtimonio Guilielmi de Thoco, Guilielmi Lamarenſis, Ægidii Romani, Johannis Teutonici, Demetrii Cydonii (qui hunc librum in ſermonem Græcum, docente Auctore, transtulit) aliorumque, Summam illam Thomæ aſſerenti. Famam quoque perennem hoc ſeculo hiſtoria Angliæ ſumma fide ſcripta conſecutus eſt Matthæus Pariſius ſeu Pariſienſis dictus, ſive quod Pariſiis natus eſſet, ſive quod ibi literis incubuiſſet. Auctor noſter de eo ita pronunciat, ſtilum quidem ejus barbarum eſſe, pro iſtius temporis genio, eum tamen judicio & facultate cuncta diſcernendi fuiſſe præditum: ſumma libertate eum in factis Principum, quos ea ætas tulit, enarrandis uti, omnia tamen accurate enarrare, nec prætermittere quicquam eorum, quæ ſcitu ſint neceſſaria; præterea nihil eum aſſerere, quod non documentis fide dignis comprobet. Sed reliqui Auctores obſcuriores ignobilioresque ſunt, quam ut nos occupare diutius queant: quare ad alia progredimur.

Quæ de ſcriptoribus Græcis hujus ſeculi, & fruſtrà tentata Græcæ ac Romanæ Eccleſiæ unione, itemque de conciliis exponit, ne prolixiores ſimus quam decet, prætermittimus. Hisce autem ordine enarratis, contentiones Dominicanorum & Facultatis Theo- **Cap. V. VI. VII.**

 logicæ

logicæ Pariſienſis inde ortas, quod illis locus in Academia Pariſienſi & facultas docendi Theologiam denegaretur, ediſſerit. Eminuit in certamine Guilielmus de S. Amore, qui Dominicanis acriter reſtitit, illorumque in ſe ita concitavit odia, ut in eum unice deinceps tela ſua dirigerent. Guilielmus, ut Auctor porro refert, librum ſcripſit de *periculis*, ut titulus habet, *ultimorum temporum*, in quo dum ſigna Pſeudoprophetarum ediſſerebat, haud obſcure Dominicanos perſtringebat; qui ne ſibi deeſſent, neve impune Guilielmus eos laceſſere videretur, tum ex hocce libro, tum ex aliis ejus ſcriptis varia collegerunt, quibus hæreſeos illi notam inurerent. Habebant autem Dominicani faventes ſibi Pontifices, faciliq; adeo negotio ab illis decreta impetrabant contra Guilielmum, ipſamq; Academiam Pariſienſem. Quibus tantum abeſt, ut lites illæ ſtatim conſopitæ ſint, aut frangi animus Guilielmi potuerit, ut eadem potius alacritate Dominicanorum, aliorumque Ordinum vitia perſtringeret. Operæ

Cap. VIII. pretium fuerit apud Auctorem prolixius hæc omnia legere. Ceterum & Almaricus ea ætate talia docuiſſe perhibetur, quæ a recepta Eccleſiæ ſententia abirent. Et Auctor quidem erroris eum ideo damnatum fuiſſe refert, quod docuerit, cuilibet Chriſtiano hoc non minus ac fidei quoddam caput credendum firmiterque tenendum eſſe, ſe eſſe membrum Jeſu Chriſti. Fuiſſe tamen addit ex ejus diſcipulis, qui alios quoque errores priori adjunxerint, quos inter & hos refert, quod præſentiam corporis Chriſti in S. Cœna negaverint; quod aſſeruerint, per Ovidium Deum locutum æque eſſe ac per Auguſtinum; quod Romanum Pontificem vocaverint Antichriſtum, Romam Babylonem, Clericos membra Antichriſti, & quæ ſunt id genus alia. Subjungit hiſce fata, quæ Ariſtotelis ſcripta eo tempore ſubierunt. Libros enim Phyſicorum atque Metaphyſicorum Conſtantinopoli allatos, translatosque in ſermonem Latinum, combuſtos fuiſſe narrat, confirmaſſeque hoc Academiæ Pariſienſis decretum Romani Pontificis Legatum, qui tamen permiſerit, Dialecticam Ariſtotelis doceri. Factum id fuiſſe A. 1215. Aſt A. 1231 Gregorium IX Pontificem denuo quidem prohibuiſſe lectionem horum librorum, aſt ea lege, niſi tollerentur quæ contraria in illis eſſent religioni Chriſtianæ. Simonem tamen Legatum Pontificis A. 1265 denuo confirmaſſe prius illud decretum A. 1215 factum.

Tan-

Digitized by Google

Tandem A. 1366 librorum Phyſicorum Ariſtotelis lectionem, æque ac ceterorum, permiſſam fuiſſe. Redit hinc ad illos, qui hæreſeos fuerunt ea ætate ſuſpecti. Quos inter nonnulli & Joachimum Abbatem referunt, quem tamen alii defendunt, & ab hæreſi omni abſolvunt. Auctor noſter refert, eum multa acriter contra corruptos ac depravatos ſeculi ſui mores dixiſſe, hominesque adhortatum fuiſſe, ut ad majorem perfectionem, quam quæ in plerisque deprehenderetur, contenderent. Hinc nonnullos inductos fuiſſe, ut crederent, atque docerent etiam, imperfectam eſſe legem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, eamq; abrogandam eſſe, ut locus relinqueretur legi Spiritus S. longe quippe perfectiori: edidiſſe quoq; quendam ex illis librum, cui titulum fecerit *Evangelium æternum*, in quo cum alii, tum hic præcipue deprehenſus fuerit error, quod lex Chriſti imperfecta eſſet, perfectior autem longe lex Spiritus S. in ejus locum ſucceſſura. De auctore hujus libri nihil definire audet, aſt id obſervat, magno eum paſſim exceptum applauſu, *tandem* a Pontifice Alexandro IV A. 1256 igni adjudicatum fuiſſe. Propugnatores hujus libri Joachitas, vel potius Joachimitas dictos, eosdemq; condemnatos fuiſſe in concilio Arelatenſi A. 1260. Agmen inter eos, qui pro Hæreticis habentur apud Auctorem, claudunt Albigenſes, qui & Valdenſes dicti ſunt. Horum non tantum exponit originem, erroresq;, qui illis vulgo aſſignantur, refert ſed belli quoque ſacri, juſſu Innocentii III contra eos ſuſcepti, hiſtoriam texit. Et ad errores quidem eorum quod attinet, fatetur, initio quidem, in nullo doctrinæ capite ab Eccleſia Romana diſſenſiſſe Valdenſes, cum illis nihil aliud conſtitutum fuerit, quam ſanctiori quodam ſeverioreque vitæ genere, & voluntaria paupertate, ad Chriſti legem ſe componere, idque accuratius & majori ſtudio, quam vulgo fieri videbant: mox tamen, cum decretis acerbioribus Pontificum obtemperare nollent, contra hujus eos inſurrexiſſe auctoritatem, & tum alios quoque eos errores, ut vocat, admiſiſſe, quorum tamen ſumma eo fere redit, quod convitiis ordinem Clericorum laceſſiverint, de Sacramentis Eccleſiæ non recte docuerint, uti nec de Sanctis, & ceremonias ac ritus Eccleſiaſticos rejecerint. Ita remoto ſemel repagulo, non hic eos ſubſtitiſſe, ſed procurriſſe longius, multosque inter eos extitiſſe, qui nova dogmata procuderint, non tamen ſtatim omnibus approbata, ut adeo difficile ſit ea deſignare Cap. IX.

Digitized by Google

gnare capita, in quibus omnes conſenſerint. Juxta Alanum tamen Ciſtercienſem Monachum & Petrum Monachum de valle Cernay, ſequentes tandem errores pleriſque fuiſſe communes: quod duo rerum principia, bonum unum, alterum malum admiſerint; quod duos quoq; ſtatuerint Chriſtos, unum quidem malum, qui in hoc terrarum orbe comparuerit, bonum alterum, qui a mortalibus nunquam fuerit viſus; quod corporum noſtrorum negaverint reſurrectionem, crediderintque animas dæmones eſſe, corporibus ad luenda crimina ſua incluſos; quod omnia Eccleſiæ Romanæ rejecerint Sacramenta, purgatorium inter commenta retulerint, ritusque & ceremonias Eccleſiæ damnaverint. Ceterum non tantum Romanus Præſul excommunicationis fulmine Albigenſes percuſſit, ſed & vi redigere reluctantes ad obſequium anniſus eſt, militesque cruciatos capeſſere arma juſſit, ſimulque Dominicanis Monachis facultatem hinc inde latitantes protrahendi in lucem, ſupplicioque eos afficiendi, conceſ-
Cap. X. ſit. Adeoque Inquiſitionis originem hinc Auctor arceſſit, dum more ſuo obſervationes Eccleſiaſticas ſubjungit: in quibus dum verſatur, cenſuras quoque Facultatum Theologicarum in Academiis hoc ſeculo initium ſumſiſſe, ut hac ratione libido eorum, qui ingenii oſtentandi cauſa ſubinde docebant, quæ a recepta Eccleſiæ doctrina multum diſcrepabant, coerceretur, docet.

HISTOIRE DE HENRY II DERNIER DUC DE MONTMORENCY &c.

i. e.

HISTORIA HENRICI II ULTIMI DUCIS MONTMORANCII.

Pariſiis apud J. Guignard, 1699. in 8. Alphab. 2.

INter illuſtriores familias, quibus Galliarum regnum maxime ſuperbit, caput efferre dignoſcitur Montmorancia, quippe quæ tum antiquitate gentis, tum numeroſa Heroum inde progenitorum ſerie tantopere excelluit, ut non immerito Henricus IV Rex exiſtimaverit, deficiente ſtirpe Borbonia non eſſe aliam in Europa digniorem

Digitized by Google

orem Corona Gallica quam Montmoranciam, quandoquidem tot viri fortes ex ea profecti illam cum ſanguinis vitæque jactura nunquam non conſervaſſent atque auxiſſent. Id modo dolendum eſt, pari fato laborare inclytam Gentem ac multas alias in ſummo celebritatis faſtigio poſitas, quarum originèm certis atque indubiis argumentis evincere difficillimum fuerit. Quæ enim de primo clariſſimi nominis conditore vulgo circumferuntur, adeo ambiguæ illa ſunt fidei, ut citius Arioviſti aut Brenni majores exploraveris, quam Montmoranciorum progeniem in aprica luce ſtiteris. Sunt qui a Comite quodam Maſſilienſium, cui nomen fuerit Mauromto, eam derivant; ſunt quoque qui a Mauringo, viro Ludovici Pii ætate clariſſimo, accerſunt. Quibus nihil in hiſtoria gratum, niſi quod Equitum errantium ſecula redolet, juſto confidentius aſſerunt, quendam e primis Montmoranciæ ſtirpis ſatoribus in memoriam Regis Mauritanorum in prælio forte a ſe interemti caſtellum exædificaſſe, eique ab iſto fortitudinis documento nomen indidiſſe contractis his verbis, *mon Maure occis*. Alii, inter quos agmen ducit Paulus Æmilius, exiſtimant, Morentium vel Morantium, genere Romanum, in clivo, ubi nunc conſpicitur, urbis fundamenta jeciſſe: cum autem frequenti uſu ita obtinuerit, ut loca a conditoribus ſuis ac ſitu denominationem ſortiantur, ſicuti Mons Deſiderii, Rupes Falconis (Montdidier, Roche-Foucaut) aliæque urbes innumeræ comprobant, hinc quoque vicum Montmorancium cum fundatoris nomine ſitum ſuum indigitare. Doctius rem indagaſſe ſibi viſus eſt celeberrimus ſtemmatographus Andreas du Chesne, dum natales iſtius nominis a Mauritasgo quodam, antiquo Gallorum Principe, fratre Cavarini Senonum Regis, cujus Cæſar Lib. 5 Comment. de Bello Gallico meminit, vel ab alio quodam majorum ejusdem nominis deduxit, qua in parte conjecturæ ſuæ fundamentum ſubſtrui putavit, quod Dynaſtæ Montmorancii ampliſſimas olim ditiones in agro Senonum tenuerint, quodque poſt tot ſeculorum decurſum, quemadmodum in aliis nominibus fieri ſuevit, facile *Mauritasgus* in *Maurentiacus*, *Maurentius*, *Morantius* degenerare potuerit. Verum cum limpidos hiſtoriarum fontes temporis injuria nobis occluſerit, neque e turbidis iſtis conjecturarum lacunis ſitim levare par eſt. Negari tamen nullo pacto poteſt, Montmoranciorum ge-

Digitized by Google

nus antiquitate nulli cedere; id quod vel exinde elucet, quod primi Chriſtiani & primi Barones Chriſtiani vulgo audiant; cujus quidem rei hæc traditio invaluit. Ferunt ſcilicet S. Lisbium, unum e progenitoribus nobiliſſimæ ſtirpis, Trajani ævo, Dionyſium Areopagitam, Lutetiam Pariſiorum properantem, hoſpitio excepiſſe, atque in fidei ſalvificæ capitibus ab eodem porro inſtructum, ad ſacellum ædificandum locum conceſſiſſe; quo ergo inſignis egregii viri zelus grata fidelium memoria recoleretur, factum eſſe, ut primi Baronis Chriſtiani Franciæ elogium tulerit, poſterique ejus adhuc hodie inſignibus familiæ teſſeram militarem inſerant: *Dieu aide au premier Chretien*, hoc eſt: Deus primum Chriſtianum juvet; ſymbolo autem utantur Græca voce Ἄπλανος, i. e. Erroris expers, eo quod S. Lisbius inter Gallos a veri Numinis cognitione devios primus in rectam viam tranſiit.

Prodierunt autem e vetuſtiſſima hac proſapia multi ſtrenui ac pacis bellique artibus clariſſimi viri, quibus utut naſcendi ordine, virtute tamen minime poſterior fuerit Henricus II Dux Montmorancius, Thalaſſiarcha & Mareſchallus Franciæ, Regisque in Occitania Præfectus ac Locumtenens Generalis, cujus vitam & res terra marique fortiter geſtas præſens Anonymus accurate ſatis tribus libris conſignavit. Parentes ipſi tribuit Henricum I Ducem Montmorancii, Præfectum Occitaniæ, Mareſchallum ac Conneſtabilem Franciæ, atque Aloiſiam de Budos ex gente Portenſi. Uſuram lucis primum accepiſſe ait d. 30 Aprilis anni 1595 Chantilliaci, Regemque Heinricum IV ſuſceptorem e ſacro fonte infantem ſuo nomine inſigniri voluiſſe. Tanta poſtea in pueritia ſua Noſter excelſæ indolis, naturalis bonitatis, morumque manſuetudinis indicia, memorante Auctore, edidit, ut facile ſingulos in ſui amorem pertraheret. Hinc cum Rex, qui animi cauſa de variis ipſum ſæpe interrogabat, ab eo ſciſcitaretur, *quamnam virtutem Regi potiſſimum convenire crederet*, absque mora reſpondebat Noſter, *Clementiam*; Inſtabat ille, *quare non Fortitudinem*, *Munificentiam aliasque virtutes*, *quæ Reges condecorarent*, *nominaſſet*? At regerebat Noſter, *quoniam Regibus unice competeret aut veniam dare criminibus*, *aut in ea animadvertere*. Impenſius idcirco a Rege diligi ac filii nomine compellari meruit, nondumque ephebus factus patri viventi

in

in præfectura Occitaniæ ſucceſſor firmatus eſt. Deſtinaverat ipſi Henricus Dominam Vernolii, filiam ſuam naturalem, in uxorem, ſed repugnabat genitor, qui propterea aula excedere juſſus, filio Johannam Comitiſſam de Chemilly, magnarum opum in Britannia Armorica hæredem, invito Rege, anno 1609 condici atque in thalamum duci curavit. Verum, ut ſunt mutabilia hominum ingenia, Conneſtabilis cum emolumentis, quæ ſpe conceperat, nuptias haſce deſtitui cerneret, mox earum pertæſus, Regique, cui perſuaſerat, prius matrimonium nondum fuiſſe conſummatum, reconciliatus, ejus filiam naturalem e Gabrielide Eſtræa Catharinam, dictam Dominam Vindocinenſem, gnato ſponſam ſtipulatur. Jamque nuptiali ſacro dies præfixus erat, cum Rex nefaria Ravaillaci manu confoderetur, morteq; ſua agitata conſilia prorſus ſubverteret. Reliquit tamen ut regni, ita quoque affectus ſui erga Noſtrum, hæredem Ludovicum XIII, qui munus Archithalaſſi Franciæ, a Carolo Montmorancio Duce Damvillæ abdicatum, in eum contulit, & quo magis adhuc benevolentiam ſuam declararet, ipſi ex conſilio Reginæ matris, Mariam Felicem, e celſiſſima Urſinorum domo oriundam, per Marchionem de Trenel, Legatum ſuum in Curia Papali tum degentem, cui Procuratoris partes, novo ac non niſi abſolutæ poteſtatis Principibus familiari exemplo, mandatæ erant, verbis de præſenti Florentiæ deſponderi curavit. Antequam vero matrimonii hujus conſummationem enarret Autor, impetus juveniles Herois noſtri, ejusdemq; amores furtivos, quibus Pedenatii, urbe totius Occitaniæ pulcherrima, ubi cum patre frequentius commorabatur, vacavit, ſicco pede præterire noluit. Prolixus deinde eſt in recenſendo apparatu ſplendidiſſimo, quo Pariſiis, in ludis equeſtribus, in honorem nuptialis pompæ Regis cum Anna Auſtriaca inſtitutis, adeo reliquos Principes Noſter antecelluit, ut omnium oculos in ſe unice converſos haberet. Præter magnificentiæ ſtudium, inſita ipſi erat propenſio ſingularis ad juvandos amicos ac pauperes, ut liberalitatis modum fere excederet. Virtutis certe amantiſſimum eum fuiſſe, vel illud comprobat, quod cum hiſtoriarum lectione inprimis caperetur, ſegnium ac vitioſorum Principum vitas luſtrare faſtidiret, dicendo: *Mundo non alios Reges quam Alexandros aut Cæſares obtingere debere, vel tales ad minimum, qui virtutis & prudentiæ documenta ante exhibuiſ-*

hibuiſſent. Nuptias tandem cum Principiſſa Urſina, ſed reluctante nonnihil animo, Pariſiis in arce regia Lupara dicta celebravit, mortuoque patre Occitaniæ præfecturam plene adeptus iſtuc ſe contulit, curiæque ſede Pedenatii fixa, ingentem juſtitiæ atque integritatis laudem ſibi excitavit. Ea tempeſtate Petrus Giron, Dux Oſſunæ, qui Proregis Neapolitani munere defunctus erat, in Hiſpaniam rediturus iſthac iter faciebat, ac perhonorifice ubique excipiebatur. Ferunt autem, illum ad primum Montmorancii occurſum, intentos oculos in ejus vultu fixiſſe, interrogatumque ab eo, *num quid eſſet, quod in ſe reprehenderet*, reſpondiſſe, *utique, errorem nempe naturæ, quod illa, dum Regem a ſe procreari crediдиſſet, Ducem tantum genuiſſet, ſed omnibus virtutibus Regi neceſſariis inſtructiſſimum.*

Libro II Heros Montmorancius hoſtium ſuorum ſtrage victoriisque conſpicuus in ſcenam producitur, quippe qui ſtatim, poſtquam anno 1619 torque S. Spiritus ornatus eſſet, in expeditione Privatienſi, cui Reformatæ religioni addicti cauſam dederant, inprimis vero in obſidione Montalbani & Montiſpeſſuli, ſtrenuum acerrimumque bellatorem ſe probavit. Neque ita multo poſt ſpatioſius theatrum gloriæ ipſi patuit, exardeſcente bello cum Rupellanis, quo Ducem Subiſium maritimo prælio ad inſulam Ream ſuperavit, tantaque victoria potitus eſt, ut Deus tutelaris Franciæ palam nominaretur, hoſtibusque maximo terrori fieret. Bellum quoque a Rohanæo reſuſcitatum feliciter compeſcuit; ſed extinguere haud potuit inimicorum ſuorum invidiam, qui quo majorem gloriam indies colligebat, eo acrius allaborabant, ut gratia Regis illum deturbarent, partamque exiſtimationem quavis arte diminuerent. Horum anteſignanus erat Cardinalis Richelius, imperii maris, quod Montmorancius obtinebat, cupidiſſimus, adeoque ut illud deponeret, magna pecuniæ vi effecit, eodem tamen ſeipſum mox inveſtivit, diciq; cœpit commercio Gallico & rei nauticæ ſummo jure Præfectus. Duabus deinde expeditionibus Italicis interfuit, in quarum ultima anno 1630, prope Avilianum, Hiſpanos & Sabaudos devicit, brevique poſt repetita victoria apud Carinianum denuo profligavit, ut ſervati Caſalii decus ipſi in controverſiam vocari non poſſit. Reverſus inde ad inviſendum Regem, ex

(mor-

morbo Lugduni graviter decumbentem, rogatur ab eo inter alia, ut Richelii, qui tum temporis a præcipitio quam proxime aberat, fortunam vitamque tuendam ſuſciperet; quod ipſum etiam, evulſo omni vindictæ ſtimulo, generoſe præſtitit, ac Cardinalem ope ſua adjutum ab *interitu* ſervavit. Aſt indignam beneficii hujus mercedem *tulit*, ceu ex libro III apparet.

Cum enim Dux Montmorancius, in gratiam Reginæ matris, urgentibus conjugis ſuæ amicorumque perſuaſionibus, ad Ducis Aurelianenſis partes, qui Richelium extirpatum cupiebat, ſeſe applicuiſſet, eumque in Occitaniam inferiorem recepiſſet, Schombergio cum Regiis copiis in Comitatum Fuxium tendenti ad Caſtronovarium, Lauracorum urbem, Kal. Sept. 1632 occurrit, eumq; certamen declinantem, pugnæ cupiditate abreptus, cum paucis ſuorum incaute adoritur. Spiſſis autem turmarum ordinibus immixtus, cædens, feriens quicquid ſeſe offerebat, tandem procumbente equo, multisque vulneribus ipſe affectus capitur, reliquo exercitu non *impediente*; ut nullum dubium ſit, quin ſuorum perfidia Richelii machinationibus obſecundaverit. Inde Caſtronovarium primum, mox Regis juſſu Toloſam abductus, ibidem a ſuprema Curia, tanquam læſæ Majeſtatis reus, capitis damnatur. Prævalebat enim ſanguinarii Miniſtri, qui a nemine ſe impune laceſſiri hoc exemplo monſtrare volebat, inſatiabilis ambitio omnium Principum Procerumque Regni, imo Nuncii Apoſtolici ac Reginæ ipſius, apud Regem pro tanti Herois vita intercedentium precibus, tamque innumeræ res pro ſalute patriæ fortiter geſtæ unico hoc errore obliteratæ judicabantur. Iſtud gratiæ tantummodo obtinuit, ut in Capitolio Toloſano clauſis foribus ſupplicium ſubiret; in quo tam ſeriam de peccatis ſuis contritionem cordis, tam invictum animi robur, tam virilem denique mortis contemtum præ ſe tulit, ut glorioſius quenquam animam poſuiſſe nullibi compertum ſit. Summo autem mœrori fuiſſe omnibus cordatis Gallis tam indignam *Montmorancii* cædem, vel ex hoc argumento ſatis pateſcit, quod *multi lugubri* ornatu dolorem ſuum teſtari non vererentur. Concidit cum *ipſo* familia Ducalis, (cui iſtud axioma ab avo Anna Montmorancio anno 1551 modo illatum fuerat) eo quod nullam ex Urſina conjuge *prolem* ſuſcepit. Ipſi tamen ſterilitatis vitium imputari

F 3

putari poſſe negat Autor, ac memorat, eum fœminam quandam Bituricenſem aliquot liberorum matrem feciſſe, e quibus adhuc ſuperſtitem dicit filium, veram ac indubiam Montmorancii oris effigiem. Incidit vero ætas Autoris noſtri in hæc ipſa tempora, adeoque dictis ejus tanto major fides erit adhibenda, quo certius conſtat, illum variis negotiis teſtem oculatum interfuiſſe. Laudem præterea meretur, quod rebus ad inſtitutum ſuum non pertinentibus conſulto abſtinuit, ſecus atque Hiſtoricorum plurimi factitare ſolent. Sed utinam cohibuiſſet etiam judicium criticum circa enſem, Montalbani ſub ruinis templi S. Catharinæ, in ſepulcro antiquiſſimo, anno 1622 forte repertum. Hunc enim unam ulnam longum, quatuorque digitos latum, parte inſuper, quæ capulo erat vicinior, deauratum, atque epigraphe, Gothico charactere exarata, inibi conſpicuum fuiſſe tradit, hujus quidem ſenſus: UTRIQUE NOMEN PEPERI, ET MAGNO ALEXANDRO, ET MAXIMO CÆSARI. Ab altera facie: NEC VIS HERCULEA ME TERRUIT UNQUAM, DUM CONSTANTINI MAGNI FIRMAREM IMPERIUM. THEOGONIAS IIIC XX. Hinc exiſtimat paulo confidentius, quam indicia poſtulant, atque ex hiſtoria ſucceſſu parum felici aſtruere conatur, gladium iſtum indubitate Alexandrum, Cæſarem, Conſtantinum ac Carolum Magnum, tandemque Renaldum Dominum Montalbani poſſeſſores habuiſſe, atque ideo maxime venerandis vetuſtiſſimi ævi reliquiis eſſe accenſendum. Verum quid ſolidi habeant Autoris conjecturæ, Lector emunctæ naris facile ſentiet, quando illum voce THEOGONIAS artificem, qui inſcriptionem laudatam enſi inſculpſerit, venditare videt, cum tamen eadem Nativitatem Dominicam indigitari, quilibet probe perſpiciat.

JO. BENEDICTI CARPZOVII, THEOL. DOCT. & Prof. Lipſienſis, Diſputationes Academicæ.

Lipſiæ, apud hæredes Frid. Lanckiſii, 1699. 4. Alphab. 10.

QUam prudenter Reipublicæ literariæ ac ſtudiorum in quacunque Facultate cultoribus proſpiciant illi, qui diſſertationes Virorum eruditionis laude illuſtrium ſparſim antea vulgatas edi curant,

rant, ſchedasque in unum collectas ab interitu præſentiſſimo vindicant, & ipſi nos haud ſemel monuimus, & monuerunt ante nos jam dudum alii. Qua de cauſa non raro ſuperſtites etiam tractatuum ejusmodi autores atque præſides conſilium de fœtibus his ſuis hoc modo ad poſteros felicius transmittendis inierunt; quibus uti Theologum celeberrimum, ac de Eccleſia orthodoxa, noſtraque Academia, & ſtudioſa juventute quam præclariſſime meritum, Jo. Benedictum Carpzovium, Jo. Benedicti F. accenſere quondam licuit: ita mox ſub initium factæ ejus auſpiciis Diſſertationum harum editionis, morte immatura, ac nunquam ſine doloris ſignificatione a nobis memoranda, abreptum eundem anno ſuperiori fuiſſe, merito lugemus. Dum interim ſcripta Viri auro contra cariora habemus, & haſce ejus Diſſertationes, quas Magnificus illius Frater, Samuel Benedictus, quem Saxonia hodie veneratur Archi-Theologum, eruditiſſima inque inſtituti hujus ratione exponenda atque celebranda feliciter occupata præfatione exornavit, pro inſigni Actorum noſtrorum ornamento allegamus. Equidem haud eodem filo contextas, aut pari ſtudio elaboratas iſtas eſſe, Summe Reverendus præfationis Autor obſervat; quandoquidem ita fere uſu venire ſoleat, ut Diſputationum materiam eligant ſtylumque adhibeant elaborationi, qui profectus, quos in emporiis literarum acquiſiverunt, parentibus patroniſve probare volunt eruditi juvenes, quorum cum ſit diſpar ingenium, neque facultas dicendi eadem, & eruditionis denique apparatus multum diverſus, non poſſe non evenire innuit, ut neque omnes æque ſe Lectori probent. Aſt nullam certe heic deprehenſum iri nobis perſuademus, quæ a lectione varia & rerum pondere & judicio accurato (quæ ſingula aut propriæ Carpzovii noſtri elaborationi, aut ultimæ tamen ejus, quam nunquam non adhibuit, limæ debentur,) ſeſe haud commendatura ſit. Primam omnium *de arca fœderis Domini*, Jenæ ſub præſidio Jo. Friſchmuthi habuit vix ex ephebis egreſſus, cum nondum ætatis annum octavum atque decimum compleſſet. Secundam ætate non multum provectior, Argentorati ſub Sebaſtiano Schmidio de quæſtione: *quonam arca fœderis pervenerit?* ventilavit. Reliquæ vero omnes Lipſiæ, & Philologicæ quidem per ea imprimis luſtra, quibus Linguæ Sanctæ ſtudio & incubuit & publice iſtam docendo eidem præfuit; aſt Theologicæ & Polemicæ per iſtius temporis decurſum, quo Profeſſoris Theologi ſpar-

ſpartam egregie ornavit, propoſitæ ab ipſo fuerunt. Ad harum ergo Philologicarum claſſem ſpectat tertia *de nummis effigiem Moſis cornutam exhibentibus*; quarta *ad R. Moſis ben Majemon c. VII. Hilc.* עולם *num. 16*; quinta *de Gigantibus*; ſexta *de Crethi & Plethi*; ſeptima *de aſino Meſſiæ in urbem Hieroſolymam vectore*; octava *de legitima* Τετραγραμμάτȣ יהוה *lectione*; nona *de Filio hominis ad antiquum dierum delato*; decima *de chuppa Hebræorum*; undecima *de Judæorum aurea ſimia Lev. XXVI, 44.* & duodecima *de articulis fidei Judaicæ.* Theologicis autem Polemicisq; annumerandæ veniunt decima tertia *de verbis Jeremiæ Deo ſupplicis cap. XV, 16*; decima quarta *de religione Quietiſtarum*; decima quinta *de myſterio SS. Trinitatis maxime e V. T. Scriptura demonſtrato*; decima ſexta *de deſcenſu Chriſti ad inferos Eph. IV, 9, 10*; decima ſeptima *de* ὀρθοδοξία *&* ὀρθοτομία *in Eccleſiæ Miniſtro Tit. I, 9. requiſita*; decima octava *de petra fidei 2. Pet. I, 19. 20. 21*; decima nona *ad librum Auguſtini de catechizandis rudibus*; vigeſima *de vocatione Meſſiæ ad ſacerdotium, ad Pſ. CX, 4*; vigeſima prima *de non ſperanda Lutheranorum cum Pontificiis & Calvinianis unione*; vigeſima ſecunda *de vaticinio Bileami Evangelico Num. XXIV. 15. ſeqq. contra Abarbanelem*; vigeſima tertia *de Trinitate Platonica*; vigeſima quarta *de Regali fidelium ſacerdotio*; vigeſima ſexta *de Jure decidendi controverſias Theologicas*; vigeſima ſeptima *de Scripturæ S.* Θεοπνευστία *ad 2. Tim. III, 16*; vigeſima octava *de Divinitate Chriſti ex Rom. IX. 5*; vigeſima nona *de Baptiſmo ſanguinis an flaminis ad Luc. XII, 50*; & denique trigeſima *ad Joh. XVII, 4. 5. de mutua Dei Patris & Filii glorificatione.* Neque vero diſſertationes iſtæ omnes ſunt ac ſingulæ, quas a divite Carpzovii ingenio profectas novimus: nam & aliquas *in librum Ruth*, & duas *de vacca rufa*, & totidem *Anti-Jeſuiticas*, & tres *ad Nicolai Arnoldi Lucem in Tenebris* conſcripſit olim atque edidit; eas tamen in volumine hoc omitti videas, non aliam, ut opinamur, ob rem, quam quod affectis annumerandæ, ultimamque Autoris manum expertæ non fuerint. Appendicis de cætero in vicem Diſputatio gemina, una *de Pontificum Ebræorum veſtitu ſacro*, a Benedicto Davide Carpzovio, Noſtri majore natu Fratre, Jenæ A. 1655, alteraq; de *ſepultura Joſephi Patriarchæ* a Filio paternarum cum nomine virtutum hærede primogenito, M. Jo. Benedicto, Lipſiæ A. 1697 habita ſubjungitur.

* * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Februarii, Anno M DCC.

LES OEUVRES DE PLATON &c.

i. e.

OPERA PLATONIS IN LINGUAM GALLICAM TRANSLATA, cum Notis, Vita Platonis, & Expoſitione præcipuorum Philoſophiæ illius dogmatum; auctore ANDREA DACERIO. Tomi duo.

Pariſiis apud Jo. Aniſſon, 1699. 12. Alph. 2. pl. 6.

QUi hactenus Græcis Latinisve Scriptoribus illuſtratis, aut in linguam patriam converſis, de bonis literis præclare eſt meritus *Cl. Dacerius*, idem ad Philoſophos ſtudium ſuum nunc transtulit, horumque principem Platonem popularibus ſuis notum & familiarem reddere ſuſcepit. Fecit ergo quosdam ejus Dialogos de Græcis Gallicos, iisque duplicem præmiſit Diſſertationem, quarum altera generatim utilitates Philoſophiæ Platonicæ commonſtrat, altera vitam doctrinamque Platonis fuſius perſequitur. Ac priore quidem, vindicata Philoſophici nominis dignitate, quod perperam vel ad curioſulos, qui in experimentis Naturalis Scientiæ unice occupantur, vel ad artis χρυσοποιητικῆς cultores vel jactatores, vel etiam ad impios Divini Numinis contemtores vulgo transferatur; in uno Platone ea omnia reperiri monet, quæ gentilium invenit ſapientia, & veræ ſanæque Philoſophiæ nomine ſunt digna. Videri Platonem a Deo excitatum, qui ceſſantibus in populo Dei Prophetis, lumen aliquod cœleſtis

veritatis inferret Gentilibus, iisque aditum quaſi muniret ad accipiendum Evangelium, cujus multa dogmata in ſcriptis illius viderent comprobata. Platonem non aſſerere modo religionis Naturalis integritatem adverſus Paganiſmi corruptelas, & legibus ſuis quam proxime accedere ad Hebræorum traditiones & ſcripta divinitus inſpirata: ſed & æternorum præmiorum claram mentionem certamque ſpem facere, quæ Moſes & Prophetæ velo & involucro terrenæ felicitatis occultaverint. Credibile vero eſſe, Platonem participem eſſe factum traditionis Hebrææ, & forte divinorum quoque Scriptorum, cum & ipſe adiiſſet Ægyptios, & guſtum ejus doctrinæ jam hauſiſſet a Pythagoricis, quorum magiſter in Ægypto fuerat eo tempore verſatus, quo Judæi ab Aſſyriis victi cum Jeremia Propheta eo confugerunt. Objici Platoni errores quosdam, & perpetuam illam dubitationem, quæ de rebus maximis nihil definiat, & Socratis illud, *nihil ſe ſcire*, ſapiat. Verum errores Platonis ita eſſe comparatos, ut in iis agnoſcantur veſtigia priſcæ traditionis divinorumque oraculorum, quæ Meſſiæ demum temporibus amoto velo inſpicienda, Gentilis alicujus oculis patere non poterant. Dubitationem vero illam Platoni familiarem ex ejus mente nos ducere ad inquirendam revelationem divinam, cum hominum de rebus ſententiæ non niſi opiniones ſint probabiles, donec lumine divino illuſtratæ in ſcientiam abeant. Denique Socratis illud, *nihil ſe ſcire, niſi unum illud, quod nihil ſciat*, ex docta ignorantia promanare, quæ multorum ſcientiæ ſit anteponenda. Tantum enim Virum percurſis omnibus diſciplinis agnoviſſe, nihil eſſe in illis, quod mentem exſatiare poſſit, niſi accedat Dei cognitio: qua demta, reliquarum rerum ſcientiam meram eſſe inſcientiam, plusque obeſſe quam prodeſſe. Hanc ergo primam eſſe utilitatem, quæ ex Platonis Dialogis capi poteſt, ut in iis recognoſcamus Chriſtianæ religionis veritatem, ejusque veluti titulos in Paganiſmo conſervatos veneremur. Huic vicinam eſſe alteram, quod multa dogmata, quæ nude præcipit religio, evidentibus rationibus ex Philoſophia Platonica confirmari & ſtabiliri poſſunt. Neque obſtare Patrum auctoritatem, qui Philoſophiam Platonis damnant, quam alii Patres laudibus in cœlum extollunt.

Illos

Illos damnare eam, quatenus a nonnullis Doctrinæ Chriſtianæ opponebatur vel præferebatur. Hos e contrario illam laudare, quatenus in ea obſervant, quæ ad Chriſtianam fidem ducunt, eamque confirmant. Hodie ergo tuto illam commendari, cum nemo ſit tam excors, qui eam fidei æquare vel anteponere audeat. Tertiam horum Dialogorum utilitatem ſitam eſſe in acuendo judicio, ut verum a falſo diſcernas, & technis Sophiſtarum occurrere diſcas. His accedere ſummam ſuavitatem & delectationem Dialogorum, quam nulla Satyra aut Comœdia afferre poſſit. Unde factum, ut Dialogi iſti ſummo fuerint pretio habiti, & Trajani ævo inter cœnandum legi conſueverint: quanquam argumenti gravitas convivis minime accommodata hunc morem brevi aboleverit. Quo minus vero fructu ex his Dialogis percipiendo excidant lectores, vel imperiti vel a Philoſophiæ præſertim Platonicæ ſtudiis alieni, ſublevandos illos Auctor cenſuit cum accuratis argumentis, quæ ſingulis Dialogis præmiſit, tum notulis contextui ſubjectis, quibus vel ordinis ratio redditur, vel obſcuriora dilucidantur. Trium quoque Dialogorum epitomen confecit, eo conſilio, ut qui prolixitate a legendis Dialogis deterrentur, rationem hujus Philoſophiæ in hoc compendio cognoſcant. Animadvertens poſtea, iſtis Dialogis nihil detrahi poſſe, quin ſententiæ vel gratiæ aliquid decedat, ſatius duxit integros Dialogos a ſe converſos publicare, & ſimul hanc epitomen quoque amicorum ſuaſu retinendam cenſuit. Altera Diſſertatione, quæ de vita Platonis inſcribitur, non ſolum fata moresque Platonis exponit, ſed & doctrinam, methodum, ſtylum expendit, & de præcipuis Commentatoribus fert judicium. In vita Platonis, ſecundum ortum ejus & educationem, commemorat, Platonem ad Remp. accedere noluiſſe, quod juſtitiæ tunc nullus eſſet locus, totumque ſe ad Philoſophiam contuliſſe, cujus gratia Ægyptum adierit & Italiam. In Siciliam delatum, contracta cum Dione neceſſitudine, utrique Dionyſio innotuiſſe, & ab iis vocatum ſemel iterumque rediiſſe: quod non ſine gravi cauſa ab eo factum, nec indigni quicquam Philoſophi perſona ab eo in aula Tyrannorum admiſſum, tuetur Auctor. Porro mores virtutesque ejus percenſet atque collaudat, animum ab omni

faſtu & oſtentatione alienum, veritatis, ſimplicitatis & juſtitiæ amantem, in vitæ conſuetudine modeſtum, ſuavem, temperantem (quanquam ejus carmina ab amoribus non alienum arguere videantur) caritates & neceſſitudines ſuas tenerrimo affectu proſequentem, vindictæ minime cupidum, ad publicum amicorumque bonum omnia referentem, fœdæ aſſentationis oſorem. Eundem ab aliorum, præcipue Athenæi, criminationibus vindicat, negatque eum ſatyrico more in alios fuiſſe invectum, nec invidia fuiſſe correptum, nec quod diſcipulorum nonnulli voluerint arripere tyrannidem, vitio illi vertendum. Sic & reliqua, quæ in ſcriptis Platonis reprehendit Athenæus, tuetur, & ad ſcripta doctrinamque Platonis tranſiens, eam potiſſimum verſari obſervat in diſciplina morum conſtituenda, a prioribus ante Socratem Philoſophis fere neglecta, aut brevibus aphoriſmis obſcurisve ſymbolis tradita. Eam vero explicari Dialogis, genere ſcribendi tum fere ignoto, ſed ad veritatem tradendam & agnoſcendam aptiſſimo. Affert vero varia Dialogorum genera, ſed repudiat illorum rationem, qui Dialogos Platonis ad claſſes quaternionum aut ternionum revocant. *Theætetum* quidem, *Sophiſtam* & *Politicum* ad eundem ſpectare finem, & Logicum opus abſolvere: æque ac libri *de Republ. Timæus* & *Critias* in genere morum unum corpus conſtituunt, ita ut in libris de Rep. formentur boni cives, in Timæo erudiantur de rerum natura, in Critia ad hiſtoriæ veteris exempla remittantur. Ceteros vero Dialogos inter ſe non convenire, & unumquemque in peculiari argumento verſari. Secutum porro eſſe Platonem in naturali ſcientia Heraclitum: in iis, quæ intelligentia ſola, non ſenſu comprehenduntur, Pythagoram: in civili, & morum diſciplina Socratem. His adjeciſſe dicitur Dialecticam, quam, Auctore judice, non invenit, ſed perfecit. In morum diſciplina nihil fere indignum Chriſtianis præceptis a Platone doceri tradit: Finem ultimum eſſe convenienter Naturæ, h. e. voluntati divinæ vivere, & hinc tanquam fonte ſummi boni petere, & expectare, quæ animo, corpori vitæque conducunt bona: divitias præ virtute nullius eſſe pretii, nec aurum totius orbis vel minimæ virtuti poſſe comparari: vitam boni publici cauſſa amittendam: fugiendum

dum eſſe otium animique mollitiem, nedum voluptates criminoſas: timorem Numinis fundamentum eſſe honoris & officii parentibus præſtandi: nocendum nemini, nec injurias vindicandas: nihil ſuſcipiendum ſine precatione ad Deum, ut voluntatem ſuam in nobis, non vero noſtram perficiat. In Civili Sapientia Platonem non minus eſſe admirabilem, qui doceat, neminem recte imperare, niſi Regem Regum ſequatur & imitetur: Magiſtratus & Sacerdotia non deferenda generi, opibus, potentiæ, ſed virtuti & pietati: leges illi, qui tulit, non Reipublicæ commodas, non eſſe leges, ſed opera injuſtitiæ & amoris proprii: ſingulare unius imperium reliquis formis Rerumpublicæ præſtare. Similibus doctrinis abundare opus de Republica, & Sapientem, quem in eo format, ad exemplar Moſis videri expreſſum: contaminari vero duplici eoque non levi errore, altero de communione uxorum bonorumque, qua vinculum ſocietatis magis tollitur quam aſtringitur: altero de feminis, ad eadem, quæ viri obeunt munera, educandis. In iis vero, quæ ad religionem cultumque divinum pertinent, eum ſequi priſcas traditiones & veterum Oraculorum fidem: eas de Deo ſententias animis imprimere, quibus ſuperſtitio & idololatria concidat: Dei providentiam firmiter ſtabilire: impiis æterna ſupplicia, bonis æterna præmia proponere: mendacia & perjuria tanquam Deo inviſa damnare. Neque in his magni momenti rebus ſubſiſtere Platonem; deſcendere eum ad ſingula civium officia regenda in commerciis, itineribus, reperto theſauro & inprimis de ludis & ſpectaculis, a quibus civium pendent mores, accurate præcipere, nec in his privatim quicquam immutari velle. In Phyſicis, quo & Metaphyſica refertur, Platonem agnoſcere, Naturam penitus pernoſci non poſſe: ejus duo eſſe principia, Spiritum & Materiam: illum eſſe optimum, æternum, immutabilem & ſemper eundem; hanc eſſe in perpetuo motu, ſemper naſci, ſemper mori, & nunquam exiſtere. Hanc ergo vocare ſolet *Aliud*, item *Neceſſitatem*; Spiritum vero *Idem*. Materiam vero quamvis alicubi æternam dicat Plato, æternam proprie ex ejus mente non eſſe, qui ſtatuat animas prius extitiſſe, quam corpora. Hinc Autor ad ſingula Naturalis Scientiæ capita progreditur, & poſtquam

prolixius expoſuit, quid de creatione univerſi, quocum motus & tempus fuere nata, ad ideam mentis divinæ conditi (ubi ideas Platonicas contra Ariſtotelem tuetur) quid de Angelis ſeu Dæmonibus: quid de animæ corporisque conjunctione, atque inde profectis ſenſibus, effectibus, opinionibus, erroribus, ſcientia & ſapientia: quid de ſingulis partibus humani corporis, (in quibus deſcribendis elegans magis Orator, quam peritus Anatomicus Plato fuit) quid de morbis corporis, de origine animæ, hujusque poſt fata migratione in bruta Plato ſenſerit; judicium fert de ejus Phyſicis, eaque uti perfectiſſima non eſſe fatetur, ita prorſus imperfecta eſſe negat. Multa in iis vere definiri, plenum vero ſyſtema ex iis perfici non poſſe, ut pote cum hoc genus doctrinæ non in præcipuo ſtudio habuerit Plato, & animi relaxandi cauſa in eo fuerit per otium verſatus. Ad τὰ Μεταφυσικὰ videntur pertinere, quæ de animarum, priusquam in corpora demittantur, per aſtra, quorum deinde ſimilitudinem referant, diſtributione, de earundem immortalitate præ ceteris egregie comprobata, quæque hanc conſequuntur, reſurrectione & extremo judicio, e Platonicis ſcriptis afferuntur. Ex traditionibus Hebræorum, imo ſacris Literis videntur profluxiſſe, quæ & Dei Filium, & Trinitatem in Deo innuere & comprobare ipſis Patribus ſunt viſa: quanquam negari non poſſit, quædam ex his fontibus accepta Platonem corrupiſſe. Ad ejus Dialecticam quod attinet, in eo quoque multum ſuperatos Philoſophos priores a Platone, & hujus diſciplinæ rationem ad uſum & conſuetudinem eſſe revocatam Auctor obſervat: utpote cum in vita non Syllogiſmis, ſed Dialogis res diſceptari ſoleant. Exemplis ergo magis quam præceptis a Platone demonſtrari, quomodo ſtatus controverſiæ ponendus eoque omnia referenda, quomodo exacte definiendum, & dividendum. Vetat vero Plato quenquam accedere ad hanc artem, niſi triginta annos ſit natus, ne magis refellere quam aſtruere veritatem diſcat, & integros quinque annos in ea vult conſumi, veluti diſciplina, quæ, dum verum a falſo diſcernere docet, ad vitæ felicitatem plurimum conferat. Sed cum veritatis cognoſcendæ ſtudio etiam contineatur eam perſuadendi facultas, Dialecticæ ſubjicit Logicam & Rhetoricam, qua-

quarum utraque non niſi veritati & juſtitiæ ſervire debeat. Rhetoricam, quæ auribus blandiri doceat, ſimilem eſſe arti Magiricæ ſeu ciborum parandorum; quæ ad ſalutem Auditorum reſpiciat, ſimilem Medicinæ. Porro de methodo Platonis tradit Autor, eam non eſſe ſimplicem & Geometricam, cujus ſatis quidem peritum ſe Plato demonſtraverit, ſed lectoribus alliciendis & retinendis uſum eum eſſe methodo compoſita, & tam ſpecioſis exordiis, quã opportunis digreſſionibus aliisq; ſuavitatibus exornata. Stylum Platonis eſſe ſuavem ac venuſtum, in quo vis Oratorum cum Poëtarum leporibus conjuncta cernatur, & in moribus & affectibus decorum egregie cuſtodire: non deeſſe copiam nec ornatum, nihilque eſſe concinnius perfectiusque Platonis dictione, quæ mediocritatem vel ſimplicitatem naturæ convenientem ſervet: nonnunquam, ſed raro labi, cum ad ſublime dicendi genus aſſurgere conatur: quanquam & in hoc genere multa dederit ſpecimina admiratione digna. Quod de Platonis ſtylo judicium auctoritate Dionyſii Halicarnaſſei, Demetrii, & Dionyſii Longini confirmatur. Ex Platonis Interpretibus Latinis, Marſilium Ficinum Auctor præfert Serrano, ſed hunc notulis ad marginem adjectis plus lucis attuliſſe Platoni quam Ficinum explicationibus ſuis, quibus præter rem allegoricos myſticosque ſenſus venetur. Ex Commentatoribus priſcis (quorum tamen ſcriptis nec indigere, nec juvari multum Platonis intelligentiam exiſtimat) quinque Auctor commemorat: *Proclum*, reconditum valde & obſcurum, ſed cum intelligitur, profunda doctrina refertum, quam alicubi Chriſtianæ religionis odium corrumpit: *Jamblichum*, Ægyptiorum & Chaldæorum myſteria præclare aperientem, ſed credulum ſæpe nimis & ſuperſtitioſum: *Porphyrium*, infeſtum Chriſtianis, maledicum & ſacrilegæ Magiæ curioſitate Philoſophiæ lumen obſcurantem, in cujus ſcriptis, quæ ſuperſunt, optimum cenſetur, quod *de Abſtinentia* reliquit: *Plotinum* reliquis omnibus præſtantiorem, & non doctrina modo, ſed & vita ac moribus nomen tuentem Philoſophi, in cujus ſcriptis quæ plus proſunt, minus ſunt obſcura: *Maximum Tyrium*, cujus Diſſertationes e Platonica Philoſophia maximã partem deſumtæ non ſine voluptate leguntur, ſed ad Platonem intelligendum

Digitized by Google

dum parum conferunt, quem æque ac quaſcunque ſcientias non tam ſcriptis quam viva voce cognoſci poſſe, Auctor exiſtimat. Hæc invitandis erudiendisque lectoribus præmiſſa excipiunt ipſi Dialogi in Gallicum converſi, qui ſunt: *Alcibiades prior & poſterior*, *Theages* ſeu de ſapientia, *Euthyphron* ſeu de ſanctitate, *Apologia Socratis*, *Criton* ſeu de officio, *Phædon* ſeu de immortalitate animæ, *Laches* ſeu de fortitudine, *Protagoras* ſeu Sophiſtæ, & denique *Rivales*, ſeu ut vulgo Dialogus iſte inſcribitur, Amatores.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS ECCLESIAſtiques &c. par Mr. L. ELLIES DU PIN. T. XI.

i. e.

BIBLIOTHECA NOVA AUCTORUM ECCLESIASTICORUM, auctore LUDOVICO ELLIES DU PIN. Tomus XI Scriptores ſeculi XIV complexus.

Pariſiis apud A. Pralard, 1700. in 4.
Alph. 1. pl. 7.

Cap. I. UT ſingulis fere ſeculis novæ quædam in Eccleſia ortæ ſunt controverſiæ, magnis plerumque partium ſtudiis agitatæ: ita decimo quarto, quod tomo undecimo Auctor celeberrimus exhibet, ſeculo de poteſtate, quam in bona quoque, ut vocantur, temporalia Regum Principumque uſurpare Pontifices audebant, acriter fuit diſputatum. Nam non tantum Ludovico Bavaro Imperatori, hanc poteſtatem Romanis Pontificibus deneganti, hi multum faceſſivere negotii, ſed & quæ inter Bonifacium VIII & Philippum Pulchrum Galliæ Regem interceſſerunt lites graviſſimæ acerrimæque, inde præcipue ortæ ſunt, quod Clericos Regi tributa ſolvere, ſe invito nec conſentiente, nollet Bonifacius, & alia deinceps decerneret ſanciretque, quibus ſuæ poteſtatis limites ad imminutionem regiæ auctoritatis extendebat. Documentum hodienum præbet decretalis *Unam ſanctam*, quæ Bonifacium

facium hunc agnoſcit auctorem, & quam ut revocarent, a ſucceſſoribus hujus Pontificis, Benedicto XI & Clemente V, Philippus impetrare non poterat, licet in ceteris faventes eos ſibi, atque propitios haberet, & pronos ad abolenda ea, quæ in fraudem Gallicani regni a Bonifacio VIII conſtituta videbantur. Iſta vero contentio ut ea ætate magnam Europæ partem ſuſpenſam ſolicitamque tenuit, quorſum evaſura tandem eſſet: ita uberrimam disquirendi & commentandi ſegetem poſteritati præbuit, dignamque adeo merito Auctor doctiſſimus cenſuit, a qua hujus ſeculi hiſtoriam ordiretur, quamve uberius ſtatim in hujus tomi initio exponeret. Nec deeſſent, quæ ex hac narratione decerperemus, niſi Templariorum hiſtoria, excidiumque Ordinis celeberrimi, quo nobilitatum iſtud ſeculum fuit, nos ad ſe vocaret. Nec tamen aut originem hujus Ordinis aut incrementa referemus, erudite, licet & eleganter hic enarrata; multo minus hiſtoriam excidii, prolixiorem, quam ut in compendium mitti queat, hic inſeremus: ſed ea ſolum indicabimus, quæ ab Auctore tum ad defendendos, tum ad accuſandos Templarios afferuntur. Et iſtud quidem Auctor non diſſimulat, Philippum Galliæ Regem Templariis admodum fuiſſe infenſum, eundemque precibus, minis, pollicitationibus induxiſſe Pontificem, ut in pœnam Ordini huic infligendam conſentiret; præterea primos delatores Ordinis ultima ſupplicia promeritos, facile fingere talia de Templariis potuiſſe, ut hac ratione præſentiſſimo mortis periculo ſeſe eriperent. In compendium deinceps cuncta mittens, Templariorum innocentiam hiſce rationibus defendi poſſe autumat: primo quod primi illorum delatores, ut diximus, ſpe evitandi pœnam promeritam impulſi, facile induci potuerint, ut falſa de Ordine profiterentur: deinde crimina illis objecta, idololatriam, Sodomiam, ceteraque tam enormia eſſe, ut in hominem mentis adhuc & rationis utcunque compotem vix cadere videantur: fidem porro omnem ſuperare, per centum & quod excedit annos, inter tot cujuscunque ordinis & conditionis homines, neminem extitiſſe, qui non iſta ſcelera indicaverit; præſertim cum multi a ſociis aut ſuperioribus male, ſaltem non ex voto habiti, Ordinem iſtum deſeruiſſent: equidem nonnullos ex Templariis quæſtioni ſubjectos ejusmodi crimina con- Cap. II.

feſſos eſſe, ſed hanc confeſſionem aut metum ſupplicii, aut ſpem non tantum conſequendi veniam, ſed & præmii obtinendi, contra animi ſententiam illis extorſiſſe; nonnullos etiam pœnitentia ductos retractaſſe ſuam confeſſionem, multos etiam conſtanter negaſſe, quicquam ejusmodi, cujus Ordo iſte arguebatur, a ſe admiſſum eſſe, aut de aliis ſibi innotuiſſe, eosdemque nec graviſſimorum ſuppliciorum, nec mortis metu adduci potuiſſe, ut objecta crimina faterentur: præterea non alios contra eos produci potuiſſe teſtes, quam qui ex ipſo Ordine multisque adeo nominibus ſuſpecti eſſent: maximeque notatu dignum eſſe, quod tantum in Gallia illorum criminum convinci potuerint, non autem in aliis orbis Chriſtiani partibus, manifeſto documento, niſi variis artibus ſummaque crudelitate in Gallia oppreſſi fuiſſent, eos facile innocentiam ſuam ibi quoque comprobaturos fuiſſe: Philippum denique Regem & actorem fuiſſe & judicem in hac cauſa, eundemque non tantum immani odio contra Templarios flagraſſe, ſed improba quoque cupiditate bonis eorum potiundi fuiſſe incenſum, Pontificemque oblata bonorum Ordini huic eripiendorum parte, facile in ſuam pertraxiſſe ſententiam. Hæc aliaque ad innocentiam Templariorum tuendam afferri poſſe, Auctor aſſerit. Nec tamen diffitetur, eſſe quædam, quæ his reponi pro Philippo Pontificeque Romano queant, quæ huc fere redeant: confeſſos fuiſſe plurimos Templariorum ejusmodi delicta, quorum accuſabantur, indeque merito damnatos: parum referre, quinam primi eorum fuerint delatores; ſufficere, quod conſtanter indicium a ſe factum defenderint: enormia quidem eſſe crimina, quæ illis ſint objecta, ſed nihil tam enorme atque execrabile eſſe, quod non homo, qui cupiditatibus ſuis ſemel frena laxavit, admittere tandem queat; & idololatriæ quidem commercium eorum cum Saracenis occaſionem præbere potuiſſe, Sodomiam autem morumque impuritatem voluptatis, cui indulſerint, eſſe filiam: quod per centum, & quod excedit, annos iſta ſcelera a nemine illorum prodita ſint, id mirum non eſſe, quod alii ſibi quoque parum honorificum fore exiſtimaverint, ſi Ordinis ſui dedecora manifeſtarent, alii commodorum aut honorum ab Ordine iſto obtinendorum ſpe inducti, facile flagitia iſta non tantum ſilen-

lentio preſſerint, ſed ſtrenue iis ſe commaculaverint; nonnulli denique, præſertim ii, qui ſpe ſua fruſtrati ex Ordine iſto diſceſſerant, metu fuerint deterriti, ne Ordinem potentem opibusque ac auctoritate florentem talia prodendo, quæ comprobare oppido difficile eſt, irritarent, & ad ultimam perniciem ſibi afferendam compellerent: ex iis, qui crimina iſta confesſi ſint, multos id feciſſe ſua ſponte, nec ulla præmiorum ſpe, aut pœnæ metu inductos; conſenſiſſe quoque omnes in criminum confeſſione, niſi quod quidam nonnulla negaverint, cetera affirmaverint, manifeſto documento, ex animi ſententia eos fuiſſe locutos: præterea adjunxiſſe nonnullos ejusmodi facinorum circumſtantias, ut vel hinc falſa fictave eos non proloqui, colligi potuerit, & quæ reliqua ſunt ejusdem commatis argumenta. Has itaque poſtquam in utramq; partem rationes Auctor attulit, putat tamen, eas, quæ contra Templarios adductæ ſunt, ſufficere ad ſententiam Pontificis in Concilio Viennenſi contra Templarios latam, Galliæque Regis Philippi facta ab omni injuſtitia liberanda.

Texit hinc hiſtoriam Romanorum Pontificum, qui Avenione a Clemente V usque ad mortem Gregorii XI vixerunt, quos inter cum Johannes XXII emineat, lites ejus cum Ludovico Bavaro Imperatore prolixius hic enarrat. Conſtat autem, Johannem hunc a Ludovico hæreſeos accuſatum, dignitateque Papali indignum judicatum fuiſſe: nec Auctor id prætermittit, ſed obſervat, hæreſeos notam inuſtam huic Pontifici ideo fuiſſe, quod negaverit, inter res proprias, quas homini paupertatem profeſſo poſſidere nefas ſit, eas etiam, quæ conſumuntur, referendas eſſe, refragantesq; & acriter ſibi contradicentes hac in re habuerit Fratres, uti vocantur, Minores. Controverſiam omnem itidem ex Auctore intelligere licet, qui & alterius de ſtatu beate defunctorum ante reſurrectionem, hunc Pontificem inter, atque alios Doctores agitatæ, injicit mentionem. Summa huc redit, Johannem Pontificem palam aſſeruiſſe, & in orationibus quibusdam ſacris probandum ſibi ſumſiſſe, quod animæ beate defunctorum non ſtatim poſt mortem Trinitatem Sacroſanctam videant, ſed tantum Chriſtum ut hominem, viſuræ autem ſint ſacram Trinitatem demum poſt reſurrectionem: huic opinioni tum alios, tum maxime Doctores Cap.III.

Academiæ Pariſienſis ſe oppoſuiſſe, eamque refutaſſe acriter, fruſtraque omnem moviſſe lapidem Pontificem, ut eos in ſuam ſententiam pertraheret: tandem tamen, cum jam ultima inſtarent fata, mutaſſe eum ſententiam, erroremque, quo infecta hactenus mens ſua fuerit, agnoviſſe, ac repudiaſſe, edita hanc ob cauſam declaratione die 3 Decembr. A. 1334. Poſt mortem Johannis denuo ſub examen revocatam fuiſſe hanc quæſtionem memorat a Benedicto XII ſucceſſore ejus, qui tandem omnibus, quæ in diſceptationem hic venire poterant, probe expenſis, pronuntiaverit, animas ſpiritusque per ignem a ſordibus rite purgatos ad intuitivam Dei Trinitatisque viſionem, quæ finem nunquam ſit habitura, ſtatim admitti, & ſecus ſentientes docentesque hæreticis annumeraverit.

Cap. IV. Ceterum nobilitatum quoque hocce ſeculum fuit funeſto ſchiſmate, quod orbem Chriſtianum univerſum in partes traxit. Et hujus itaque hiſtoriam dum hic velut in compendio Auctor exhibet, utriusque partis Pontifices, tum Romanos, tum Avenionenſes talia quandoque admiſiſſe obſervat, quæ ambitionem atque imperandi cupiditatem arguant luculenter. Originem ſchiſmatis hinc arceſſit, quod Cardinales Itali civesque Romani, non alium poſt mortem Gregorii XI Pontificem cuperent, quam qui gente aut Romanus eſſet aut Italus. Idque cum non tam precibus & comminationibus, quam vi armisque obtinere anniterentur, electum quidem tandem fuiſſe Urbanum VI, invitis Cardinalibus, qui ideo, cum Roma diſceſſiſſent ad furorem populi declinandum, alium Clementem VII elegerint, oppoſuerintque Urbano. Quam uterque ſtrenue per varias artes Principum ſibi conciliare animos allaboraverit, hic intelligere licet. Urbanum inſuper refert Auctor arma expediviſſe contra eos, qui Clementi favere videbantur, quos inter & Johanna fuit Regina Neapolitana, contra quam Carolum Dyrrachii Ducem ex Hungaria evocaverit, eique pecunia deſtituto ut ſuccurreret, inſtrumenta vaſaque ſacra vendiderit. Et hactenus quidem ex voto Urbano conſilia ſucceſſiſſe, quod irriti eſſent Ducis Andegavenſis conatus, regnum Neapolitanum Carolo Dyrrachienſi iterum eripiendi: ſed cum Carolum ipſum offendiſſet Pontifex, captum quidem, mox tamen dimiſſum, conſilia de ejiciendo ex regno Neapolitano Carolo agitaſſe, quibus

bus cum impedimentum injicerent nonnulli Cardinales, Pontificemque ab hiſce molitionibus ad Eccleſiæ curam revocarent, furorem ejus cousque proceſſiſſe, ut non niſi ſanguine eorum placari potuerit: ſex enim Cardinales captivos ſecum abduxiſſe, & ex iis quinque interfeciſſe. Ad Clementem autem quod attinet, licet ceteri orbis Chriſtiani Principes Urbano faverent, Arragoniæ tamen Caſtiliæque, cumprimis Franciæ Reges, a ſuis ſtare partibus vidit. Francia quoque illum excepit, parum gratum licet hoſpitem, cum, ut Auctor obſervat, talia mox ſuſceperit, quæ Gallicanæ Eccleſiæ libertatem imminuere videbantur. Idem quoque, ut porro docet, Academiæ Pariſienſis Doctores in ſe concitavit, cum quæ illi ad ſchiſma tollendum excogitaverant, ſuo comprobare calculo nollet: & licet Rex Pontifici potius quam Academiæ aurem præberet, ille tamen tantum inde animo concepit dolorem, ut morbum graviſſimum mortemque attraheret ſibi, aut accelararet. Et hi quidem fuere primi in ſchiſmate iſto Antipapæ, quorum morte licet hoc finitum iri plerique ſperarent, res tamen ſecus accidit, ut Auctor noſter pluribus exponit. Nos hæc mittimus, & ad alia properamus.

Inter Scriptores, qui quandam nominis celebritatem ſeculo decimo quarto conſecuti ſunt, & quos Auctor cap. V enumerat, commemorari meretur præ cæteris Johannes Pariſienſis, Doctor ac Profeſſor Pariſienſis, Ordinique Dominicanorum adſcriptus, & ut Auctor monet, cum alio ejusdem nominis ac dignitatis viro, qui circa A. 1220 floruerit, non confundendus. Celebrem hunc reddidit peculiaris ſententia, quam de præſentia corporis Chriſti in S. Cœna foviſſe dicitur, & ob quam cum aliis controverſia illi interceſſit. Docuit namque, ut Auctor autumat, panem in S. Cœna uniri cum τῷ Λόγῳ mediante corpore Chriſti, & ita fieri corpus Chriſti. Quæ ſententia ejus cum a recepta Eccleſiæ ſententia abiret, damnata eſt a ceteris Doctoribus, cumque ille ad Clementem V Pontificem provocaſſet, conſtituti quidam ſunt Pontificis auctoritate, qui accuratius in mentem ejus inquirerent, ſed mortuus eſt, priusquam lis iſta hunc in modum finiretur. Idem Johannes, ut porro Auctor refert, librum de poteſtate Regia & Pontificia compoſuit, a Goldaſto inter cetera ejusdem commatis monumenta, e tenebris protractum, in Cap. V.

Digitized by Google

quo id probandum ſuſcepit, ſucceſſores Apoſtolorum poſſe quidem, ſi ſummi Imperantes hoc permittant, dominia & bona temporalia poſſidere, aſt jure quodam in bona Regum Principumque temporalia, eo quod vicarii Chriſti & ſucceſſores Apoſtolorum ſint, eos neutiquam gaudere. Argumenta quibus id probat, in compendium Auctor miſit, dignaq; omnino ſunt, quæ & legantur & expendantur. Scholaſticorum Ordini ſingulare decus hoc ſeculo conciliavit Johannes Duns Scotus, de quo cum nonnulli referant, eum in publico quodam eruditorum confluxu Pariſiis immaculatam conceptionem B. Virginis Mariæ tanto ingenii acumine defendiſſe, ut non tantum non adeſſet, qui diſſentire auderet, ſed ut publico quoque Academiæ decreto omnibus hæc ſententia commendaretur, Auctor tale quid unquam contigiſſe negat. Extare quidem ait decretum Pariſienſis Academiæ, quo hæc ſententia comprobetur, ſed factum iſtud demum eſſe poſt Concilium Baſileenſe A. 1496. Scotum autem de illa quæſtione ſuam ita proponere ſententiam, ut licet diſerte non affirmet, Beatam Virginem ſine labe conceptam eſſe, concedat tamen fieri hoc potuiſſe, ſimulque declaret, ſe ad illud credendum paratum eſſe, quod magis beatæ Virgini ſit honorificum. Johannem Scotum excipit Raymundus Lullius, cujus & vitam Auctor exponit, & ſcripta diligenter recenſet, refertque eum a Pontificibus Honorio IV, Bonifacio VIII & Clemente V facultatem novam, quam excogitaverat, artem ratiocinandi & diſſerendi, Romæ docendi impetrare non potuiſſe; de arte autem ipſa ita pronunciat, ut ſapientiorem diſceſſurum neget, qui artis Lullianæ magiſtrum diſſerentem audiverit. Ceterum Nicolaum Eymericum conſtat, & Auctor etiam memorat, ex ſcriptis Raymundi propoſitiones collegiſſe, quas ut erroneas & hæreticas Gregorius XI Pontifex, fruſtra nitente contra Petro Arragoniæ Rege, damnaverit; earum tamen nonnullas rejectas immerito eſſe, poſſeque defendi autumat. Ex reliquis cum primis adhuc celebrantur Guilielmus Occamus, Marſilius Patavinus, Johannes de Janduno, Petrus Bertrandus Cardinalis, qui in certamine de poteſtate Pontificis in Principum bona jurave, induſtriam ſuam ingeniumque poſteritati probarunt, licet illi, qui Imperatoris Principumque cauſam maſcule egerunt, ut Marſilius Patavinus atque Johannes de Janduno, aliique, hodie-

num

Digitized by Google

num inter Hæreticos a nonnullis referantur, quos Auctor quoque ſequitur, qui & inter Scriptores ſeculi hujus celebriores, & inter Hæreticos horum injicit mentionem. Scripta horum cum nemo facile ignoret, iis ex Auctore repetendis non immorabimur: Cap. VI. VII. quemadmodum nec inter Scriptores Græcos ſequenti capite commemoratos occurrunt, qui noſtram induſtriam poſtulent. Sed Cap. VIII. nec de Conciliis hujus ſeculi quod referre operæ pretium ſit, habemus. Inter Hæreticos autem, ſaltem qui pro hæreticis habentur, Beguardi & Beguinæ, vel hoc nomine non prætermittendi ſunt, quod nonnulli Quietiſtarum ſe in illis deprehendiſſe imaginem, ſibi perſuadent. Auctor pleroſque ſeculi hujus Hæreticos in errores præcipites datos fuiſſe ideo docet, quod plurimi Monachi, Superiorum imperium detrectantes, cupiditatibusque ſuis majorem perfectionem vitamque puriorem obtendentes, ex monaſteriis diſceſſerint, & ſuas ſibi res ſeorſim habere inſtituerint. Ad Beguardos autem & Beguinas quod attinet, in eorum erroribus recenſendis receptam multis ſententiam ſequitur, eos ſcilicet crediſſe quod ad ſummum perfectionis gradum jam pervenerint, Sacramenta contemſiſſe, virtutibusque nullum plane ſtatuiſſe pretium. Primum hujus ſectæ auctorem fuiſſe ex nonnullorum ſententia refert Gerhardum Segarelli Parmenſem, cujus diſcipulus Dulcinus Novarenſis ejus errores longe lateque diſſeminaverit. Quodſi quis tamen non Beguardorum tantum, ſed ceterorum qnoque Hæreticorum, qui Eccleſiam hoc ſeculo conturbarint, primam originem inveſtigare velit, illi ex Auctoris mente forte a Petro de Macerata & Petro de Foroſempronio ea repetenda fuerit, quippe quibus Cœleſtinus V Pontifex primum conceſſerit, vitam ſolitariam agere. Præterea & Arnoldum de Villanova atque Eckardum inter Hæreticos ſeculi hujus refert: & hunc quidem præter alia, in quibus a recepta doctrina receſſerit, hoc quoque aſſeruiſſe autumat, unumquemque, qui verus Chriſtianus eſſe cupiat, in omnibus ad voluntatem divinam ita ſe comparare debere, ut hanc ob cauſam nec peccata quæ commiſit, a ſe commiſſa eſſe nolit. Finem denique & hujus ſeculi hiſtoriæ Auctor imponit, additis more ſuo obſervationibus eccleſiaſticis, ex quibus id ſaltem addimus, præter Jubilæorum, quæ a Bonifacio VIII primum inſtituta

in

Digitized by Google

in Eccleſia Romana fuiſſe conſtat, Annatarum quoque, ut vocantur, originem ab Auctore ad hocce ſeculum referri.

HISTOIRE OU ANTIQUITEZ DE L' ETAT Monaſtique & Religieux &c.

i. e.

HISTORIA, AUT ANTIQUITATES STATUS MONASTICI & Religioſi.

Pariſiis apud Franc. Andr. Pralard, 1699. in 12. Alph. 2. pl. 18.

Præf. AUctorem hujus operis eſſe *Claudium Delle*, Ordini Dominicanorum adſcriptum, ex privilegio Regis operi huic ſubjuncto, conſtat. Nec conſilium ejus & inſtitutum obſcurum cuiquam eſſe poteſt, qui frontem titulumque libri inſpexerit. Duplicem autem ſtatum Monaſticum ipſe conſtituit, unum proprium vocat, alterum figuratum & diſpoſitivum. Illum in Monachis Novi Teſtamenti quærit, hunc in viris apud Ebræos & Gentiles ante Chriſtum natum tale vitæ genus, quod ad ſtatum Monaſticum proxime accederet, ſectantibus, ſe deprehendiſſe ſibi viſus eſt. Monaſtici ſtatus proprie ſic dicti originem a Thoma Valdenſi, Garzia, aliiſque perperam ad primum poſt Chriſtum natum ſeculum referri, contendit. Sed nec illis ſuffragatur, qui ſecundo ſeculo ſtatus hujus natales adſcribunt. Tutius exiſtimat Monaſtici ſtatus originem ad tertium referre ſeculum, licet & in primo & ſecundo non defuerint Aſcetæ & ſolitarium vitæ genus ſectantes, quorum inſtitutum ad Monaſticam diſciplinam proxime acceſſerit. *Lib. I. par. I.* In primo itaque operis hujus libro Auctor de illis, qui in veteri Eccleſia Chriſtiana hoc vitæ genus amplexi ſunt, agit, eorumque diſciplinam, vivendi rationem, veſtimentorumque genera, & quæ porro memoratu de iis digna ſunt, ediſſerit. *Cap. I.* Statim autem ab initio ab Eraſmo aliiſque diſſentit, qui veteris Eccleſiæ Monachis liberum fuiſſe putant mutare genus iſtud vitæ ſolitarium, cui ſemel ſe-

ad-

Digitized by Google

addixerant: ſequiori autem demum ætate ad levitatem & inconſtantiam quorundam, temere huic ordini nomina ſua adſcribentium, & eundem mox deſerentium coercendam, conſtitutum fuiſſe, ut nefas eſſet illis, qui in hanc Monachorum diſciplinam ſemel conceſſerant, ad aliud iterum tranſire vitæ genus. Hos ut refellat, primo provocat ad Canonem 4. 7. & 10. Concilii Chalcedonenſis, quippe quibus ſancitum ſit, ut viri religioſi, (ita enim eos appellare moris eſt,) eo in loco permaneant, in quo ſe conſecrarint Deo; eos præterea nec ad militiam, nec ad ullum aliud vitæ genus ſeculare eſſe admittendos; nefas denique eſſe tum viris, tum fœminis, hujus ordinis, inire matrimonium. Fatetur, objici rurſus poſſe, quod in eodem concilio conſtitutum ſit, ut in gratiam recipiantur viri fœminæque conſecratæ, quod matrimonium iniviſſent, ſi ita viſum eſſet Epiſcopo. Aſt reſpondet, hoc non ita capiendum, ac ſi Epiſcopus, concedendo illis matrimonium, votum caſtitatis tollere poſſit, ſed quod pœnam promeritam excommunicationis tollere, aut *mitigare* poſſit, ſi egerint pœnitentiam, & ad priſtinum vitæ inſtitutum redierint. Diſtinguit quoque inter vota ſimplicia & ſolennia, & hæc forte non ubique tum in uſu fuiſſe aſſerit, adeoque & Epiſcopos illa (ſimplicia) tollere potuiſſe, cum in his ea facultate deſtituantur. Concilii Chalcedonenſis decretis addit ſuffragia Patrum, legesque Imperatorum, ex quibus idem clariſſime evinci poſſe putat. *Cap. II.& III.*

Ad Orientalis Eccleſiæ Monachos dum accedit, primo ex Dionyſio Areopagita & Baſilio eorum diſciplinam deſcribit. De Dionyſii ætate nihil definit, ſed ex loco, quem ut inſtituto ſuo inſervientem produxit, obſervat, religioſos Orientalis Eccleſiæ nec mutaſſe prius veſtes, nec caput totondiſſe, quam cum in Ordinem iſtum reciperentur. Deinde eosdem plane fuiſſe raſos, nec circulum aut coronam illis fuiſſe relictam; id quod ex Beda porro confirmat, notatque Orientales Monachos exiſtimare, ſe hoc ipſo imitari exemplum Pauli Apoſtoli. Denique & illud obſervat, in Orientali Eccleſia non Epiſcopum, ſed Presbyterum in Monachorum ordinem candidatos diſciplinæ Monaſticæ, recepiſſe. Docet tamen, in regulis *Baſilii* conſtitutum eſſe, ut iſta receptio in diſciplinam Monaſticam non fieret, niſi præſente Epiſcopo. Dum autem *Cap. IV.*

Digitized by Google

alia quoque huc ſpectantia ex eodem Baſilio proſequitur, velut in tranſitu notat Raphaelem Volaterranum, ex quodam Baſilii loco, ab Auctore allato, colligentem, Baſilium demum ſtatum Monaſticum in certam redegiſſe formam, triaque vota illis præſcripſiſſe, qui in eum ſe eſſent daturi. Etenim Antonii, Macarii, Pachomii, aliorumque auctoritatibus comprobari poſſe, jam ante Baſilii ætatem ſimile quid obtinuiſſe.

Cap. V. Ceterum quemadmodum Ægyptus ante Chriſtum natum ſedes erat diræ ſuperſtitionis, & idololatriæ execrabilis: ita poſtquam Chriſtiana religio per eam diffuſa eſt, non temere aliam regionem plura heroicæ pietatis exempla protuliſſe, Auctor pronunciat; præſertim poſtquam Antonius, duo Macarii, & Pachomius ſeminaria diſciplinæ Monaſticæ ibi conſtituerint. Et de horum quidem inſtitutis prolixius diſſerit, præſertim autem in Pachomii conſtitutionibus perfectam Monaſticæ diſciplinæ imaginem ſe deprehendiſſe exiſtimat. Addit, eum regulas, quas alumnis ſuis præſcripſit, ab Angelo quodam fuiſſe edoctum: easque a Pachomio accepiſſe Athanaſium, Romamque ſecum attuliſſe, ut ibi fundamenta vitæ Monaſticæ poneret. Recenſet hinc præcipua regularum Pachomii momenta, tandemque ad Hieronymum provocat, qui Pachomii regulas ex Græco ſermone tranſtulerit in Latinum, & diſerte teſtatus ſit, voluiſſe Pachomium, ut ad paupertatem, caſtitatem, & obedientiam votis ſe obſtringerent, qui in monaſticam diſciplinam eſſent conceſſuri. Exemplis variis idem comprobat, tandemque ad dubia, quæ contra monaſticam diſciplinam

Cap. VI. Eccleſiæ orientalis moveri poſſent, diluenda ſe confert. Ex quibus illud præcipuum videtur, quod ex teſtamento Gregorii Nazianzeni petitum eſt, quo bonorum ſuorum partem in duos Monachos, quorum uni Gregorii, alteri Euſtathii nomen fuit, tranſtulerit, & quidem ita, ut ea ceu propria poſſiderent, uti ex verbis diſertis Gregorii patere videatur: *quorum proprietatem ipſis ut dominium tradidi, hæc ipſis quieta manere volo jure dominii.* Ad quod tamen non una ratione reſponderi poſſe putat. Primo enim merito dubitari inquit, an genuinum ſit hoc Gregorii Nazianzeni teſtamentum. Superiori demum ſeculo illud in lucem prodiiſſe, textum valde eſſe corruptum & depravatum, nec editi-

one-

ones circa diem, qui ſubſcriptus illi ſit, inter ſe convenire: accedere vocem barbaram, quam Nazianzeno Antiſtiti excidiſſe vix ſit credibile, ἐν βυρχαλίοις; qua occaſione & quid βυρχάλια ſignificent, diſceptat. Meurſium quidem in Gloſſario Græco-barbaro hanc vocem vertere per *inſtrata equorum*, & eidem ἐβύρχλον ſignificare *Sellam equeſtrem*. Sed ex Auctoris tamen mente potius veſtimenti genus ſignificat, ut deſcendat a βύῤῥος, unde Latinorum *Byrrus* itidem veſtimenti genus denotet. Atque ſuadere hoc inquit ipſum contextum, cum dicto teſtamenti iſtius loco de veſtibus ſermo inſtituatur. Nihilo ſecius, cum Baronius aliique viri docti hoc Gregorii Nazianzeni teſtamentum pro genuino habeant, & Auctor aliam rationem difficultatem iſtam tollendi quærit. Dicit namque, non omnes Monachos aut ſolitarios ea ætate ad perfectam, ut vocat, paupertatem ſe voto obſtrinxiſſe, ſed quosdam bonorum ſuorum retinuiſſe poſſeſſionem, & ad paupertatem ſufficere arbitratos eſſe, ſi carerent ſuperfluis. Atque ex eorum numero fuiſſe eos, quorum in Gregorii Nazianzeni teſtamento injiciatur mentio.

Hæc poſtquam ita ediſſeruit, ad veſtimentorum genera, quibus uſi ſint orientalis Eccleſiæ Monachi, deſcribenda accedit, nec ſufficit ei generatim ea delineaſſe, ſed ad ſpecialia quoque deſcendit, & ea quibus uſi ſint Eremitæ orientales, Cœnobitæ, interque eos ſectatores Antonii, Pachomii, Dorothei, Baſilii, Remobethæ, Sarabaitæ, Euſtathiani, deſcribit, de byrro quoque ex inſtituto verba facit, variaque lectu non indigna obſervat. Simili ratione & de fœminis, quæ in Eccleſia orientali Monaſtico vitæ generi ſe conſecrarint, verba facit, earumque diſciplinam, prout juxta Athanaſium aliosque Patres, itemque juxta Baſilium ſe habuerit, exponit. Paupertatem earum quoque probat, & in veſtimentorum, quibus uſæ ſint, generibus prolixus eſt & operoſus. Et hæc quidem de Orientalis Eccleſiæ Monachis. De Occidentalis Eccleſiæ viris fœminisque religioſis dum porro agit, eandem tenet rationem. Primo enim generatim probat, Monachos in occidentali Eccleſia votis conſuetis ad iſtud vitæ genus ſe obſtrinxiſſe: hæc vota quoque antiquis Eccleſiæ Occidentalis regulis comprobata eſſe, demonſtrare annititur: ſpeciatim autem ad paupertatem eos ſe

Cap. VII. & ſeqq.

Cap. XVII. ſeqq.

Cap. XXIV. ſeqq.

ſe obligaſſe evincit, & diluere allaborat, quæ in contrarium afferri poterant. Deinde ad ſingulas Monachorum familias, quas Occidentalis Eccleſia aluit, deſcendit, & de Auguſtini, Martini, Fulgentii, Benedicti, Gregorii M. Cæſarii, Aureliani Archiepiſcopi Arelatenſis, Iſiodori Archiepiſcopi Hiſpalenſis, aliorumque, quos inſtituti Monachorum Ordines celebres reddiderunt, diſcipulis, veſtimentorumque generibus, quibus una familia ab altera diſcreta olim fuerit, hodieque diſcernatur, regulis quoque & diſciplina cuiq; propria, verba facit. Nec virginum & viduarum obliviſcitur, ſed eundo per ſecula a ſecundo usque ad ſeptimum, quæ earum conditio fuerit in occidentali Eccleſia, ediſſerit. Paupertatem autem earum, ad quam voto ſe obſtrinxerint, ex inſtituto comprobat, veſtimenta quoque, quibus uſæ ſint, more ſuo quam diligentiſſime enarrat. Subjungit hiſce nonnulla de juribus quibusdam, quibus in utraque Eccleſia Orientali & Occidentali gaviſi ſint viri fœminæq; in monaſticum ordinem recepti. Neutiquam ſcilicet eos jure hæreditates adeundi excidiſſe, aſt amiſiſſe jus teſtamento heredes ſcribendi, productis teſtimoniis atque exemplis confirmat. Sed & de infantum & pœnitentium, ut & ægrotantium in ordinem hunc receptione, in ultimis libri primi capitibus diſſerit, eamque itidem in utraque Eccleſia uſitatam fuiſſe contendit. Et hæc quidem paucis, eundo per ſumma capita indicare voluimus, cum in ſequentibus plurima adhuc occurrant, quæ meliori jure noſtram diligentiam expoſcant.

Part. II. cap. I. & ſeqq. *Cap. XIII. ſeqq.* *Cap. XXIII. ſeqq.*

Lib. II. part. I. Cap. I.

In ſecundi quippe libri parte priori de ornatu Abbatum & Abbatiſſarum, ejusque partibus & antiquitate exponit. Refert huc primo loco Baculum paſtoralem, quo tamen veteres Antonium, Pachomium, Hilarionem, Benedictum, ceterosque, ceu auctoritatis & dignitatis ſymbolo, non fuiſſe uſos, concedit. Equidem de Epiſcopis, quod baculo paſtorali, dignitatis indice, uſi ſint, quædam in veterum monumentis occurrere exempla. Bernhardum namque in vita Malachiæ, & Sylveſtrum Gyraldum in Topographia Hiberniæ, affirmare, quod Armachæ aſſervatus fuerit baculus ex ligno confectus, ſed auro atque argento cinctus, quo Patricius ſeculo quinto ceu Archiepiſcopatus ſymbolo uſus ſit. Provocat etiam ad Innocentium III, qui aſſerat, Treviris in templo

plo cathedrali conſpici baculum Materni, primi Trevirenſium Epiſcopi. His alia quoque addit teſtimonia, quæ prætermittimus: quemadmodum nec ea nunc afferre placet, quæ de figura baculi paſtoralis, tum in Latina, tum Græca Eccleſia obſervat. Id potius addimus, quod Sauſſæo aſſerent, in Eccleſia Occidentali Abbates vix tandem circa finem ſeculi noni baculos paſtorales geſtare cœpiſſe, Noſter non adſtipuletur, cum claris evinci poſſe teſtimoniis putet, ſtatim poſt ſeculum ſeptimum Abbates poteſtate baculum paſtoralem geſtandi gaviſos fuiſſe. In Ordine namque Romano, ubi de conſecratione Abbatis agatur, allegari canonem Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui vixerit anno 672, quo conſtitutum ſit, ut Epiſcopus Abbati, dum conſecretur, baculum quoque tradat. Obſervat autem porro ex Faucheto, ſtatim poſt tempora Gregorii Turonenſis, qui vixerit circa finem ſeculi ſexti, uſitatum jam fuiſſe, ut Imperatores atque Reges Epiſcopos & Abbates per annulum & baculum inveſtirent. Et in Orientali pariter ac Occidentali Imperio hunc morem obtinuiſſe docet, niſi quod in illo annulus non exhibitus fuerit. Interim fuiſſe nonnullos hac conſuetudine inductos inquit, ut crederent, ipſam dignitatem ac poteſtatem ſacram Epiſcopis atque Abbatibus ab Imperatoribus & Regibus conferri; quos tamen vehementer errare dicit, cum iſta inveſtitura tantum ad feuda & bona temporalia, quæ Epiſcopi & Abbates forte poſſederint, ſpectarit. Quare & nonnullos Principes, ut dubium omne tollerent, per ſceptrum potius, quam annulum & baculum, Eccleſiæ Antiſtites inveſtire maluiſſe, idque & in concilio Lateranenſi A. 1122 ſub Calixto II. R. P. conſtitutum eſſe. Ceterum ad Abbates quod attinet, id quoque Auctor obſervat, Præfectos Canonicorum regularium denique circa ſeculum duodecimum baculo, ceu jurisdictionis ſigno, uti cœpiſſe, eodemque tempore & Abbatum eos ſibi ſumpſiſſe titulum, eoque nomine eos Abbatibus Monachorum multum concedere. Probat hoc auctoritate Ruperti Abbatis, qui & referat Epiſtolam Friderici Archiepiſcopi Colonienſis ad Adalberonem Epiſcopum Leodicenſem, in qua diſerte doceat, receptum ab antiquiſſimis temporibus in Eccleſia eſſe, ut Clerici, qua tales, ſubjecti ſaltem ſint Epiſcopis, Monachorum autem hoc

Digitized by Google

tantum eſſe proprium, ut Abbati pareant, niſi iidem & Clerici ſint, tum enim & Abbati & Epiſcopo eos eſſe ſubjectos. Intelligi ex hiſce facile poſſunt, cujusmodi cetera ſint, quæ de mitra, annulo, ceterisque Abbatum & Abbatiſſarum ornamentis diſſerit, adeoque plura hinc decerpere ſuperſedemus. Alteram autem partem libri hujus ſecundi deſtinavit vitæ Hieronymi Mercatoris, inter Generales Ordinis Carthuſianorum quadrageſimi tertii, quem anno 1540 natum, vitæ ſanctitate ſingulari, hunc honoris gradum, in quo collocatus eſt, promeruiſſe aſſerit. Ceterum cum non tam hiſtoriam Hieronymi Auctor ſcribat, quam laudes ejus decantet, virtutesque deprædicet, non eſt, quod hic nos moretur. Id ſaltem non prætermitti fortaſſis quorundam intereſt, quod Auctor vitæ Hieronymi catalogum Priorum Ordinis Carthuſiani ſubjiciat.

Cap. II. III. ſeqq. part. II.

Et hactenus quidem ſtatum Monaſticum proprie ſic dictum, prout in veteri Eccleſia Chriſtiana ſe habuerit, Auctor delineavit: nunc autem typos & adumbrationes ejus, tum apud Ebræos, tum apud Gentiles quærit. Apud Ebræos ſe illi offerunt Nazaræi, Rechabitæ, Prophetæ, Eſſeni & Phariſæi, in quorum inſtitutis ſe aliquid deprehendiſſe ſibi viſus eſt, quod cum inſtitutis & diſciplina Monachorum conveniat. Sic ad Nazaræos quod attinet, tum in ipſo nomine, tum in ritibus & ceremoniis, quibus initiabantur, & Deo conſecrabantur, imaginem vitæ Monaſticæ exhiberi, arbitratur. Nazaræos enim a ſeparatione dictos ait, idque in Monachos quadrare, qui itidem a mundo ſeparati ſint & diſcreti. Quod autem Nazaræi a vino & omni potu ebrietatem inducente ſe abſtinere jubebantur, id eo pertinere docet, interprete Hieronymo, ut omnia quæ pacem & tranquillitatem animi perturbare poſſunt, ut divitiæ ſunt, & omnes voluptates, fugiant, qui ſe Deo conſecrant: quemadmodum & viri religioſi his omnibus votis ſuis ſolennibus bellum velut indicant. Porro dum & uvæ & quicquid ex vite progignitur, interdicebantur Nazaræis, hoc ipſo ex mente Auctoris ſignificatur, non tantum peccata viris religioſis fugienda eſſe, ſed omne quoque illud evitandum, quicquid a recto eos abducere tramite, aut vel ſpeciem ullam peccati præbere queat. Et ſic cetera, quæ de Nazaræis memoriæ prodita ſunt in divinis literis, ad Monachorum inſtituta

Lib. III.

Cap. I.

tuta

tuta accommodat. Conſtituit quoque duo Nazaræorum genera, dum quosdam ad certum tempus, quosdam ad dies vitæ, Numini ſe conſecraſſe, & ad iſtud vitæ inſtitutum votis ſe obſtinxiſſe docet: quorum hi quidem una debuerint contenti eſſe conjuge, id quod ad votum caſtitatis trahit. Et ne quid prætermiſiſſe videatur, Nazaræorum ordini adſcribit Samſonem, Samuelem, Jeremiam, Johannem Baptiſtam, Jacobumque minorem, quorum tamen nonnullos ad perfectiorem vitæ ſanctitatem, quam ceteros, perveniſſe exiſtimat. Et hoc dum porro exequitur, de Jacobo ex Hegeſippo notat, ei ob ſingularem virtutis & pietatis opinionem, quam etiam apud Judæos ſibi conciliaverit, fas fuiſſe in Sanctum Templi Hieroſolymitani ingredi, ad quod ceteroquin ſolis Sacerdotibus aditus patuerit. Ruffinum quidem, Nicephorum, Simeonem Metaphraſtem, aliosque docere, fas fuiſſe Jacobo etiam in Sanctum Sanctorum intrare. In verbis quoque Hegeſippi ab Hieronymo in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum a Sophronio translato in linguam Græcam, citatis legi *εἰς ἅγια τῶν ἁγίων*: aſt vocem *ἁγίων* neutiquam reperiri in textu Hegeſippi ab Euſebio citato; unde & Combefiſium, aliosque exiſtimare, vocem iſtam *ἁγίων* ab alia manu eſſe additam. Illis itaque Auctor quoque ſubſcribit, qui tale quid admittere renuunt, quod moribus Ebræorum e diametro repugnabat. Adeoque nec Cornelio a Lapide adſtipulatur, qui diſſentientes Auctorum opiniones ita conciliare annitatur, ut dicat, non ſemper, ſed aliquando, ſi forte arca fœderis aut propitiatorium & Cherubini corruiſſent, aut a Gentilibus Sanctum Sanctorum fuiſſet profanatum, Jacobo aditum in Sanctum Sanctorum patuiſſe. Namque & tum, ſi ejusmodi quid contigiſſet, privato, & quod majus eſt, homini ob ſectam, cui addictus erat, inviſo Judæis, fas fuiſſe in Sanctum Sanctorum ingredi, nondum evictum eſſe a Cornelio pronuntiat. Aſt priusquam a Nazaræis diſcedat, de ipſo Chriſto ſervatore atque Johanne Evangeliſta, num Nazaræis annumerandi ſint, disquirit. Affirmat hoc de utroque. Et ad ipſum quidem Chriſtum ſervatorem quod attinet, probat hoc auctoritate Chryſoſtomi atque Origenis, itemque effato Angeli Gabrielis: *Sanctum quod ex te naſcetur, filius Dei vocabitur, Luc. I, 35.* Objici ſibi poſſe dicit, quod Chriſtus a vino ſe- *Cap. II.*

non

non prorſus abſtinuerit, quod tamen Nazaræorum fuerit proprium. Nec negat Chriſtum vinum bibiſſe, ſed demum poſtquam Prophetici muneris ſuſceperat partes; dum autem ſolitariam vitam duxit, quod iſtud fecerit, non conſtare. Interim per quandam velut diſpenſationem hoc eum feciſſe putat, graviſſimisque ad hæc eum adductum rationibus fuiſſe: primo quidem, ut Judæis demonſtraret, non eſſe inhærendum operibus externis: deinde ut imbecillitati hominum ſe accommodaret, & facilius ad vitam meliorem eos traduceret, remittendo aliquid de diſciplina ſeveriori: porro ut deſtrueret fundamenta hæreſeos Manichæorum, qui aſſeruerint, omnes res corporeas eſſe malas, præcipue autem vinum, ceu fel draconis & principis tenebrarum, fuerint execrati: denique ut fideles ad ſacram Euchariſtiam præpararet, quippe in qua vini æque ac panis uſus eſſe deberet. Johannem autem Evangeliſtam itidem Nazaræum fuiſſe, Ruperti Abbatis auctoritate, itemque Hieronymi, docentis, quod in cœlibatu ad mortem usque permanſerit, comprobat. Rupertus autem cum verba Jacobi Patriarchæ, quibus benedixit Joſepho, ad Johannem traxerit, Auctori hinc naſcitur occaſio comparationem iſtam Joſephi & Johannis ulterius proſequendi, & Nazaræatum Johannis inde illuſtrandi. Ceterum Iſidorum atque Rabanum Maurum refert tonſuræ Eccleſiaſticæ originem a Nazaræis repetiiſſe; quibus tamen non ſuffragatur, adeoque eorum refutat ſententiam, tum aliis rationibus, tum maxime decretis plurium conciliorum, in quibus tonſuræ Eccleſiaſticæ facta quidem fuerit mentio, nec tamen ejus origo ab Ebræorum Nazaræis fuerit derivata.

Cap. III.

Cap. IV. ſeqq. Quo pacto in Rechabitis, Prophetis, atque Samuele typum vitæ Monaſticæ exhiberi putet Auctor, ex dictis haud difficulter unusquisque conjiciet. Miſſis ergo iſtis, paucis potius delibabimus, quæ de Elia atque Eliſæo, & origine Ordinis Carmelitarum diſputat. Primo namque utriusque vitam moresque ita deſcribit, ut paupertatis ac caſtitatis ab iis peti exemplum poſſe innuat. Veſtimenta autem eorum delineaturus, de Elia ejusque diſcipulis interpretatur illud Pauli: *circuierunt in melotis & in pellibus caprinis, Ebr. XI, 37*; contenditque voce μηλωτῇ pellem ovinam indigitare: licet enim vox μῆλον quodvis animal quadrupes denotet, ſæpis-

Cap. VIII. & IX.

ſæpiſſime tamen eam adhiberi pro ove: cujus rei rationem ex Varrone repetit. Rupertus Abbas hic in tranſitu Auctori vapulat, dum vocem iſtam a Græco vocabulo μέλας derivavit, pellesque ovinas nigras ea deſignari docuit, ut inde argumentum caperet, quo probaret, veſtimenta nigra Benedictinorum cum veſtibus Prophetarum & Monachorum Ægyptiorum, quod ad colorem attinet, convenire. Sed Eraſmum quoque refellit, quod ſine ratione gloſſam antiquam Thomæ citatam & locum Pauli de pilis camelorum explicantem, & aliam de pellibus Melis ſive Taxi eum exponentem, ceu ineptam & ridiculam rejecerit, cum tamen prior explicatio ex *Matth. III*, poſterior ex *Ezech. XVI* confirmari queat. Fallique maximopere Eraſmum, virum cetera doctiſſimum, dicit, dum Taxum arboris ſolum, non item animalis, nomen eſſe exiſtimet. Conſtare quippe ex Plinio aliisque, Taxi nomine venire iſtud animal, quod ceteroquin & *Melis* Latinis dicatur. Sed videamus potius rationes, quibus contra Carmelitas, Eliam atque Eliſæum pro Ordinis ſui conditoribus venditantes, Auctor diſputat. Primo provocat ad ſilentium Scriptorum Juris Canonici, Patrum, & Hiſtoricorum, qui ante ſeculum duodecimum ſcripſerint, nec ullam tamen Carmelitarum injecerint mentionem. Non deeſſe ex Patribus, qui dicant Eliam & Eliſæum fundamenta vitæ Monaſticæ jeciſſe, ſed de certo ordine ne ullum quidem eos facere verbum. Nec aut Patres aſſerere, aut aliunde conſtare, quod diſcipuli Eliæ in monte Carmelo habitaverint. Quin conſtare ex Scriptura S. nec Eliam, nec Eliſæum, ſuam ſedem in iſto monte fixiſſe, licet forte ad breve tempus aliquando ibi commorati ſint. Deinde ſi Ordo Carmelitarum ab Elia, inquit, eſſet inſtitutus, & ab eo juſta ſerie propagatus, ſtatim poſt Chriſtum natum hujus Ordinis viros in Palæſtina & monte Carmelo fuiſſe oportet. Aſt ante Hilarionem nullum in Palæſtina fuiſſe Religioſum, conſtare ex Hieronymo. Notum præterea eſſe ex Tacito atque Suetonio, tempore Veſpaſiani Imperatoris idololatras in hoc monte habitaſſe. Eos autem, qui ex Carmelitis Baſilidem ſacrificulum ſucceſſoribus Eliæ annumerant, Ordinis ſui honori minus recte conſulere. Tertio, ex Antonino aliisque Hiſtoricis fide dignis manifeſtum eſſe, originem Ordinis Carmelitici ad ſeculum duodecimum, aut decimum tertium referen-

Cap. X. & XI

Digitized by Google

rendam eſſe. Ergo fruſtra ad Eliæ tempora eam revocari. Accedere quarto, quod in veteri Teſtamento non fuerint veri Religioſi, cum ad decus novi Teſtamenti pertineat, ut qui ſub eo vivunt, iis demum iſta felicitas & perfectio, quam ſtatus iſte ſecum vehat, propria ſit; graviſſimorumque errorum poſtulat ſecus ſentientes. Indeque rurſus concludit, quod fruſtra Carmelitæ in veteri Teſtamento Ordinis ſui natales quærant. Rurſus quinto, nec in regulis Ordini huic præſcriptis, nec in Romanorum Pontificum bullis ad res Ordinis hujus ſpectantibus, ullam Eliæ aut Eliſæi, tanquam conditorum Ordinis hujus, injici mentionem. Hiſce rationibus denique catalogum Auctorum doctrina & fide illuſtrium ſubjicit, qui ab Elia aut Eliſæo Ordinis hujus natales repetendos eſſe diſerte negent.

Cap. XII. Ita ergo, poſtquam ſuam ſententiam confirmavit, ad dubia quoque & argumenta Carmelitarum reſpondet. Objicere eos dicit auctoritatem Johannis XLIV Patriarchæ Hieroſolymitani, qui in Tractatu de *Inſtit. primorum Monachorum* aſſerat, Ordinem hunc ab Elia eſſe inſtitutum. Sed librum iſtum genuinum eſſe Johannis iſtius fœtum, cum Baronio aliisque Noſter negat. Deinde revelationem quandam patri Eliæ factam, & Epiphanio in vita Eliæ, itemque Dorotheo Tyrio in Breviario de vita & morte Prophetarum, Carmelitas objicere refert, quo ipſo tamen parum proficiant, cum ejusmodi viſio equidem narretur a dictis auctoribus, nuſpiam autem ab iis addatur, eam ad adumbrandum Ordinem Carmeliticum ſpectare: & accedere quoque, quod Auctores, qui ejus viſionis injiciant mentionem, non ſatis inter ſe conveniant. Porro & Joſephi Antiocheni auctoritate, qui ſeculo tertio vixerit, Carmelitas ſe munire dicit, quippe qui aſſerat, Apoſtolos in doctrina Evangelii propaganda a Carmelitis eo tempore in monte Carmelo degentibus, plurimum fuiſſe adjutos. Aſt hanc narrationem vel ex hoc capite ſuſpectam reddi dicit, quod in Actis Apoſtolorum nulla hujus rei injiciatur mentio. Hæc ſumma eſt eorum, quæ Auctor contra Carmelitas diſputat. Nunc cetera in hac parte ab Auctore pertractata, paucis indicabimus. Poſt Eliæ diſcipulos, inter religioſos viros Veteris Teſtamenti haud quaquam ultimum locum concedendum

Cap. XIII. ſeqq. eſſe Phariſæis docet, quorum inſtituta, mores, doctrinam, vitæque integritatem ac ſanctitatem magnis in cœlum evehit laudibus. Eos autem

tem Hæreticos fuiſſe, diſerte negat. Chriſtum autem atque Johannem Baptiſtam alioſque veterum, Phariſæorum errores & vitia notando, non ipſum Ordinem ceu pravum rejeciſſe, ſed quorundam, qui a diſciplina & ſanctitate Ordinis deſciverant, redarguiſſe pravitatem. Nec minus præclare de Eſſenis ſentit. Hoſce namque aut Schiſmaticos, aut Hæreticos, aut Idololatras fuiſſe, plane abnuit. Veroſimile quoque illi fit, multos ex illis ad ſacra Chriſtianorum amplectenda fuiſſe adductos. Præterea, poſtquam de veſtimentis & habitationibus Eſſenorum nonnulla diſſeruit, de fœminis quoque religioſis in gente Ebræa quædam ſubjicit, ſimulque de filia Jephthæ ex inſtituto disquirit, & de fœminis tum Phariſæorum, tum Eſſenorum diſciplinam ſequentibus verba facit. Finit tandem hanc quoque partem, religioſos Turcarum, eorumque diſciplinam & inſtituta delineando. *Cap. XVI. ſeqq.* *Cap. XXII. ſeqq.* *Cap. XXVI. & XXVII.*

Aſt non apud Ebræos tantum & Turcas, ſed apud Gentiles quoque tum veteres, tum modernos, plurimos Monaſticæ vitæ typos & imagines Auctor invenit, de quibus adeo, ne quid omnino operi huic deſit, in ultima ejus parte exponit. Et ex veteribus quidem Pythagoram ejusque ſectatores, Iſidis ſacerdotes, Socratem, Platonem, Antiſthenem, Menedemum, Epimenidem, Zenonem, Ariſtippum, Empedoclem, Hippiam, horumque diſcipulos & ſucceſſores, Magos quoque & Druidas, & ſi qui præterea apud Gentiles aut ſapientiæ & virtutis laude floruerunt, aut idolorum cultui peculiari ratione fuere conſecrati, fœminas quoque ſacras, virginesque Veſtales, in ſcenam produci videas. Nec ſane difficile admodum eſt, in his omnibus aut virtutes quasdam, aut inſtitutum aliquod, aut conſuetudinem reperire, quæ utcunque ad ſtatum Monaſticum quadrare videatur. Sed ne & hic ſpecimen deſit, quæ de Pythagora affert, paucis delibabimus. Hujus quidem diſciplinam in plurimis cum diſciplina Monaſtica accurate conſentire, putat. Sed præcipue tamen laudat trecentos iſtos Juvenes Pythagoræ diſcipulos, qui urbe Crotone relicta, in agrum ad vitam ſolitariam ducendam, ſe receperint. Diogenem namque Laertium & A. Gellium docere, rerum omnium apud eos fuiſſe communionem, vixiſſeque eos in ſocietate, quam Græci pariter ac Romani dixerint *Cœnobium.* Diſciplinam hinc Pythagoræ, & quo pa- *Lib. IV. part. I.* *Cap. I.*

ćto ingenium eorum,qui ei ſe commiſſari erant, exploraverit, diſcipulorumq; ejus certas claſſes ac ordines commemorat, putatq; ſe in hiſce tres ordines diſciplinæ Monaſticæ, *Poſtulantium, Novitiorum* & *Profeſſorum*, deprehendiſſe. Simili ratione obedientiam & obſequium erga ſuperiores, ſilentium, ſeceſſum, abſtinentiam, dominii in bona ſua abdicationem, contemplationis ſtudium, in quo qui multum profeciſſent, σεβαστικοὶ aut σεβάσμιοι, h. e. *pii* ſive *religioſi* dicti ſint, ceterasque diſciplinæ Pythagoricæ partes ad Monachorum ſtatum accommodat. De ſobrietate autem Pythagoræ ejusque alumnorum dum verba facit, doctrinam ejus de Metempſychoſi huc comparatam fuiſſe putat, ut eo facilius diſcipulos ſuos ad abſtinentiam a cibis delicatioribus adduceret. Vix enim credibile putat, virum iſtum ſapientiæ laude inclytum, ſerio ejusmodi errorem ſibi perſuadere potuiſſe. Et licet Clemens Alexandrinus atque Origenes veram animarum transmigrationem a Pythagoræis aſſertam doceant, Auctor tamen de quibusdam Pythagoræ ſectatoribus, quam de ipſo Pythagora hoc concedere mavult, laudatque ſimul in contrarium alios,qui Metempſychoſin iſtam aliter intelligendam exiſtimaverint. Ceterum illis, qui Pythagoram Ordini Carmelitarum adſcripſerint, quos inter Philippum Teiſſierium Carmelitam nominat, neutiquam ſuffragatur, rationesque,quibus con-

Cap. II. firmare hanc ſententiam annituntur, diligenter convellit. Sed nec illis adſtipulatur, qui Pythagoram ipſum eſſe Ezechielem Prophetam contendunt, hiſce rationibus inducti, quod Judæus origine fuerit Pythagoras & circumciſus, quod eodem tempore vixerit quo Ezechiel, quod docendi genere per figuras & ſymbola æque ac Ezechiel uſus ſit, & denique quod divina ſapientia colluſtratum animum habuerit. Enimvero frivolas eſſe haſce rationes & nul-

Cap. III. lius ponderis,fuſius demonſtrat. De veſtimentorum quoque generibus, quibus Pythagoræi uſi ſint,multa, interque ea memoratu digna, in medium affert, ſed non licet nobis hiſce immorari diutius:

Cap. IV. ſeqq. cum & cujusmodi cetera ſint, quæ de Gentilium Philoſophis & Sa-

Part. II. cerdotibus diſputat, nemini temere obſcurum eſſe poſſit. Ad modernos autem Gentiles dum tranſit,latiſſimus illi aperitur campus, de Sinenſium, Japonenſium, Indorum, Siamenſium, Americanorum aliarumque gentium barbararum Philoſophis & Sacerdotibus rebus-

rebusque variis ad illorum philoſophiam ac religionem ſpectantibus diſſerendi. Primum locum Chinenſibus, horumque Philoſopho celeberrimo Confutio, concedit, quem Pythagoræ fuiſſe σύγχρονον autumat; cujus non tantum vitam exhibet, ſed num idololatra fuerit, ex inſtituto diſquirit, ita tamen ut allatis in utramque partem argumentis, nihil hac de re definiat. Sed abrumpendum eſt noſtræ recenſionis filum, ne limites nobis conſtitutos temere tranſiliamus. *Cap. I.* *Cap. II.*

THE HISTORY OF POLAND.

ſive,

HISTORIA POLONIÆ, PER MODUM EPISTOLARUM ad Viros honoratos, in quibus deſcribitur tum antiquus, tum præſens Regni Status Hiſtoricus, Geographicus, Phyſicus, Politicus & Eccleſiaſticus. Auctore BERNHARDO CONNOR, M. D. Regiæ Societatis & Collegii Medicorum Londinenſium Socio.

Londini apud Dan. Brown & A. Roper, A. 1698. in 8.
Alph. 1. pl. 21.

QUod ſi laudem merentur non vulgarem, qui, quæcunque paſſim in peregrinationibus ſuis obſervant, ſtudioſe digerunt, atque orbi erudito liberaliter communicant, tanto magis laudandus eſt celeberrimus hujus libri Auctor, qui & ea, quæ in itinere Polonico notavit præcipua, nemini invidit, & optimos quosque Hiſtoricos conſuluit inſuper, ne qua parte deficeret, quam moliebatur, Poloniæ Hiſtoria, typis quidem jam anno 1698 excuſa, ſed ſerius paulo ad nos perlata.

Cum enim peragrata Gallia, Italia atque Germania, in ipſam denique Poloniam penetraſſet, facile ita ſuam in re medica peritiam Johanni III Sereniſſimo Poloniarum Regi probavit, ut is corporis ſui curam illi demandaverit, quam eo usque geſſit, donec Thereſiæ Cunigundæ, tum Electori Bavariæ deſponſatæ, comes in itinere daretur & archiater. Hinc deinde redditus Angliæ ſuæ, varia edidit opuſcula Medica, & in his tractatum de Medicina Myſtica, quem in Actis noſtris menſe Auguſto anno 1698 prolixe

lixe recenſuimus. Unde nec mirum denique, Virum tanta induſtria Medica ſectantem ſtudia, colligendis atque in ordinem redigendis, quas in itinere Polonico conſcripſerat, ſchedis ſuis ſolum haud ſuffeciſſe, uſumque fuiſſe opera amici ſui Dn. *Savage*, cujus vel ideo tacere nomen hoc loco non poſſumus.

Integrum vero opus duabus partibus abſolvitur, atque earum quælibet rurſus epiſtolis nonnullis, quibus quæ contineantur, breviter indicabimus. Primæ nimirum partis epiſtolis tribus prioribus, Ducum atque Regum Poloniæ facta ab A. 550 ad annum usque 1674 complexus eſt *Connor*, in quibus pauciſſima quidem invenias, quæ apud alios auctores non compareant. Prolixior eſt tamen in quarta, ubi res geſtas, mores item, morbos & familiam Johannis III, tum vero & nuptiarum, inter Filiam ejus & Electorem Bavariæ modernum celebratarum apparatum omnem, & quæ acciderunt poſt mortem Johannis III, ad coronationem usque Potentiſſimi hodie Regis *FRIDERICI AUGUSTI*, Domini noſtri longe Clementiſſimi, anno 1697 die 15 Septembris factam, deſcribit. Quinta tractum univerſæ Poloniæ atque terminos comprehendit: ubi provinciæ, Palatinatus, urbes, quantum ſcilicet per epitomen fieri poteſt, apte delineantur. In ſexta denique non modo Lithuania ejusque Palatinatus & urbes, ſed & Duces atque Reges, quicunque eam tenuerunt, enarrantur. Portio partis ſecundæ prima formam exhibet regiminis, quæ obtinet in Polonia: ubi quanta Regis, quanta Senatorum potentia, quæ ſint officia Aulæ, qui reditus, ejusque generis alia exponuntur. In ſecunda agitur de dignitate eccleſiaſtica Primatis, Archiepiſcoporum atque Epiſcoporum, nec non civili Palatinorum, Caſtellanorum, tum decem Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ Officialium, qui omnes Senatores Regni ſunt, denique ſupremorum exercitus Polonici & Lithuanici Ducum, aliorumque. Multa inde Auctor egregia epiſtola tertia de Comitiis majoribus & minoribus tradit, & quibus in rebus cum Parlamento Anglicano conveniant, demonſtrat, tum vero & alios conventus & ſynodos, curias item & judicia recenſet, nec non de judicibus quoque, legibus atque pœnis nonnulla ſubdit. Ordine inde in quarta exponit ceremonias electionis, coronationis, juramenti, unctionis & proclamationis Regiæ. Sequenti vero

ro quinta de potentia Nobilitatis agit & ceterorum ſervitute, de moribus & temperamento Polonorum, tum omnium in genere, tum ſigillatim quorundam. Epiſtola ſexta, quantum in bello valeant Poloni, quæ Ducum apud illos ſubordinatio, quæ cum equitum, tum peditum conditio, quæ confœderatio, quam vocant *Rokoſz*, quod belli jus & penes quem ſit, docet. In ſeptima de commerciis Polonorum, de moneta, de copia mellis, imprimis vero de urbe Dantiſco quædam habet non vulgaria. De origine poſtea & progreſſu Ordinis Teutonici agit in octava, ejusque recenſet Magiſtros. In nona vero rurſus revertitur ad Polonos, deque eorum eruditione diſſerit, & cur apud illos exoſi nimium ſint JCti, pauciſſimique deprehendantur Medici Poloni inquirit, addens etiam naturæ quædam rariora, aliaque obſervatu præ ceteris digna. Tum in decima de Ducatu Curlandiæ ejusque ſtatu publico agit, additis etiam nonnullis de Ordine Livonico. Tandemque adjungit in fine aliquas diſſertatiunculas Medicas, quarûm ultima Medicinæ Auctoris Myſticæ apologetica eſt.

Etſi vero e tanta rerum præſtantiſſimarum ſegete difficile ſit parum legere, (nam & nihil plane decerpere, & prolixi eſſe nolumus,) quædam tamen legamus velut in tranſcurſu. Quod itaque ad ſtatum Eccleſiæ attinet, potiorem quidem Poloniæ partem ait Auctor Romano-Catholicæ religioni eſſe addictam, tanto quidem zelo, ut interea dum Evangelium legitur in Miſſa, educto acinace doctrinam, quam profitentur, ſe ſanguine ſuo aſſerturos ſignificent. Tolerari vero & Lutheranos, quos *Saſſowiez* (Saxones) quod fuerat Lutherus ex Saxonia oriundus, appellant, & Calvinianos, Græcos item, Armenios atque Judæos : Socinianos autem a Joanne Caſimiro anno 1658, iterumque a Joanne III anno 1673 ſolenni edicto fuiſſe e Polonia ejectos. Ceterum obſervat Noſter, in templo cathedrali, quod Cracoviæ eſt, ita partiri operas ſuas Monachos, ne quod diu noctuque abeat momentum, quo non aliquis ex his vel oret publice, vel Miſſam celebret. Liberales quoque in clericos eſſe Polonos, & ſpeciatim in monaſterio B. Mariæ, quod extra Czenſtochovam in colle quodam ſitum eſt, immenſas cuſtodiri divitias, nec inveniri facile familiam nobilem, quæ non miſerit eo inſigne quoddam donum, in honorem B. Virginis

Digitized by Google

ginis, cujus illic imago exſtat, quam ipſe S. Lucas Evangeliſta pinxiſſe creditur. Unde fieri ait, ut Monachi iſtius ædis omnibus rebus afluant, ſuisque ſumptibus trecentos milites alant, pulchre veſtitos. Itaque hoc monaſterium celebri illi Lauretano in Italia æquiparari quodammodo poſſe exiſtimat. Interim affirmat tamen, etiamnum in Poloniæ quibusdam locis ſylveſtribus, imprimis in Samogitia deprehendi, qui ſerpentum quadrupedum quoddam genus, quod *Givoſit* vocant, pro Deo venerentur, domique ſuæ alant; quin & ruſticos quosdam in Boruſſiæ atque Lithuaniæ nonnullis locis, utut Chriſtianos profeſſione, viperas ipſas ſolennius fovere quam par eſt, perſuaſos quippe, mala ab iis quæcunque averruncari poſſe. Verum & in ceteris tenaciores moris antiqui Samogitas eſſe, quippe ferro aliquando arare doctos, cum ſteriles forte ſequerentur tempeſtates, cauſam ferro tribuisſe, eoque abrogato, inutile lignum uſui reſtituiſſe. Laudi ceterum Polonis in univerſum ducit eximiæ, quod etſi in iis Nobiliores tanta libertate gaudeant, ut ſint quodammodo ſupra leges, vixque pœnam ſubeant cujuscunque facinoris rei, rariſſime tamen latrocinia vel alia enormia delicta committantur; e diverſo etſi miſera ſervitute plebs prematur, ſua tamen ſorte vivat contenta, neque calamitatem ſuam indignetur. Sed ut mittamus ea, quæ ad intelligendam hiſtoriam nationisque genium ſpectant, Auctorem noſtrum de morbis Polonorum, iisque rebus, quæ mira quadam naturæ vi producuntur, cognoſcendis cumprimis fuiſſe ſollicitum, non poſſumus non Lectorem benevolum docere. Proinde ne ex his quoque nihil recenſeamus, Medicos in Polonia omnes Galenicos eſſe ait, & ferme eosdem illic atque in Anglia morbos occurrere, diverſo tamen modo curari. Ita enim luem Veneream non per ſalivationem, ſed per ſudorifera ejici, inventumque fuiſſe, cum ipſe commoraretur in Polonia, hominem rudem cetera & ruſticum, qui balnea paraverit ex aliquot herbis, quarum, quantum Noſter quidem divinare poterat, potiſſimæ Helleboraſtrum & Capillus Veneris, atque adeo octo dierum ſpatio ſanitati reſtituerit morbo illo corruptos, exiguo admodum pretio. Rarius, tamen ſcorbuto vel febribus malignis affirmat laborare Polonos, atque his quidem nunquam fere cum periculo conjunctis. Nec tacemus,

mus, quod obiter hoc loco inſerit Auctor, quodque factum tum, cum eſſet ipſe Warſaviæ, narrat. Nimirum virum quendam, poſtquam ad egerendam alvum pharmaco uſus eſſet, concubuiſſe cum uxore, atque tum eveniſſe, ut pharmaci virtutem ſatis quidem fœmina, nequaquam vir experiretur. Pergit deinde ad Plicam, qui morbus Polonis eſt imprimis familiaris. Eſt vero plica, cum crines inter ſe ſponte implicantur & concreſcunt, iique vel omnes ad cincturam uſque deſcendentes, vel ex altera capitis parte tantum, quod fit frequentius. Difficulter autem ait cauſam ejus poſſe inveniri, eosque toto cœlo aberrare, qui negligentiæ illam tribuunt, quaſi ideo inter ſe crines coëant, quod rarius Poloni capillos componant vel pectine dividant, quippe una plerumque nocte concreſcentes. Neque minus errare, qui, ſi diſcindatur plica, oculorum morbum, ipſamque cœcitatem, capitis item & membrorum dolores, aliaque mala neceſſario conſequi, ſibi perſuadent. Namque & ipſe experimento comprobavit, ſine periculo ſecari plicam poſſe, nec ſanguinem manare, ſi ſecetur, neque ſentiri dolorem. Interim aſſeveratum ſibi fuiſſe fatetur ab Epiſcopo Poſnanienſi, qui ter ſibi ipſi diſciderat plicam admodum puer, quod oculorum obfuſcatio quædam; membrorumque dolores, & quædam quaſi contorſiones fuerint ſecutæ, fuerintque ea mala tanto vehementiora, quanto ſæpius ſecuiſſet plicam. Eundem morbum addit equis quoque & canibus aliisque brutis in Polonia communem eſſe; & peregrinis etiam, qui illuc veniunt, frequenter hærere, qui cum ſine periculi metu ſcindant, minus exinde doloris ſentiant. Et vixiſſe quidem ſuo tempore Judæum refert, nomine Jonam, qui adhibita prius frictione & unctione, absque ullo periculo plicam ſecaret. Reſtat unum ad naturalem Poloniæ hiſtoriam ſpectans, quod non poteſt non curioſis naturæ ſcrutatoribus miram afferre voluptatem. De ſalis fodinis illud eſt, quæ prope Cracoviam ſunt, trecentis ferme ſub terra paſſibus geometricis. Varii in imo anfractus eſſe perhibentur & concamerationes, ut, ubi deſcenderis, in novam urbem delatus videare. Quemadmodum enim retulit Auctori noſtro hæreditarius harum ſalinarum dominus, *Morſtin Covalsky*, vix integræ ſeptimanæ ſpatio fodinæ poſſunt circumiri; adeo amplæ ſunt, atque diverſis diſtinctæ viis. In illis

L etiam

Digitized by Google

etiam aqua fluit, hinc ſalſa, e qua ſal evaporando coquitur, ſed quod ad ſalis naturalis, quod effoditur, virtutem non accedit; inde limpida & puriſſima potuique apta. Cum pluit, ſal plerumque inſipidum redditur, verum irruentes aquæ certis machinis ejiciuntur. Ingentes ceterum venti aliquando in cavernis illis oriuntur, ut reſiſti vix queat, & frigidior plerumque in imo aër eſt. Loca illic ſunt nonnulla vaporibus nitroſis adeo oppleta, ut nemo illuc ire audeat cum candela, ne forte flammam concipiant vapores. Obſervatum quoque ab operariis fuit, ſal cum in fodinis eſt, multo gravius ſuſtinere pondus, quam ubi libero aëri expoſitum eſt. Deprehenduntur autem quatuor ejus ſpecies. Prima durior eſt & ſaxea; altera minus dura, ſed purior; tertia fragilis, candida item & pura; quarta ceteris omnibus magis muſtea & inſulſa. Sed hæc ſuffecerint ſpeciminis loco.

CONCORDIA QUATUOR EVANGELISTARUM adornata a SEBASTIANO LE ROUX, Paſtore Eccleſiæ de Andevilla in Diœceſi Carnotenſi.

Pariſiis apud Petrum Aubouyn & Dion. Mariette, 1699. 8. Alphab. 1. plag. 5½.

Singularis artis opus appellat Autor hanc Evangeliſtarum Concordiam abs ſe adornatam, qua una decem annorum ſpatio ſe totum detentum fuiſſe innuit, & eandem nunc demum abſolutam operæ induſtriæque omnium, quotquot unquam in ſimili labore occupatos ſeſe geſſerint, anteferendam venire, totus ſibi perſuadet. Ita vero procedendum in ea ſibi ratus eſt: Evangeliſtarum quemq; prima ejus nominis litera denotat, ſed cum Matthæi atque Marci nomen eadem litera initiali gaudeat, per majuſculam (M) Matthæum, per minuſculam vero (m) Marcum deſignat. Ubi plures Evangeliſtæ rem eandem referunt, eos, prout ſimul loquuntur, (& Latino quidem idiomate,) e regione cujusque collocat, ita ut uno eodemque intuitu perſpiciatur, a quot & quibusnam Evangeliſtis unaquæque ſcripta ſit ſententia, & quomodo ab unoquovis exprimatur? Quando in eadem re narranda diverſum illi tenent ſententiarum ordinem, ſemper ad narrationem illius, qui magis naturali eas refert ordine,

dine, alterius narrationem redigit, ut unico in loco unaquæque habeatur ſententia. Duplici inſuper colore, rubro altero alteroque nigro, literas curavit exprimi, ac nigro quidem unicam hiſtoriæ ſeriem ex Evangeliſtis ſingulis contextam exhibet. Ubi ergo plures Evangeliſtæ ſimul loquuntur, ac æque claris, ſignificantibus & Hiſtoriæ filo congruentibus verbis ſententiam efferunt, verba primi inter eos nigris, reliquorum rubris characteribus ſiſtit. Aſt ſi unicus quam ſignificantiſſime ſententiam extulerit, & ille ſolus atro colore repræſentatur. Si alius ab initio ſuæ columnæ, alius in medio, in fine alius clarior cæteris videatur, ubique ejus loca nigra comparent; lineis de cetero ſic diſpoſitis, ut omnia columnarum verba nigra ſibi occurrant, continuamque narrationem efficiant; unde, ut ex omnibus verbis nigris contextus habeatur unicus, transverſæ luſtrandæ ſunt columnæ, quaſi lineæ a margine ad marginem producerentur. Si quando verbum aliquod addendum duxit Autor ob narrationis cohærentiam, iſtud in margine repoſuit, præfixa ſtellula, e regione ſtellulæ alius, quæ in eo contextus loco, ubi iſtud legendum conſpicitur. Totum de cetero opus in quamplurimos dividit articulos, & res in ſingulis contentas brevibus atque exquiſitis illuſtrare ſtudet titulis. In hujus autem inventi commendatione ut multus Autor ipſe eſt, ita nec a nobis invitis induſtriæ prorſus ſingularis, ac interdum usque ad ſuperſtitionem propemodum accuratæ, laudem impetrabit; præſertim poſteaquam diverſos quoque indices ſubjunxit, in quorum primo notat, quamdiu Evangeliſtarum quisque loquatur aut taceat, & ubinam eorum textus inveniatur; alter capita & verſiculos Evangeliſtarum notat, in quibusnam concordiæ articulis a ſe formatis inveniantur; tertius titulos ſingulis articulis præfixos uno ſub conſpectu repræſentat; quartus res totius Harmoniæ memorabiles juxta alphabeti ordinem diſponit; quintus denique Evangelia deſignat, quæ ſingulis diebus Dominicis feſtisque juxta Miſſale Romanum legi ſoleant. Poſt indices hactenus commemoratos, obſervationes nonnullæ in ordinem, quo ſcripſerint Evangeliſtæ, ſequuntur. Non multum enim hunc ab iis curatum videri dicit, modo vera & ſibi compertiſſima narrarent. Qua de cauſa multa ſine cohærentia & extra proprium locum referant, ſæpe continua narratione conjungant,

gant, quæ longo intervallo disjuncta ſint. Præcipua ergo loca, quæ ſint iſtius generis, breviter heic tangit, ut ordinis, quem in Concordia tenuerit, ratio facilius deprehendatur. Denique agmen claudunt nonnullæ in varia Evangelii loca annotationes, quæ qualesnam ſint, ut Lectori noſtro conſtet, unam earum alteramve ſpeciminis loco hinc decerpemus. Unde enatum ſit Sabbathum ſecundoprimum, ut exponat, a ſecundo die azymorum, ſeu a primo poſt diem ſolennem Paſchæ, numeratas fuiſſe ait ſeptem hebdomadas plenas, & conſequenter ſeptem Sabbatha usque ad feſtum Pentecoſtes. Horum quodque dictum primum i. e. magnum, ſeu maximum. Sed primum inter ea nuncupatum primo-primum, ſecundum ſecundo-primum, tertium tertio primum, & ſic porro usque ad ſeptimo-primum. Zachariam, qui apud Matthæum appellatur Barachiæ filius, pro filio agnoſcit Jojadæ, & pro eo ipſo, cujus mentio 2 Paral. XXIV, 20 habeatur; ac proinde Barachiæ nomen textui Evangeliſtæ appoſitum cenſet ab aliquo antiquo librario, qui, cum locum illum Paralipomenon haud legiſſet, arbitratus fuerit, Chriſtum loqui de Zacharia Propheta, filio Barachiæ, unde indicare id voluerit, ne lector de Zacharia, patre Johannis Baptiſtæ, ſermonem eſſe crederet. In vineæ locatæ parabola Matthæum inter & Lucam magnam apparere ait contradictionem, eo quod Matthæus inducat Judæos Chriſto reſpondentes: malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis; Lucas vero hanc eandem reſponſionem Chriſto ita tribuat: veniet ac perdet colonos iſtos, & dabit vineam aliis, atque a Judæis rejectam ſignificet his verbis: quo audito, dixerunt illi: abſit! Contradictionem ergo illam, quam a nemine hactenus explicatam ſe vidiſſe teſtatur, ita tollit, ut perhibeat, in Sacerdotes quidem dictam illam parabolam, ſed non eis ſolis propoſitam, quin & ad ſolam plebem audientibus Sacerdotibus directam fuiſſe, id quod ex Luca pateat, qui poſt interrogationem de poteſtate dicat: cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc; non vero: cœpit autem dicere & ad plebem, quod demum indicaret, Chriſtum Sacerdotes ſimul & plebem fuiſſe allocutum. Chriſtum itaque a Sacerdotibus, qui ipſi reſpondere noluerant, undenam eſſet baptiſmus Johannis, ad plebem ſermonem ſuum convertiſſe, ut illa non tam alte penetrans, ad parabolam ingenue re-

ſpon-

ſponderet, ipſeque reſponſionem ejus omni populo Judaico ſed præcipue Sacerdotibus, Legisque peritis & Magiſtratibus applicaret. Unde integrum contextum ita effert: Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Tunc quidam ex plebe dixerunt illi: malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis. Marcum igitur & Lucam ſolum parabolæ ſenſum curantes Chriſto tribuere reſponſionem plebis, eo, quod reſponſionem illam applicaverit. Poſt applicationem vero iſtam a Chriſto factam Sacerdotes demum dixiſſe: Abſit! Alias enim, ſi ſtatim poſt reſponſionem vocem illam protuliſſent, contra æquitatem & ſenſum communem locutos eos fuiſſe, ſibique ipſis parabolam aperte applicaſſe innuit.

Schaubühne der Welt oder Beſchreibung der vornehmſten Geſchichte des ietztlauffenden *XVII Seculi, &c.*

i. e.

THEATRUM MUNDI, SEU DESCRIPTIO RERUM toto terrarum orbe ab initio præſentis Seculi XVII usque ad ejusdem exitum geſtarum. Adornata a quodam Membro Collegii Imperialis Hiſtorici.

Francofurti ad Mœnum, apud J. D. Zunnerum, 1699. fol. Conſtat 8½ Alphabetis, inſigniq; figurarum æncarum copia.

QUi de Habeſſinorum Regno præclariſſime hactenus meritus eſt, Hiſtoria Æthiopica A. 1681 & luculento ad eam Commentario A. 1691 editis, Vir Illuſtris, Dn. *Jobus Ludolphus*, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis nec non Sereniſſimorum Saxoniæ Ducum Conſiliarius: idem non ita pridem ſeculi a Chriſto nato decimi ſeptimi, cujus ultimum nunc annum agimus, Hiſtoriam univerſalem componere eſt aggreſſus. Nimirum cum ante annos quosdam, in Germania noſtra, Viri nonnulli doctrinæ ac eruditionis non minus ubertate quam ſtudio in patriam inſignes, de *Collegio Imperiali Hiſtorico*, i. e. Societate, quæ ſub auſpiciis Auguſtiſſimi Cæſaris LEOPOLDI, Germanicam Hiſtoriam ex antiquis pariter ac recentioribus monumentis collectam juſto ſtudio adornaret, ineunda inſtituto ſaluberrimo

Digitized by Google

rimo inter ſe agerent, Ludolphus quidem noſter, cui totius negotii directio deſtinabatur, præſens ſibi ſeculum, cujus memorabilia juſtis commentariis enarraret, ſelegerat. Tametſi vero haud pauca hactenus, quo minus Societas ejusmodi ſtabiliretur, obſtiterunt; Ludolphus tamen ſuo penſo deeſſe noluit, ſed quod fuit illi a gravioribus negotiis in vivida virentique ſenectute, qua per Dei gratiam fruitur, otii, ſeculi præſentis Hiſtoriæ elaborandæ impendit, primumque jam volumen, triginta priores illius annos complexum, publici juris fecit. In quo quidem rerum Germanicarum rationem præcipuam habuit, ita tamen, ut non ſolum ea, quæ in reliquis Europæ provinciis, Italia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Polonia, Dania, Suecia, Belgio contigerunt, ſilentio minime prætermiſerit, ſed & Turcarum, Perſarum, Japonenſium, Sinenſium & Habeſſinorum enarraverit memorabilia. Stylum quod attinet, gravis is eſt, perſpicuus, elegans; dum non admiſit Illuſtris Auctor temere vocabula peregrina, ubi Germanica ſuppetebant, quæ rem clare ſatis exprimerent, evitata hunc in modum, quæ multis hodie familiaris eſt, luxurie, & Gallicas inprimis dictiones jactandi pruritu: ſed viciſſim etiam vocabula, quæ ex linguis exoticis in Germanicam recepta dudum ſunt, ipſoque uſu comprobata, non aſpernatus eſt, rejecta illa quorundam ſcrupuloſa nimis ſolicitudine, qui dum voces omnes, quæ Germanicæ originis non ſunt, faſtidiunt, id unum agunt, ut a nemine intelligantur. In præliis urbiumque obſidionibus ſimilibusque aliis, minutias omnes non ſectatur; ſed potius cauſas actionum & conſilia indagat aperitque, ac pro ea, quam longo rerum uſu in aulis Principum ſibi comparavit, prudentia, ubi quid peccatum deprehendit, non diſſimulat, ac ſalutaria paſſim monita politica inſpergit, ſed paucis verbis nec affectate indigitata. Denique ut non prodeſſet tantum, ſed & delectaret, opus utiliſſimum paſſim etiam, tum Regum Principumque virorum iconibus, tum figuris aliis illuſtrandæ Hiſtoriæ inſervientibus, & a celebri hodie in Belgio artifice, Romano de Hoog, maximam partem æri inciſis, exornandum cenſuit. Quæ cum ita ſint, nihil ſupereſt, quam ut celeberrimo Auctori vitam ac animi corporisque vires, ad tantum opus pertexendum atque feliciter abſolvendum, apprecemur.

ME-

Digitized by Google

MEDITATIONES QUÆDAM ET EXPERIMENTA circa Vegetationem, a JO. WOODWARD Illuſtri Societati Regiæ propoſita & ex Tranſact. Philoſ. Anglicanis menſis Junii anni 1699 p. 193. ſqq. excerpta.

VEterum pleroſque terræ potiores partes, uti in aliorum corporum, ita in vegetabilium quoque conſtitutione tribuiſſe conſtat, quæ parentis & matris honorifico nomine propterea illis etiam appellata fuit. Ab iis longiſſime receſſerunt ſummi noſtri ſeculi Phyſici, Verulamius maxime, Helmontius atque Boylius, qui vel ſolum, vel præcipuum vegetabilium principium aquam eſſe exiſtimarunt. Experimentis, quibus inducti hanc ſententiam amplexi ſunt, doctiſſimus Woodwardus exiguam probandi vim ineſſe exiſtimat. Ut taceamus enim, quod ex ejus ſententia, terra ita coqui non poſſit duabus vicibus, ut ad eundem præciſe ſiccitatis gradum reducatur, difficillimumque etiam ſit, & terræ, & plantæ ex hujusmodi terra, aqua affuſa, natæ pondus præciſe aſſequi: nondum probare potuere ſententiæ illius patroni, aquam, terræ illi affuſam, ex partibus prorſus homogeneis aqueis ſine ulla terrearum, quibus limpidiſſimas etiam aquas non carere Auctor oſtendit, admiſtione conſiſtere. Hoc ipſum vero docens, ſimul etiam corpuſculorum craſſiorum omni aquæ innatantium naturam examinat, duorumque generum illa eſſe obſervat. Partim enim terreſtria ea & vegetabilia eſſe dicit, hæcque cum diverſiſſima ſint, diverſis etiam vegetabilibus nutriendis inſervire: partim mineralis eſſe naturæ, atque ea etiam corpuſcula non eandem omnes rationem habere, cum ſalina alia ſint, vitriolica alia, alia nitroſa, alterius deniq; naturæ alia. Hujus igitur naturæ non minus quam naturæ terreſtris corpuſcula in omnibus aquis eſſe cenſet, cum eo diſcrimine tamen, ut major eorum copia in fontibus quam in fluminibus, & in pluviis aquis minor quam in fluviis reperiatur. De iſtis omnibus experientiam unumquemvis convicturam eſſe confidit, ſi aquæ, in vaſe probe obturato aſſervatæ, mutationes obſervet; vegetabiles enim terreſtresque particulas tempore aliquo elapſo in viridem maſſam concretas ſuperficiem occupare: fundum petere, utpote graviora, mineralis naturæ corpuſcula animadvertimus. Cum itaq; aquas omnes multum terreæ materiæ admiſtas habere ex iſtis con-

conſtet, difficile admodum eſt dictu, utrum aqueis an terreis particulis nutritionem ſuam & augmentationem vegetabilia debeant. Id tamen ut aſſequeretur Vir ſolertiſſimus, hanc viam ſibi ineundam eſſe putavit: Varia ſibi eaq; omnia ejusdem, quantum fieri potuit, capacitatis vitra delegit, aquæ in eas infuſæ pondus diligenter exploravit, orificiumq; ſingulorum membrana in medio perforata, ut plantam ſine nimia compreſſione, quæ vegetationi ejus obeſſe poſſet, admitteret, obduxit. Hoc ipſo id agebat, ne aqua alia via quam per caulem plantæ adſcendere atque evaporare poſſet. His vero ita cum cura diſpoſitis, varia mentæ aliarumque plantarum germina delegit, eaque, examinato pondere eorum, in modo commemoratis vitris per aliquantum temporis incrementa capere juſſit. Atque adeo exacto non integro trimeſtri ſpatio, plantis ex aqua amotis, denuo pondus aquæ, plantarumque cum omnibus foliis, quæ marceſcentia defluxerant, exploravit. Adeoque computum inſtituit, quantum aquæ in plantæ incrementa fuerit impenſum, quantum item materiæ plantæ hac vegetatione acceſſerit. Computum illum accurate deſcriptum ab eo habemus, qui docet luculente, longe majorem aquæ copiam ſemper inſumi in hac vegetatione, quam cui aliqua proportione pondus materiæ, quod plantæ acceſſit, reſpondeat: minima enim differentia materiæ ponderisque, quo planta aucta fuit, ad aquam conſumtam eſt 1 ad $46\frac{2}{5}\frac{0}{4}$. Hinc vero merito concludit Vir Cl. maximam partem maſſæ fluidæ, quæ per plantam tanquam filtrum aliquod elevatur, non figere in ea ſedes, ſed per poros ejus avolare & in atmoſphæram exhalari, atque inde ſimul rationem reddit, cur vaporibus humidis adeo obſideantur loca, frequentibus arboribus conſita: inde & quid olfactum noſtrum ſuaviter adeo afficiat, explicat; eſſe nimirum id nihil aliud quam circumvolitantes illas particulas humidas, in itinere ſuo per plantarum caules ſubtiliores plantæ particulas avehentes: imo & originem gummi & mannæ aliarumq; exſudationum vegetabilium deducit, quæ ſint a craſſioribus particulis plantæ, cum humidis avolare nitentibus, ſed ob gravitatem ſuam in ſuperficie florum, foliorum & aliarum partium plantæ conſidentibus. Quemadmodũ vero, ut ad rem, quæ præcipue hic agitur, redeamus, aquæ particulæ, licet mox avolantes, in planta adſcendũnt, ita terreas,

Digitized by Google

ras, aqua uti oſtenſum fuit innatantes, in plantam ſimili ratione adſcendere inde patet, quod longe major terreſtris materiæ copia, experimentis viri Cl. ad finem perductis, ſubſederit in aqua, quæ nullam aluerat plantam, quam in ea cui planta nutrienda concredita fuerat. Itemque ex eo, quod dilutæ in aqua terræ, qualem horti requirunt, magna pars in plantam abierit, quodque in plantis, quæ ad maris littora inveniuntur, mineralis materia manifeſte ſe prodat, ut alia hujusmodi argumenta taceamus. Aſcendere itaque terreſtres particulas in planta certum eſt, at id quoque eſt evidens, tanto magis augeri plantam, quo plus materiæ terreſtris aqua, in qua collocata fuerit, continuerit. Oſtendunt id omnia experimenta a Cl. viro inſtituta: menta enim, quam aqua fluvia alebat, majora incrementa capiebat, quam ea quæ pluvia aut fontana alebatur, maximaque illa, quæ aquam nacta fuerat, ſoluta in illa terra ex horto effoſſa imprægnatam. Non autem quævis materia terreſtris apta eſt, ut in quacunque planta adſcendat eandemque alat, ſed aliam alia requirit, quod variis iterum experimentis oſtenditur. Inde vero concluſio deducitur, vegetabilia non ex aqua, ſed ex certa & peculiari materia terreſtri formari, aquam vero terreſtri materiæ vehiculi tantum loco inſervire, nec quicquam vegetabilibus addere: quod poſterius vel exinde evincitur, quod nihil incrementi capiat planta, ſi idonea materia terreſtris ad eam non deferatur, licet maxima aquæ vis per eam aſcendat. Hujus rei experimentum, ut ex quamplurimis unum adducamus, cataputia dedit, quæ licet longe majorem aquæ vim quam menta exhauſiſſet, longe minora tamen, imo pene nulla incrementa cepit. Nulla itaque ſine aqua procedit vegetatio, ut pote cujus particulæ ſphæricæ, motui ſuſcipiendo maxime idoneæ, atque in interſtitiis ſuis terreas particulas ſecum avehendi aptæ natæ, ignavam magis materiam terreſtrem in plantam evehere, atque ſurſum attollere valeant: ipſa tamen aqua non eſt, quæ ingreditur conſtitutionem plantæ, atque adeo ſubſtantiam ejus auget. Quid quod ne aqua quidem ſola iſtud quod diximus officium plantæ præſtare queat, utpote quæ debitam caloris quantitatem, qua ipſa commoveatur, requirat. Expertus hoc Auctor eſt in plantis, quas menſe Octobri, atque ſequentibus frigori magis obnoxiis, vitris ſuis aqua

Digitized by Google

oppletis concredidit; tum enim longe minorem aquæ copiam quam calidioribus menſibus exhauſere. Imo docet hoc omnium vegetabilium in hortis & agris conditio, utpote quæ autumnali tempore calore facto remiſſiore flacceſcere incipiant, nova vita ipſis una cum calore ſub vernum tempus redeunte: ut taceam quæ climata magis minusque calida, imo & calor hypocauſtorum noſtrorum, ejusque in plantas vis, nobis argumenta ſuppeditant.

NICOLAI BETSII JCTI DE STATUTIS, PACTIS ET CONſuetudinibus Familiarum Illuſtrium & Nobilium, illis præſertim quæ Jus Primogenituræ concernunt, Tractatus Nomicopoliticus, ad uſum Germaniæ potiſſimum accommodatus. Editio nova, cum Præfatione, Summariis, Notis & Indice copioſiori, cura JO. SCHILTERI.

Argentorati, ſumtibus Joh. Reinh. Dulſſeckeri 1699. 4.
Conſtat 3. Alph. 17. plag.

QUi anno hujus ſeculi XI lucem primo adſpexit, ac poſtea anno LXI recuſus eſt, Betſii hic liber, nunc Præfatione, Summariis ac notis hinc inde inſertis, nec non indice copioſiori ab Illuſtri Schiltero donatus, tertia vice prodit, ac eo nomine nunc a nobis commemorandus eſt, quo Viri Celeberrimi indefeſſum de publico, data quavis occaſione, bene merendi ſtudium, Orbi Erudito amplius innoteſceret. Nam de ipſo Betſio, JCto alioquin eruditiſſimo, quædam heic referre, inſtituti noſtri ratio prohibet.

JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII JCTI ET ANTECESſoris Principia Juris ſecundum ordinem Inſtitutionum Imp. Juſtiniani in uſum Auditorum vulgata. Accedunt ejusdem Diſſertationes IV de Portione Legitima, Liberis, Parentibus & Fratribus relinquenda.

Amſtelædami apud Joannem Wolters, 1699. in 8.
Conſtat 1. Alph. 5½ plag.

QUi erudiendæ Juventuti operam navant, id negotii ſibi potiſſimum datum merito exiſtimant, quo illam via maxime com-

compendioſa ad metam præfixam deducant. Hac autem in re ſi quis ſui potius animi ſenſa, quam aliorum ductum ſequi velit, id haut reprehendendum videtur, cum & communi omnium docentium libertate utatur, ac intentionis probitas propoſitum, exitu etiam optato fortaſſis deſtitutum, facile defendat. Iſta uti in quavis diſciplina obtinent, ita in Jurisprudentia quoque locum inveniunt. Hinc nemini mirum videri poteſt, quod poſt plures aliorum libros elementares, alia ſcripta compendiaria, utilitati tironum dicata, indies prodeant: nam nemo paulo cordatior eſt, cui non in aliorum ſcriptis aliquid diſpliceat, quique compendioſius ſe docere poſſe, ſi ſuo remigio rem agere ſibi liceat, non arbitretur, & a quo adeo aliquid hujus generis ſcriptionis, ratio officii haut expoſcat. Atque hæc etiam cauſa eſt, quare Conſultiſſimus Autor noſter Principia Juris in uſum Auditorum vulgaverit. In iis id operæ dedit, quo prima legum elementa & argumenta, eorumque rationes clare & diſtincte diſcentibus ob oculos ponerentur, quoque illa ex ipſis fontibus haurirentur, ipſa verba textus Inſtitutionum, quin & plerarumque legum, quantum fieri potuit, ſervanda putavit, retenta Inſtitutionum methodo, paragraphis tamen parallelis, ſed compilatorum incuria diſperſis, ad unum caput revocatis. In prolegomenis de compilatione & habitu juris Juſtinianei ſollicitus Noſter, plura haut proletaria, quæque in hujus generis libellis non temere alias reperias, inſperſit. In ſpecie de Juſtiniano Imperatore obſervat, quod habuerit parentes *Sabatium* apud Illyrienſes *Iſtokum* dictum, & *Vigilantiam* (ante *Biglenizam* dictam, voce barbara, deinde haud dubie in Latinæ ſuavitatem inflexa) Juſtini Imper. ſororem: quod natus ſit in oppido *Taurifio*, educatus vero in civitate *Bederina*, juxta Tauriſium ſita, quam poſtmodum *Juſtinianam primam* dixerit, eoque ſenſu *patriam ſuam* vocarit in Nov. II: quod antea apud populares ſuos *Upranda*, i. e. recta juſtitia audiverit. De Theodora Juſtiniani conjuge annotat Noſter, quod fuerit *Acacii* cujusdam, ſub Imperatore Anaſtaſio, Urſarii ſeu urſis alendis præfecti, filia, venuſtiſſimæ formæ mulier; tandemque contendit male quosdam Juſtinianum credere analphabetum, deceptos loco quodam Suidæ, in quo tamen pro *Juſtinianus*, legendum ſit *Juſtinus*, Arcana Procopii Hiſtoria,

ex qua iſta Suidas hauſerit, nec non codicibus MStis Vaticanis iſti rei fidem facientibus, cum omnes, teſte Alemanno Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, vocem *Juſtinus* habeant. In ipſo tractatu concinnando quomodo verſatus ſit Noſter, id multis referre non attinet, cum ex notiſſima Inſtitutionum ſerie ultro hoc intelligatur. Sufficiat in genere admonuiſſe, quod ad Jus Civile unice reſpexerit, ejusdemque ſumma capita breviſſimis enuntiatis propoſuerit. Adjectæ diſſertationes quatuor de portione legitima, liberis, parentibus & fratribus relinquenda, titulo de querela inofficioſi teſtamenti amplius illuſtrando inſerviunt. Prima quinque conſtat capitibus. Primum de ratione nominis ſatagit, ſecundum & tertium originem portionis legitimæ, ac ſpeciatim an ex L. Glicia vel Falcidia eadem ſit, inveſtigat, ſed conſuetudine eam eſſe introductam quartum oſtendit, quæ tamen non meri juris poſitivi ſed & naturalis aliquo modo cenſeri debeat, docente id capite quinto. Secunda quatuor capitibus portionem legitimam deſcribit, eamque liberis, parentibus & fratribus deberi ſigillatim deducit; cui tractationi tertia diverſam legitimæ quantitatem, ejusdemque computandæ modum, ſex capitibus explicata, addit, ac tandem quarta per quinque capita modum relinquendi legitimam ejusque conſequendæ remedia, nec non contraria exponit.

THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONUM PHILOlogicarum & Hiſtoricarum Pars ſexta.

Lugd. Batav. apud Abrah. de Swart, 1700. in 8. Plag. 15.

UT ſummam elegantiorum literarum cultoribus placendi cupiditatem nunquam ſe, quoad vixerit, depoſiturum eſſe eruditiſſimus demonſtret Crenius, quintæ Animadverſionum ſuarum Philologicarum & Hiſtoricarum parti haud ita pridem evulgatæ ſextam nunc comitem addit, in qua ad methodum ſæpius a nobis memoratam, a variis Autorum quorundam celebriorum editionibus ſermonum ſuorum auſpicia capit, circa Lucretium primo p. 1. ſ. & poſtea Juſtinum, p. 24. ſ. tum Valerium Maximum, p. 35. ſ. ac tandem circa Florum, p. 40. ſ. induſtriam ſuam exercens. Quemad-

Digitized by Google

admodum vero de iis etiam, qui in hos Autores commentati fuere, uberiora nonnunquam diverſorum judicia in medium adducit: ita occaſione quavis alia oblata, idem præſtare non omittit, ac proin teſtimonia non usquequaque obvia de Dionyſio Lambino p. 2. ſ. Baptiſta Fulgoſo, p. 38. Jo. Camerte, p. 41. Jo. Stadio, p. 41. Deſiderio Heraldo, p. 107. Jac. Andreæ, p. 170. Lamb. Danæo, p. 174. Georg. Trapezuntio, p. 197. Jo. Sleidano, p. 204. accumulat, integram quoque Matthæi Judicis p. 49. ſ. & Jo. Martini, Eccleſiaſtæ Groningani, A. 1665 defuncti, p. 76. ſ. biographiam exhibens. Tacemus, quæ de morte Ubbonis Emmii, p. 74. ſ. & Gilb. Genebrardi, p. 166. ſ. commemorat. Mores inſuper quorundam, utpote Caroli & Henrici Stephanorum, p. 88. 89. & Jo. Sturmii, p. 142. delineat, inque horum poſtremo rariſſimam templorum frequentationem, qua ſuam utique famam macularit, merito taxat. Ut Ciceronis loca aliquot prætermiſſa hactenus ab aliis p. 121. ſ. emendat atque explicat, ſic Hottingeri lapſus circa Scriptores Lutheranorum non unos p. 143. ſ. obſervat. Quam contemtim habita a *Stephano* fuerit Ars Scaligeri Poëtica, p. 89. ſ. edocet, ibidemque de bibliopolarum & typographorum in eruditiſſimos librorum conditores injuriis non rarenter exercitis conqueritur. Quam manifeſtum ſit, quod pro captu lectoris, proque fautorum penuria aut copia, fata ſua liber unusquisque experiatur, exemplis quam maxime idoneis p. 109. ſ. probatum dat. Curioſa ſunt, quæ de Matthæi Evangelio Hebraico, p. 82. ſ. de Martyribus ad triremes olim condemnari haudquaquam ſolitis p. 134. ſ. de memoriæ facultate omni in quibusdam ſubito deperdita p. 194. ſ. commentatur. Inter epiſtolas, quas primus e MStis heic evulgat, eminet euchariſtica Tanaquilli Fabri ad Academiæ Lugduno-Batavæ Curatores, pro oblata ſibi ab iſtis Græcarum literarum profeſſione, p. 23. itemque alia Nicolai Blancardi ad Jo. Wevelichoven, qua deſiderium ille ſuum Boxhornio apud Leydenſes ſuccedendi declarat, p. 45. Nec injucunda eſt, quam Jos. Scaliger ſcripſit ad Scipionem Gentilem, dum huic verſiculos ſuos ejus de donationibus tractatui addendos transmiſit, p. 18. Ad Andream Colvium ſcribentem p. 47. Claudium Salmaſium ſuſpicari valde ipſum videas, quod ſuo de fœnore trapezitico commentario exiguam apud Theologos ple-

plerosque gratiam ſit initurus. Pag. 30. ſ. Jac. Bongarſius in exaratis ad Juſtum Lipſium prolixis literis, loca varia in trigeſimo ſexto Juſtini libro emendanda adducit. Cum Commentarii, quem in Pſalmos dedit Gilb. Genebrardus, exemplar tale nactus Noſter fuerit, ad quod plurimas ſua manu notas Andreas addidit Rivetus, hinc easdem cum curioſis Lectoribus p. 157. ſ. liberaliter communicat.

NOUVEAU VOYAGE D' ITALIE.

i. e.

NOVUM ITALIÆ ITINERARIUM.

Lugduni apud Jo. Thioly, & Romæ apud Jo. Crozier, 1699. 12. Alph. $1\frac{1}{2}$.

QUi ſcriptis jam aliis Orbi Erudito innotuit Vir doctiſſimus Franciſcus Deſeine, id egit præſenti libro, ut omnibus, qui in Italiam peregrinationes ſuſcipiunt, conſuleret probe, ducemque fidum ac induſtrium ſe præberet, hoc inprimis tempore, quo ad Jubilæum Romæ celebrandum homines undique incredibili numero confluunt. Neque vero temere Itinerarium aliud Italicum reperietur, quod illuc commeantibus majori eſſe poſſit uſui. Deprehendas enim in illo omnium Italiæ provinciarum urbiumque deſcriptionem accuratam; deſignationem porro viarum publicarum, per quas penetrare in illam, ac perluſtrare univerſam, urbesque ſingulas quisque obire quam commodiſſime queat; indicem denique eorum omnium, quæ in quaque urbe obſervari a curioſis viatoribus mereantur, in templis, monaſteriis, palatiis, muſeis, bibliothecis obvia. Ut adeo nulli dubitemus, quin diligentiſſimus Deſeinius noſter utiliſſimo hoc opere gratiam omnium, qui Italiam inviſere cupiunt, ſit demeriturus.

GRATII FALISCI CYNEGETICON, CUM POEMATIO cognomine M. A. Olympii Nemeſiani Carthaginenſis. Notis perpetuis variisque Lectionibus adornavit THOMAS JOHNSON.

Lon-

Digitized by Google

Londini apud Car. Harper, 1699. in 8. Plag. 14.

CYnegetica hæc opuſcula in lucem primus protraxit *Actius Sannazarius*, ex Gallia, ubi vetuſtum & Longobardicis literis ſcriptum codicem eorum nactus forte fuerat, in Italiam allata, nec multo poſt Pauli Manutii typis A. 1538 excuſa. Tametſi vero in iſto argumento exornando Gratius æque ac Nemeſianus ab Oppiano, qui Κυνηγετικὰ non minus quam Ἁλιευτικὰ Græco carmine complexus eſt, longe fuerint ſuperati, ut *Julius Cæſar Scaliger* etiam libro V Poëtices plebejis eos Poëtis, uti Oppianum divinis, accenſere non dubitaverit: laudem tamen omnino merentur, qui, ut Latini etiam hi Cynegeticorum Scriptores, e quibus Gratium ſaltem Auguſti ævo vixiſſe, ex Ovidio, qui ejus in ultima Ponticorum elegia meminit, palam eſt, (nam Nemeſianum recentiorem multo eſſe, non diffitemur) doctorum manibus verſari poſſent, induſtria ſua effecerunt. Nam & *Caſpar Barthius* cum animadverſionibus ſuis opuſcula hæc Hanoviæ A. 1613 excudi curavit, & ſuis eadem notis illuſtrata Lugduni Batavorum A. 1645 *Joannes Vlitius* edidit: Gratii etiam libellum *Chr. Waſe* dignum cenſuit, quem in Anglicam linguam transfuſum, adjectis notis nonnullis, Londini A. 1654 publicaret. Neque id ſilentio hic prætereundum, quod *Gerb. Joh. Voſſio* in libro de Poetis Latinis fuit obſervatum, & ex Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi ad Hincmarum Laudunenſem epiſtola quadam comprobatum, Nemeſiani opuſculum jam temporibus nepotum Caroli M. ante annos octingentos in ſcholis prælegi conſueviſſe. Itaque quis vitio vertat *Johnſtono* doctiſſimo, quod Cynegeticorum horum editionem novam, & prioribus quidem multo accuratiorem adornare conſtituerit? Qua in re laudando utique ſtudio verſatus ſic eſt, ut opuſculorum editiones omnes, quas quidem comparare potuit, conferret; ſcriptores inſuper alios, Xenophontem utrumq;, Oppianum, Pollucem, Plinium conſuleret; Criticos etiam rariores, Salmaſium, Turnebum, Gronovium, (cui quidem plurimum tribuit,) Voſſium, Heinſium aliosque recenſeret; atq; his adminiculis inſtructus Gratium atq; Nemeſianum daret & emaculatiſſimos, & ampliſſimis tum ſuiſmet, tum aliorum annotationibus illuſtratos. Adjecit vero & opuſcula tria alia, tum quod ab argumento non eſſent aliena, tum quod dudum

Digitized by Google

dum quidem typis excuſa ægerrime hodie poſſent comparari. Sunt illa *Hier. Fracaſtorii* Alcon, ſive liber de cura Canum venaticorum, Pariſiis A. 1612 primum editus; *Joannis Caii* Britanni de Canibus Britannicis liber unus, Londini jam A. 1570 impreſſus; & *Anonymi* Cynoſophium, ſeu liber de cura Canum Græce conſcriptus Latineque verſus, quem Vitebergæ primum ab Andrea Aurifabro editum Nicolaus Rigaltius, inter varios Scriptores Græcos & Latinos de Re Accipitraria & Cura Canum, Pariſiis A. 1612 imprimi curavit.

LIBRI NOVI.

Theſauri Electoralis Brandenburgici Continuatio; ſive Numiſmatum Romanorum, quæ in cimeliarchio Electorali Brandenburgico aſſervantur, Series ſelecta, ære expreſſa & commentario illuſtrata, authore Laurentio Begero. Coloniæ Marchicæ, impenſis Electoralibus. Proſtat apud Mich. Rudigerum. Fol.

Dionyſii Petavii e Soc. Jeſu Opus de Theologicis Dogmatibus, auctius in hac nova editione Libro de Tridentini Concilii Interpretatione, Libris II Diſſertationum Eccleſiaſticarum, Diatriba de Poteſtate conſecrandi, Libris VIII de Pœnitentia publica, & Notulis Theophili Alethini. Antwerpiæ, apud G. Gallet, Præfectum typogr. Amſtel. Huguetanorum, 1700. fol.

The Works of the Honourable Robert Boyle Epitomiz'd by Richard Boulton. Illuſtrated with copper plates. London, printed for J. Phillips and J. Taylor, 1700, 8.

Gerardi Goris Medicina contempta propter logomachiam vel ignorantiam Medicorum. Lugd. Bat. apud Abrahamũ de Swart, 1700. 4.

Le Chirurgien d' Hopital, par Mr. Belloſte. A Amſterdam, chez Et Roger, 1700. 8.

Hiſtoire de la Decouverte & de la Conquete du Perou, traduite de l' Eſpagnol d' Auguſtin de Tarate. A Amſterdam chez J. L. De Lorme, 1700. 12.

ERRATUM.

Pag. 46. menſis Januarii hujus anni lin. 2. pro *Bituricenſem* lege *Biterrenſem*.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Martii, Anno MDCC.

NOUVELLE BIBLIOTHEQUE DES AUTEURS Eccleſiaſtiques,

i. e.

BIBLIOTHECA NOVA SCRIPTORUM ECCLESIAſticorum, auctore LUDOVICO ELLIES DU PIN. *Tomus XII, Scriptores ſeculi XV complexus.*

Pariſiis, apud Andr. Pralard, 1700. in 4. $1\frac{1}{2}$. Alph.

AD ea nunc celeberrimus Auctor, inſtitutum ſuum ſtrenue proſequendo, pervenit tempora, quæ longe uberiorem, quam priora ſecula, commentandi ſegetem illi præbent. Et decimo quidem quinto, quod hocce tomo exhibet, ſeculo, Concilium Conſtantienſe, finitumque in eo Eccleſiæ Romanæ ſchiſma, ut & Johannes Huſſus in eodem hæreſeos damnatus, unio quoque Græcæ atque Romanæ Eccleſiæ feliciter & ex voto Romani Pontificis facta, & quæ reliqua ſunt graviſſima eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta, Lectori ſe offerentia, ut jam pridem doctorum virorum exercuerunt induſtriam, ita Auctori campum ampliſſimum, in quo ingenii periclitaretur vires, aperuerunt. De ſchiſmate Eccleſiæ Conciliisque ad illud tollendum convocatis, Perpinianenſi, Piſano, Aquileienſi, cumprimis Conſtantienſi, primo ſtatim loco uberius diſſerit. Non repetemus aut ſchiſmatis aut Conciliorum iſtorum hiſtoriam, ſatis quippe omnibus notam; ſolum de Conſtantienſi Concilio hoc obſervamus, cum inter Cap. I. II. III.

viros doctos diſputetur, num ejus decreto Conciliorum legibus ſubjecti ſint Romani Pontifices, Auctorem illorum, qui hoc affirmant, partibus accedere. Idque ne fruſtra facere videatur, ſuam ſententiam hiſce rationibus confirmat: primo quod ejusmodi verbis decretum Concilii conceptum ſit, ut de omnibus Pontificibus, non tantum illis, qui tempore Concilii vivebant, aut quorum dubia forte fuerit electio, ſed ceteris quoque, non poſſit non intelligi: deinde quod hocce decreto diſerte ſanciatur, Concilii legibus omnes omnino Chriſtianos, ipſumque Pontificem ſtare debere, non tantum in ſchiſmate tollendo, ſed in Eccleſia quoque, qua caput, qua membra, tum ratione doctrinæ, tum ratione morum, reformanda: neque hic de hocce ſolum Concilio, ſed de omnibus conciliis generalibus rite convocatis ſermonem eſſe; imo pœnam quoque generatim definiri contra omnes, qui huic Concilii decreto non obtemperaverint, cujuscunque etiam fuerint dignitatis; liquere porro idem & inde, quod Concilii auctoritas ſupra Pontificem ex hac maxime cauſa aſſeratur, quod Concilium referat ipſam Eccleſiam, quæ ratio in omnia Concilia quocunque tempore rite congregata quadret: denique & inde idem demonſtrari poſſe, quod Concilium Conſtantienſe Johannem XXIII pro legitimo habuerit Pontifice, & nihilo ſecius in ejus cauſa ſententiam pronunciare non dubitaverit. Obſervat porro, unanimi omnium Patrum conſenſu factum hocce Concilii decretum fuiſſe: Cardinales autem, qui diſſenſerint, non huic decreto, ſed iis quæ de Johanne XXIII conſtituta erant, contradixiſſe: præterea addit, omnia Concilii hujus decreta a Johanne XXIII in ſeſſione duodecima, & a Martino V in ſeſſione quadrageſima quarta, & quadrageſima quinta, fuiſſe approbata, nullo excepto; unde quin & hoc, de quo nunc ſermo eſt, ſimiliter approbaverint, dubitari plane nequeat.

De Concilio Baſileenſi & Florentino dum Auctor doctiſſimus exponit, ſimul de unione Græcæ atque Romanæ Eccleſiæ verba facit, ejusque hiſtoriam ſummo ſtudio texit: nec tamen diſſimulat, Græcæ Eccleſiæ Præſules plerosque, qui Concilio Florentino intererant, auctoritate ſolum Imperatoris Conſtantinopolitani adductos, in iſtas unionis leges conſenſiſſe; acriter autem & conſtanter ei ſe oppoſuiſſe Marcum Epheſinum Epiſcopum; reliquos autem abſentes adeo

Digitized by Google

adeo non ſubſcripſiſſe huic unioni, ut poſt Præſulum ex Italia reditum, palam reprehenderint qui conſenſerant, munereque ſacro indignos pronunciaverint, recipereque eos in ſuorum numerum detrectaverint; nonnullos quoque ex iis, qui Florentiæ in unionem conſenſerant, mutaſſe ſententiam, & in iſtam vehementer fuiſſe invectos: ſed mittimus cetera. Inter Doctores Scriptoresque hujus ſeculi celebres fuerunt ſane, qui magnam eruditionis & doctrinæ laudem apud poſteros conſecuti ſunt, ut Petrus Alliacenſis Cardinalis, Johannes Charlierius a patria Gerſon ſeu Gerſonius dictus, Nicolaus Clemangis, Nicolaus de Cuſa Cardinalis, Æneas Sylvius ſeu Pius II Pontifex, Alphonſus Toſtatus aliique, ſed cum Auctor de eo ſolicitus ſit, ut opera ſaltem illorum atque ſcripta recenſeat, vix hinc quæ delibemus, nobis ſuppeditantur. Querelas autem cordatorum ſeculi hujus virorum, de corrupto Eccleſiæ ſtatu, nec Auctori prætermiſſas, jam alii notarunt diligenter. Juvabit tamen, quæ generaliter de hujus ſeculi ſcriptoribus Autor cenſet, paucis indicare. Depelli namque cœpiſſe hac ætate barbariem, quæ ſuperioribus ſeculis orbi Chriſtiano incubuerat, obſervat. Præclarumque in repurganda a ſpinoſis quæſtionibus & Scholaſticorum ineptiis Theologia, exemplum omnibus præiviſſe Petrum Alliacenſem, Johannem Gerſonem & Nicolaum Clemangis: diſputationes certaminaque cum Græcis, Wiclefiſtis & Huſſitis, occaſionem ſacras litteras paulo diligentius perſcrutandi, antiquitatesque Eccleſiaſticas perveſtigandi præbuiſſe, præſtantesque hinc in Theologia exegetica, Græcæque ac Ebrææ linguæ cognitione extitiſſe viros, Paulum Brugenſem, Hieronymum de S. Fide, aliosque: ad corrigendos mores diſciplinamq; Eccleſiæ reſtaurandam, & ad primitivæ eccleſiæ imaginem revocandam, multa hoc ſeculo præclara fuiſſe ſcripta: Canonici juris interpretes ipſos conſulere cœpiſſe fontes, & ex canonibus Eccleſiæ veteris ſuorum decretorum, dogmatumque repetiiſſe rationes: Myſtica Theologia ad exceſſum uſq; nonnullos fuiſſe delectatos, indeq; in graviſſimos ſubinde incidiſſe errores: dediſſe quoq; hoc ſeculum Hiſtoricos, qui licet conſummati non ſint in hoc genere, non tamen quoque ſint ſpernendi: caſuum, quos vocant, conſcientiæ ſcriptores huic ſeculo ſuos debere natales: ſoli eloquentiæ, præſertim ſacræ, cum illuvie & ſqualore ſuperiorum ſeculorum adhuc fuiſſe colluctandum, cum

Cap. IV.

Digitized by Google

ſi a paucis quibusdam diſceſſeris, plerique inepta & puerilia in orationibus ſuis fuerint ſectati: & ſic de reliquis quoque ſtudiorum generibus pronunciat. Sed nondum hinc nobis diſcedendum eſt. Inſperſa hinc inde nonnulla ſunt ab Auctore nobis non prætermittenda. Sic quod a nonnullis de Laurentio Valla refertur, eum hæreſeos ſuſpectum, deprecante pro eo Alphonſo Neapolitano Rege, ultrices criminis hujus flammas vix evaſiſſe, inter fabulas refert. In Platina libertatem judicandi, qua uſus eſt, laudat, diligentiam & judicium requirit. Jo. Picum Mirandulanum Comitem eruditiſſimis hujus ſeculi ſcriptoribus merito annumerat: ordine quoque recenſet tredecim propoſitiones, ob quas hæreſeos nota illi inuſta ſit, additque earum explicationem, & rationes quibus eas defenderit. Johannem Franciſcum Picum, Johannis Pici ex fratre nepotem, patruo ingenii acumine, ſolertia, ac ſubtilitate dictionisque elegantia, & nitore, multum inferiorem eſſe contendit. Marſilium Ficinum ab Hieronymo Savonarola ad ſanctiorem vitam traductum, refert: & de ipſo denique Hieronymo Savonarola ita verba facit, ut inde facile intelligere liceat, de ſanctitate & innocentia, a multis impugnata, Auctori nullum ſupereſſe dubium. Sed mittimus

Cap. V. ſeqq.

cetera. Delibanda quoque nobis nunc nonnulla eſſent ex iis, quæ de doctoribus Græcæ Eccleſiæ, itemque conciliis reliquis hujus ſeculi, ut & hæreſibus ac erroribus præſertim a Facultate Theologica Academiæ Pariſienſis damnatis, diſſerit; ſed provocat potius noſtram induſtriam Diſſertatio, quam tomo huic ſubjungit Auctor clariſſimus, de auctore libri de Imitatione Chriſti, cui paulo diutius immorari, Lectori forte non ingratum fuerit. Nemo quippe tam ignarus eſt rerum in orbe erudito geſtarum, ut certamina ob libri hujus auctorem a viris doctiſſimis, integrisque ordinibus ſuſcepta, ignoret. Et Auctor quidem omnem controverſiæ hujus ſeriem primo juſto ordine exponit, ex quo eam paucis repetere, operæ fuerit pretium. Prætuliſſe namque initio huncce librum refert nomen Bernhardi, inde mox Gerſonis, mox Thomæ de Kempis. Poſt Baldii editionem A. 1520 luci publicæ expoſitam, a plerisque Thomam de Kempis pro ejus auctore fuiſſe habitum, nemine fere repugnante, donec ſub initium hujus ſeculi lis hac de re moveretur. Et primo quidem in Hiſpania Petrum Manriquez Thomæ Kempenſi

Digitized by Google

penſi eum ideo abjudicaſſe, quod Bonaventura in ſuis Collationibus libri hujus injeciſſet mentionem, quem tamen conſtaret eſſe mortuum, priusquam natus eſſet Thomas de Kempis. Secutos fuiſſe hanc ſententiam nonnullos ex Hiſpanis, quibus deinceps acceſſerit Roſſignolus Ordinis Jeſuitarum ſacerdos, qui ex codice quodam manuſcripto, quem apud Jeſuitas Aronæ commorantes inſpexerat, probare anniſus fuerit, auctorem libri hujus eſſe Johannem Gerſen ſeu Geſſen vel Geſen, Abbatem Ordinis Benedictini. Huic ſe oppoſuiſſe Rosvveidam Jeſuitam Belgam, qui edita A. 1615 epiſtola, Thomæ de Kempis librum hunc ceu genuino auctori vendicaverit, aſſerueritque Collationes, uti vocantur, Bonaventuræ huic Auctori perperam tribui. Nec tamen impune hoc tuliſſe Rosvveidam. Conſtantinum namque Cajetanum, itidem Ordinis Benedictini Abbatem ex Congregatione Montis Caſſini, Romæ A. 1616 recudi curaſſe huncce librum, præfixo eidem nomine Johannis Geſſenii, additaque diſſertatione, qua librum Bonaventuræ, a Rosvveida in dubium vocatum, iterum huic Auctori aſſerere, atque ex manuſcripto codice Aronenſi rem omnem plane conficere voluerit. Nec tamen deſeruiſſe cauſam hanc Rosvveidam, ſed edidiſſe A. 1617 *Vindicias Kempenſes*, in quibus probare conatus fuerit, codicem Aronenſem neutiquam ex antiqua Benedictinorum bibliotheca fuiſſe, ſed Majolum Jeſuitam eum ex patris ſui domo ſecum attuliſſe. Quam ejus ſententiam Cajetanus, edita A. 1618 Pariſiis Apologia, iterum infirmare allaboraverit. Hinc inducias veluti factas narrat, usque ad annum 1626. Tum enim Rosvveidam novam libri hujus curaſſe editionem, addita diſſertatione, qua Thomæ Kempenſis cauſam iterum egerit: eamque editionem recudi feciſſe, poſt Rosvveidæ mortem, A. 1630 & 1634 Bollandum. Mox tamen Valgravium Benedictinum huic editioni aliam oppoſuiſſe Pariſiis A 1638 impreſſam, additis notis apologeticis, in quibus trium codicum manuſcriptorum, & editionis Venetæ A. 1501 procuratæ, auctoritate Johanni Geſſenio Abbati Vercellenſi hunc fœtum aſſeruerit: licet in uno codicum manuſcriptorum, qui fuerit Cardinalis de Biſcia, auctor libri vocatus fuerit Johannes de Canabaco. Sed nec ita rem eum confeciſſe, quin Frontonem (Fronteau) oppoſuiſſe illi librum A. 1641 impreſſum, quo argumenta Valgravii diluere ſuſcepe-

Digitized by Google

ceperit. Eodem vero tempore Richelius Cardinalis volebat, ut porro Auctor narrat, ut regiis typis liber de Imitatione Chriſti excuderetur: ad eum itaque Gregorius Tariſſus Superior Benedictinorum de Congregatione S. Mauri accedebat, rogabatque Cardinalem, ut librum ſub nomine Johannis Gerſenii exire permitteret, ſimulq; ad quatuor codicum manuſcriptorum, qui Romæ eſſent, nomenque Gerſenii hujus præfixum haberent, provocabat. Richelius ne temere definire quicquam hac in lite videretur, a viris doctis codices illos inſpici voluit, ut num res ita ſe haberet, uti Tariſſus narraverat, edoceretur. Pluribus auctoritate Cardinalis Bagnii cura iſta demandata fuit (ex mente quippe Auctoris hæc narramus) quos inter etiam fuit Gabriel Naudæus. Hic cum accuratius codices iſtos perluſtraſſet, tandem deprehendit, nullum cauſæ Benedictinorum hinc afferri præſidium poſſe: nec etiam quatuor manuſcripti codices, ut Tariſſius aſſeveraverat, ſed tres tantum Romæ aſſervabantur & quidem iidem quos Valgravius produxerat, quarto autem loco accedebat Veneta libri hujus editio eidem Valgravio laudata. Naudæus itaque cum hoc retuliſſet, inſtrumento ſolenni hoc ejus confirmare teſtimonium, quod antea viſum illis fuerat, minus conſultum duxerunt, quibus hoc negotium erat datum: ipſe tamen ut rem omnem deprehendiſſet, litteris a Vincentio Galeotto more recepto confirmatis, perſcripſit ad Puteanos fratres. Hæc dum Romæ agebantur, in Gallia Sirmondus auctoritate codicis manuſcripti, qui in collegio Jeſuitarum extabat, fultus librum iſtum antiquiorem eſſe, quam ut Thomam Kempenſem agnoſcere poſſet auctorem, contendebat: Dionyſius contra Petavius, argumento ex ſtyli ratione ducto, Thomæ hunc librum vindicabat, ceteriſque difficultatibus jam abunde ſatisfeciſſe Rosvveidam arbitrabatur. Quæ ſane doctorum virorum diſſenſiones effecerunt, ut Richelius, nullo addito auctoris nomine, librum imprimi juberet. Naudæi tamen auctoritas tanti non fuit Benedictinis, ut non Cajetanus Abbas in ſententia perſiſteret, denuoque Apologiam pro Johanne Gerſenio, cum nova libri editione, vulgaret, Romæ A. 1644 impreſſam. Sed Cajetanum rurſus Simon Werlinus A. 1647 refutavit, ſicut jam A. 1641 idem Valgravium refutaverat, licet liber contra Cajetanum ſcriptus demum A. 1649 prodiret. Eodem tem-

Digitized by Google

tempore Fronto diſſertationem ſuam recudi fecit, teſtimoniumque Naudæi de codicibus MStis Romanis illi inſeruit, & hoc ipſo velut claſſicum cecinit, & ad prælium viros doctos denuo evocavit. Namque ſtatim Robertus Quatremarius de Congregatione S. Mauri ad Frontonis Diſſertationem reſpondit, atque Naudæum perfidiæ tum in examinandis, tum in tractandis codicibus iſtis MStis accuſavit: in ſuſpicionem namque eum adducere conatus eſt, ac ſi codices iſtos, dum ad perluſtrandum illi conceſſi ſunt, ipſe depravaſſet. Huic acceſſit Franciſcus Valgravius, qui eidem Frontonis Diſſertationi reſponſionem oppoſuit, & eandem quoque contra Naudæum repetiit accuſationem. Naudæus itaque graviſſimi criminis exprobratione irritatus, non tantum armis, quibus pugnare eruditi conſueverunt, depellere hanc calumniam conſultum duxit, ſed ad magiſtratum quoque rem detulit, ut petulantiæ ſuæ promeritas darent pœnas, qui exiſtimationi ejus æternum inuſſiſſe dedecus videbantur. Et hactenus vicit in hoc judicio Naudæus, ut adverſarii ejus delere verba, quibus famam ejus laceſſiverant, juberentur, ſimulque prohiberetur ſub nomine Johannis Gerſenii librum imprimere, permitteretur contra Thomæ Kempenſis ei præfigere nomen. Interim Fronto tum Valgravio, tum Launoio (hujus enim de auctore hujus libri tractationem, qua pro Johanne Gerſenio contra Thomam Kempenſem ſententiam pronunciaverat, recudi fecerat Valgravius) nonnulla repoſuit. Naudæus autem editis variis tum Latino, tum Gallico idiomate libellis, cauſam ſuam acriter egit, præſertim in Cajetanum Abbatem calamum ſtrinxit, in *cauſæ*, ut vocat, *Kempenſis correctione*, nec mitiorem ſe præbuit erga Launoium in *Velitatione Kempenſi.* Paulo modeſtior eo fuit Thomas Carreus Anglus, qui eodem tempore pro Thoma a Kempis in arenam deſcendit, in libro cui titulum fecit: *Thomas a Kempis a ſe ipſo reſtitutus*. Atq; hunc ſane inter doctiſſimos Thomæ defenſores referendum eſſe Auctor cenſet. Ceterum Fronto quoque novis excogitatis rationibus iterum in ſcenam prodiit, nec defuit ſibi Launoius, ſed Frontoni librum oppoſuit: Vanquallius autem cum Marillacio congreſſus eſt, & quæ hic pro Johanne Gerſenio dixerat, diluere conatus eſt. Sed Canonici tamen regulares victoriam ad ſua tranſiiſſe caſtra non dubitabant, poſtquam publico decreto, ut antea diximus, ſancitum eſſet, ut ſub nomi-

nomine Thomæ de Kempis impoſterum liber iſte imprimeretur; hinc *Triumphum Thomæ de Kempis* ediderunt auctore Dencſio, itemque alium librum Gallico idiomate ſcriptum, titulumq; præferentem: *La Conteſtation touchant l' Auteur de l' Imitation de J. C.* cui in diſſertatione quadam Gallica Launoius quædam repoſuit. Benedictini interim, quos potuerunt, congeſſerunt codices manuſcriptos, eosque ſupremo Præſidi Domino de Lamoignon obtulerunt, qui cum viros quosdam doctrina præſtantes convocaſſet, judicatum rurſus fuit, hos codices nullum cauſæ Benedictinorum afferre præſidium. Acceſſerunt itaque iidem ad Franciſcum Harlæum Archiepiſcopum Pariſienſem, eique duodecim codices manuſcriptos obtulerunt: cumque itidem viros criticæ artis peritiſſimos, interque eos Valeſium, Baluzium, Cotelerium, aliosque convocaſſent, hi præſente Archiepiſcopo rem omnem accuratius ſub examen revocantes, tandem deprehenderunt, ſcripturam unius codicis a Naudæo in dubium vocatam omnino genuinam eſſe. Factum id die 14 Auguſti A. 1671, indeque Benedictini A. 1674 librum iſtum, præmiſſo nomine Johannis Gerſenii, recudi fecerunt, ſimulque in lucem emiſſa eſt Diſſertatio Delfonii, qua cauſa Benedictinorum ſtrenue defenditur. Acceſſit mox codex manuſcriptus Sluſianus Benedictinis ablatus, quem præſtantiſſimi Critici hanc ob cauſam die 23 Auguſti A. 1674 congregati pro genuino & ſatis antiquo, ut res ex eo confici poſſet, habuerunt. Canonici contra Regulares non tantum diſſertationi Delfonii A. 1677 reſponſionem oppoſuerunt, ſeu Vindicias Kempenſes a Teſtelleto conſcriptas, & mox per aliquot obſervationes refutatas, ſed congeſtis variis codicibus manuſcriptis, Criticorum itidem hanc ob cauſam die 4 Martii A. 1681 congregatorum ſolenni teſtimonio, illorum auctoritatem vimque probandi confirmari curarunt, ne hac in parte inferiores Benedictinis viderentur. Tandem vero Johannes Mabillonius & P. Michael ex itinere Italico reduces, aliquot libri hujus codices manuſcriptos ſecum attulerunt, eosque Criticorum celebrium, ad hancce cauſam diſceptandam congregatorum, judicio ſubmiſerunt, qui codicem Aronenſem, quem ex Italia apportaverant, non inferiorem annis trecentis, præterea duos alios tantæ antiquitatis judicarunt, ut res ex illis confici poſſet: factumque id die 28 Julii A. 1687. Hæc itaque

libr.

libri hujus fata poſtquam Auctor recenſuit, ad rem ipſam ſe confert, & primo quidem rationes enarrat, quibus probari poſſit, auctorem libri hujus non eſſe Bernhardum: tum codices manuſcriptos, qui nomen Thomæ de Kempis præfixum habent, ſub examen revocat, editionesque eidem auctori hunc librum vendicantes recenſet, nec prætermittit teſtimonia auctorum Thomæ a Kempis faventium, iisque & rationes, quibus idem evinci poſſit, addit; porro in medium producit rationes, quibus contra Thomam a Kempis pugnatur, & eas quoque accuratius ſibi conſiderandas ſumit: tum vero producit codices manuſcriptos & editiones, pro Johanne Gerſone Cancellario Academiæ Pariſienſis militantes, iisque rationes, quibus idem probari poſſit, ſubjungit; nec tamen rurſus reticet rationes, quæ contra Gerſonem proferri poſſint: atque his ita ordine enarratis, ad Johannem Geſſenium ſeu Gerſenium Abbatem accedit, & num Abbas aliquis Vercellenſis hujus nominis unquam vixerit, aut num forte cum Johanne Gerſone a nonnullis fuerit commutatus, diſquirit. Suam tandem hac de lite ſententiam hunc in modum exponit: primo certum putat & exploratum, auctorem hujus libri nec Bernhardum eſſe, nec Ludolphum Saxonem, cujus nomen in codice quodam manuſcripto legatur: deinde nullum extare argumentum, quo plane evincatur, Thomam a Kempis ejus eſſe auctorem; antiquiſſimum enim codicem manuſcriptum, qui ei favere videatur, de anno 1441, Thomæ quidem præferre nomen, ſed non auctorem, verum qui librum deſcripſit, eodem deſignari; reliquos codices aut editiones nihil probare, cum iis antiquiores, aut ſaltem æque antiqui ſint, qui Gerſoni aut Gerſenio faveant: ex ſtili conformitate nihil quoque colligi poſſe, cum hæc ſola ad librum auctori vindicandum non ſufficiat, nec in omnibus hic deprehendatur, incertum quoque ſit, quinam ex reliquis viri hujus libris eum auctorem agnoſcant. Præterea valde ſibi veroſimile videri aſſerit, librum hunc Thoma de Kempis eſſe antiquiorem; id quod ex codicibus, qui A. 1433, 1434, 1436, 1437 ſcripti ſint, demonſtrat. Quin vivente adhuc Thoma de Kempis, librum hunc Bernhardi quandoque aut Gerſonis aut Geſſenii nomen præfixum habuiſſe, itidem ex manuſcriptis codicibus ac editionibus nonnullis comprobat. Certum inſuper eſſe dicit, antiquiſſimos codices aut

O nullum

nullum nomen præfixum habere, aut nomen Gerſonis præferre. Et Johanni quidem Gerſoni non tantum multos codices favere, ſed in Francia quoque & Italia per duo integra ſecula, decimum quintum & decimum ſextum, omnium conſenſu eum pro libri hujus auctore fuiſſe habitum: ſed obſtare ei primo diverſitatem ſtili, tum quod Monachus non fuerit, qualem tamen auctorem libri fuiſſe conſtet. Sed illos quoque nullo fundamento niti, qui Gerſenium aut Geſſenium pro Abbate Vercellenſi Ordinis Benedictini venditent, cum in codice Aronenſi tantum Abbas vocetur, in ceteris autem codicibus nunquam ne Abbatis quidem nomen compareat: denique non poſſe definiri autumat, num in codicibus manuſcriptis nomina Geſen, Geſſen, Gerſen, Academiæ forte Pariſienſis Cancellarium Gerſonem, aut alium quendam, & præſertim Abbatem dictum deſignent. Atque ex his omnibus concludit, poſt tot diſceptationes, incertum adhuc manere, quis ſit libri hujus auctor.

SAMUELIS SCHELGVIGII, S. THEOL. D. & PROF. P. Athenæi Gedanenſis Rectoris, & ad SS. Trinit. ibidem Paſtoris, *QUAKERISMUS CONFUTATUS.*

Francof. & Lipſiæ apud J. A. Plener, 1699. in 4. Alphab. 3. pl. 7.

QUod in votis habuimus, Celeberrimum Autorem præſtitiſſe, atq; Examen Quakeriſmi ad finem feliciter perduxiſſe, gaudemus. Etenim in hac, quam jam exhibemus, Quakeriſmi parte poſteriori, reſiduos fidei articulos de Electione, Vocatione, Regeneratione, Juſtificatione, Pœnitentia, Unione Myſtica, Sanctificatione, Cultu Dei, aliisque Bonis Operibus; item de Lege, Evangelio, Sacramentis in genere, ac in ſpecie Baptiſmo & Euchariſtia; nec non de Eccleſia, Hierarchiisque Eccleſiaſtica, Politica & Oeconomica, denique de Noviſſimis, eadem methodo, qua priorem, anno 1697 menſe Januario p. 17. ſqq. nobis recenſitam, ſolide pertractavit. Et cum in priori recenſione, quæ Autor maxime Reverendus de Lumine Quakerorum luculenter tradiderat, ſpeciminis loco adduxerimus: penſum illud perſequi, atque impræſenti hypotheſes, quas de eodem Lumine circa pleroſque articulos in hac altera parte pertractatos fovent, excerpere ac

Digitized by Google

ac in medium producere placet, ut porro appareat, apud Quakeros Lumen internum utramq; paginam facere, & in illud omnia fere religionis capita reſolvi. Electionem juxta obedientiam Lumini interno actualiter præſtitam, reprobationem autem juxta obedientiam Lumini eidem actualiter negatam fieri perhibent, & ad hanc obedientiam vel inobedientiam eos reſpicere jubent, qui utrum electi vel reprobati ſint, ſcire cupiunt. Vocationem gratioſam quoque per Lumen ſuum fieri contendunt, & inter eos, notante Autore, Barclaius vocem vocationis illibenter uſurpat, ejusque in locum viſitationis nomen ſubſtituit, cum vocatio, juxta communem vocabuli uſum, externæ invitationi, quæ per vocem fit, denotandæ magis idonea reputari poſſit, quam internæ, in qua unice Quakeri acquieſcunt. Regenerandi facultatem verbo externo non minus quam baptiſmo aquæ denegant, ac Lumini interno acceptam referunt. Converſionem etiam ſine omnibus mediis externis, per ſolum Lumen internum peragi, idemque cuivis homini etiam non converſo ineſſe docent. Homines a Deo per unicum duntaxat & quidem internum medium, Lumen ſcilicet, juſtificari, idemque fidei ipſius principium aſſerunt, imo nonnulli quoque pro ipſo fidei objecto venditant. Veram pœnitentiam in eo conſiſtere opinantur, quod vox *Filii Dei*, per quam Luminis ſui impulſum intelligunt, auditur, eidemque obedientia præſtatur. In Unione Myſtica juxta illos Lumen ſe habet, ut alterum ſubjectum unitorum, ac medium unitionis eſt fides in Lumen. Sanctificationem docent obtingere, quando quis Lumen adſumſit, ſeque ad illius ductum convertit. Evangelium in externum & internum diſpeſcunt, illudque improprie ita vocari, nec ſpirituales effectus producere; hoc vero Lumen ſive Chriſtum internum eſſe, idemque omnibus etiam illis, qui nihil de Chriſto norunt, innoteſcere tradunt. Participationem corporis & ſanguinis Chriſti euchariſticam in introverſione ad Lumen conſiſtere dicunt. Ad Eccleſiam Catholicam Judæos, Turcas & Gentiles, modo Lumine ſuo colluſtrentur, pertinere, ac perinde in quavis religione ſalvari poſſe homines, nec quenquam ob religionis diverſitatem damnandum eſſe judicant. Anti-Chriſtum in unoquoque, qui Lumen Quakerianum non pro unico fidei principio agnoſcit, ſedem fixiſſe, arbitrantur. Magiſtratui, quoad uſque Lumen ſeu

p. 3. p. 8. p. 14. ſqq. p. 28. ſq. p. 41. ſeqq. p. 105. p. 109. ſq. p. 120. p. 321. ſqq. p. 396. ſqq. p. 422. ſqq. p. 435. ſq. p. 522.

Spiritus eorum permittit, obſequendum eſſe docent, inobedientiamque prætextu conſcientiæ Spiritui illi obſequentis palliant & excuſant. Quibus ut & cæteris falſis Quakerorum hypotheſibus Max. Rev. Autor non modo orthodoxas antitheſes oppoſuit, easque ſolidis rationibus corroboravit, ſed & objectiones magna ἀκριβείᾳ reſolvit.

REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ HISTORIA,

IN QUA PRÆTER IPSIUS ACADEMIÆ ORIGInem, & progreſſus, variaſque diſſertationes, & obſervationes per 30 annos factas, quam plurima experimenta & inventa cum Phyſica, tum Mathematica in certum ordinem digeruntur. Auctore JOANNE BAPTISTA DU HAMEL, ejuſdem Academiæ Socio, & Exſecretario.

Pariſiis apud Stephanum Michallet, 1698, 4.
Conſtat 2 Alph. 7 Plag.

Quatuor in libros egregium hoc opus, quod quidem paulo ſerius ad nos pervenit, diſtribuitur. In primo quæ acta ſunt in Illuſtriſſima Academia, ab exitu anni 1666 ad initium usque anni 1675, continentur; ſecundus ad annum usque 1684; tertius ad annum 1692 excurrit; poſtremus in anno 1696 deſinit.

Primus hujus hiſtoriæ liber ſectiones undecim, quæ in varia capita penes rerum varietatem, & temporum ſeriem diſtribuuntur, continet. In ſectione prima Academiæ Scientiarum inſtitutio, quæq; exeunte anno 1666 geſta ſunt, continentur; ubi quæ Regem Chriſtianiſſimum moverint rationes, ut hunc Eruditorum cœtum aggregaret, qui fuerint primi hujus Academiæ Socii, quæ prima illius exordia, docetur. In ſectione proxima de Phyſicis laboribus anno 1667 ſuſceptis agitur. Illud inprimis Academiæ propoſitum fuit in rebus Phyſicis, ut quæ ad corporis humani cognitionem, plantarum, & animalium hiſtoriam, in iis quæ Chymicas analyſes ſpectant, potiſſimum elaboraret, ſic tamen ut, quæ Phyſicæ generali lucem aliquam afferre poſſunt, non omitteret. Nec ea tantum quæ rara ſunt & inſolita, ſed ea maxime quæ ſunt ante oculos poſita, ut calorem, frigus,

Digitized by Google

frigus, motuum leges, corporum gravitatem &c. expenderet. Exemplum in hanc rem ſatis idoneum hujus anni 1667 hyems acrior ſuppeditavit, ut quanta eſſet vis frigoris in aqua dilatanda, innoteſceret. D. Hugenius die 8 Januarii, cum ſæviret frigus acerrimum, juſſit tubum ferreum ſclopeti in duas partes ſecari, atque unius extremum ferruminari, tubi aqua repleti extremum alterum cochleæ ope vi adactæ occludi, plumbum liquefactum ſuperfundi, ad feneſtram ſui cubiculi gelido aeri tubum noctu exponi, qui circa horam ſeptimam matutinam magno cum ſtrepitu crepuit. In parte altera tubi idem experimentum fuit iteratum, tum de cauſa hujus dilatationis fuſe diſputatum.

Varia quoque experimenta facta ſunt circa ponderis augmentum in quibusdam mineralibus, ut in regulo antimonii in marmore triti, radiis Solaribus expoſito, & ope ſpeculi uſtorii incenſo. Tum qua ratione experimenta fieri, & ab aliis facta expendi debeant, agitatum eſt.

Hinc ad obſervationes Anatomicas tranſitu facto, de transfuſione ſanguinis tum temporis obſervata actum eſt. Aquarum mineralium natura & vires ex analyſi indagatæ. Hoc anno diſſertatio viri eruditi & experti de calcis præparatione & uſu diſcuſſa fuit.

Sectione tertia variæ obſervationes Aſtronomicæ, quæ cæteris inſtar fundamenti ſubſternuntur, anno 1666 & 67 factæ exhibentur. Epiſtola D. Auzout ſcripta eſt ad D. Oldemburg, Regiæ Societatis Anglicanæ Secretarium, de obſervandis planetarum diametris. Agitur porro de micrometri origine & uſu, de Solis eclipſi, quæ die 2 Julii anni 1666, item de eclipſi Lunæ horizontali, quæ die 16 Junii contigit. Tum linea meridiana in loco, qui Obſervatorio erat deſignatus, fuit accurate delineata; tumque temporis acus magnetica non amplius quam 15 minutis ad Occidentem viſa eſt declinare.

Multa quoque de rebus Geometricis, Algebraicis, Mechanicis ſunt agitata, quæ poſtea typis regiis magna ex parte ſunt excuſa, & ineunte anno 1668 propoſita; tum etiam vires motrices animalium examinatæ; quanta ſit vis hominis cum vi motrice equi comparata, experiri placuit; ac multa circa vecturas ſunt expoſita; ampliores rotæ curruum cum minoribus collatæ.

Digitized by Google

Eclipſis Lunaris, quæ die 26 Maii anno 1668 contigit, magna cura fuit obſervata; illius diameter apparens definita. De longitudinum ſcientia tum actum fuit, arcani cujusdam propoſiti occaſione. Cumque hoc anno 1668 D. Caſſinus adhuc Bononiæ agens invitaſſet Aſtronomos ad obſervationes eclipſium Jovis ſatellitum faciendas, complures ſunt in Bibliotheca regia obſervatæ, tumque primum in Gallia magna ſpes affulſit, fore ut ope ephemeridum, quas in hanc rem texuerat D. Caſſinus, longitudinum differentiæ accuratiores, quam antea haberentur.

De Hydroſtaticis quoque anno eodem 1668, de motu & preſſione aquæ profluentis, agi cœptum eſt. Multa in hanc rem facta ſunt experimenta, Caſtelli & Torricelli enunciata variis experimentis ſubjecta; aliud quoque experimentum factum eſt & diſcuſſum de follibus, qui ex aquæ lapſu multum venti emittunt; de vi motrice aquæ & aeris diſputatum fuit; variæ machinæ a D. D. Hugenio, Mariotte, & Caſſini anno 1669 propoſitæ, & factæ, quibus vis motrix aeris exponitur. Quæ commoda & utilitates hinc colligi poſſint, expoſitum. Algebraica quoque & Geometrica problemata ſunt propoſita, & inter poſthuma Academicorum opuſcula paucis abhinc annis ſunt publicata.

Sectio quarta quædam anno 1669 acta complectitur, Aſtronomica inprimis. Tum D. Caſſinus, qui ex Italia in Galliam recens advenerat, Geometricam & directam Apogæa, Excentricitates & Anomalias inveniendi rationem, quod eſt præcipuum Aſtronomiæ fundamentum, propoſuit.

Sectione quinta de rebus Phyſicis per biennium agitatis fuſe diſſeritur. Primum varia in machina pneumatica facta ſunt experimenta, quæ primo hujusdem ſectionis capite recenſentur, inter quæ inſigne illud fuit de plantarum vegetatione. De aquæ marinæ ſalſugine exuenda, arcanum a viro erudito propoſitum, examini ſubjectum fuit. De analyſi plantarum univerſim diſceptatum; poſtea de ſucci nutritii in plantis circuitu copioſe fuit diſputatum. Utrinque rationes propoſitæ. Poſtea ventum eſt ad hiſtoriam animalium: Erinaceus diſſectus; Accipenſeris deſcriptio in Academia Cadomenſi facta, & ab Illuſtriſſimo Huetio miſſa, in commentarios relata fuit; circa quædam inſecta obſervationes ſuas propoſuit D. Frenicle.

Digitized by Google

nicle. De ſtructura oculorum, & præcipuo viſionis organo inter D. Pecquet & D. Mariotte variis utrinque ſcriptis diſceptatum, quæ omnia in hac ſectione proferuntur.

In proxima, quæ ſequitur, ſectione quam plurima circa liquorum concretionem experimenta facta narrantur, & in cauſas coagulationis inquiſitum. Conſimili ratione de rerum gravium deſcenſu, & cauſis illius motus, inter D. D. Hugenium & Robervallium diſputatum; utriusque rationes, & experimenta in eam rem facta, expenduntur.

Sectio ſeptima quasdam exercitationes Phyſicas circa naturalem hiſtoriam complectitur, de analyſi plantarum univerſim; unde aquarum, quæ plerisque plantis eſt uberior, aciditas profluat; qua ratione pondus earum dignoſci poſſit; quibus indiciis partium tenuitas, aut ſubtilitas explorata habeatur. Varia circa vim frigoris facta experimenta proponuntur; ſimul congelationis cauſa & modus.

Proxima quæ ſequitur ſectione obſervationes Aſtronomicæ annis 1670, 71, & 72 peractæ, variæ itidem demonſtrationes mechanicæ perſtringuntur; ſed illud inprimis exponitur, qua ratione terræ accurata dimenſio facta fuerit.

Sic ſectione nona de Regii Obſervatorii ſtructura & uſu, de obſervationibus in Dania anno 1671 factis, de utriusque meridiani Pariſienſis & Uraniburgenſis differentia, de poli altitudine Uraniburgi ſumpta, & de aliis pluribus circa Martem factis obſervationibus; de illius parallaxi, de macula Solari reduce, de refractionibus, ac de obſervationibus in America factis copioſe diſſeritur. Utriusque ſolſtitii locus, & tropicorum diſtantia ex obſervationibus Cayennæ peractis ſunt definita: Solis eclipſis die 22 Auguſti anno 1672 Lutetiæ & Cayennæ viſa fuit. Utrumque æquinoctium, autumnale nimirum anni 1672, & vernum 1673, Cayennæ a D. Richer fuit accurate obſervatum, atque hinc, quantum temporis in ſignis Auſtralibus Sol commoretur, concluſum fuit. Pendulorum, quæ intra minutum ſecundum excurſiones ſuas peragunt, longitudo in ea Americæ regione eſt brevior una linea cum quadrante, quam *Lutetiæ*: adeo ut horologium Pariſiis exquiſite elaboratum, & in Cayennam translatum, ſingulis diebus tardius duobus minutis moveretur.

Anno

Digitized by Google

Anno 1671 menſe Octobri ſatelles Saturni, qui inventione ſecundus, ſed ordine quintus dici debet, a D. Caſſino fuit detectus.

Sectione decima phyſicas exercitationes complectitur. Prodromus plantarum a D. Dodart tum fuit elaboratus, in cujus præfatione de ſtirpium viribus, de earum analyſi ſummatim diſſeritur.

Sectio undecima hiſtoria anatomica animalium, quæ annis potiſſimum 1672 & 73 diſſecta ſunt, continetur: eaque ſic ſuſcepta eſt, ut partes interiores non minus quam exteriores oculis & animo ſubjiciantur. Leonis, Leænæ, Chameleontis, Cameli, Urſi, Capræ Lybicæ, & aliorum animalium; Avium quoque, ut Corvi marini, Gallinæ Africanæ, trium Aquilarum, Avis tardæ, Struthionis, alterius Indicæ Struthioni conſimilis, Teſtudinis demum hiſtoria anatomica in hac ſectione ſatis dilucide explicatur. Atque hæc de libri primi ſummario.

Liber ſecundus in undecim quoque ſectiones dividitur. Prima res Anatomicas, & Chymicas anno 1675 diſcuſſas complectitur. D. Perrault diſſertationem de motu periſtaltico, quæ poſtea publicata eſt, tum temporis elaboravit. Monſtri cujusdam fit mentio, quod Toloni in Provincia natum eſt die 21 Auguſti; id duplici capite, 4 brachiis, totidem cruribus, trunco unico, corde duplici, uno hepate, unico ventriculo inſtructum erat.

Inter experimenta Phyſica illud eſt memorabile a D. Bourdelin factum circa caput mortuum, quod ex oleo diverſarum ſtirpium ſexies & vigeſies extillato ſupererat, novæ ſemper aquæ communis additione; ex 10 olei unciis duæ tantum cum ſemiſſe olei purioris factæ ſunt reſiduæ; aqua toties deſtillata ſolutionem ſublimati præ ſale volatili præcipitem dedit. Non ſtirpium modo, ſed & terrarum analyſi facta, quæ erant fertiles liquorem præbuerunt ſulphureum, qui cum ſpiritu ſalis multum efferveſcebat. Multa quoque facta ſunt experimenta Phyſica ſpeculi uſtorii ope: lateres, teſtæ, ardeſiæ, cuprum, brevi temporis ſpatio in vitrum ſunt converſa, uti & lapis hæmatites, vena plumbi, creta Veſuntiana, terræ damnatæ in pulverem antea redactæ. Nonnulla demum experimenta circa liquorum miſtionem facta.

Sectione ſecunda obſervationes Aſtronomicæ iisdem annis 1675 & 76 peractæ recenſentur. D. Caſſinus hypotheſes ſuas circa motum

Digitized by Google

tum librationis Lunæ propoſuit; Solis & Lunæ eclipſes, variæ Satellitum configurationes explicatæ. Porro de luminis propagatione, de libellæ uſu & fabrica actum fuit; varia Geometriæ & Mechanices problemata propoſita ſunt & ſoluta; ac demum opus juſſu Regis de machinatrice ſcientia ſuſceptum, de quo fuſe cap. ſecundo hujus ſectionis; varia machinarum genera itidem propoſita, quæ cap. tertio perſtringuntur. Chymica & Phyſica experimenta, die 22 Martii anni 1677 coram Sereniſſimo Franciæ Delphino facta, ſectione tertia referuntur. Alia quam plurima eodem in loco habes explicata. Tractatus de auditus organo tum fuit a D. Du Verney elaboratus. Phyſicæ obſervationes circa pendulorum longitudinem, æſtum maris reciprocum, circa ventos & aliæ complures a D. Richer Cayennæ factæ recenſentur.

Obſervationes Aſtronomicæ de Cometa, qui anno 1677 menſe Aprili ſe videndum præbuit, cujus motum diligenter perſecutus eſt D. Caſſini, ſectione quarta continentur. De Mercurio itidem in Sole viſo die 5 Novembris anno 1677, actum. Refractionum fundamentum diſcuſſum. Mechanica item complura, ac projectionum doctrina explicata; machina parieti Obſervatorii aptata fuit, cujus ope Galilæi & Torricelli circa projectionum directiones theoria, coram Sereniſſimo Franciæ Delphino experientia ipſa fuit confirmata; multæ machinæ propoſitæ tum ab externis, tum ab Academicis; variæ librationes factæ, quo exploratum haberetur, an aqua e Ligeri Verſalias usque deduci poſſet.

Experimenta Phyſica & Chymica, anno 1678 facta, ſectione quinta recenſentur. Hactenus 450 ſtirpium analyſes peractæ; obſervationes circa inſenſibilem perſpirationem a D. Dodart factæ memorantur; de mellis origine diſſertatio a D. Du Verney propoſita; multa ab eo circa ſenſuum organa ſunt animadverſa. Quæ D. Dodart in duobus pueris hydrocephalis obſervavit, ſunt annotata, in quibus ventriculi cerebri aqua limpida trium librarum pondere oppleti erant.

Mathematica ſectio ſexta complectitur. Inſignis fuit eclipſis Saturni, corporis Lunaris interpoſitu; Pleiadum configuratio a D. de la Hire delineata; maculæ in Sole viſæ & motus earum definitus; nonnulla quoque ſpeculatione digna circa ſatellitum Jovis eclipſes

clipſes ſunt obſervata; maculæ in iis deprehenſæ, ex quibus ſatellites circa ſe verti concluſum. Nonnullæ & D. D. Caſſini & Rœmer machinæ ſunt excogitatæ; ille planiſphærium exſtruendum curavit, hic machinam, in qua Saturnus cum annulo ſuo & ſatellitibus, & aliam in qua Jovis ſatellitum configurationes variæ exhibentur. D. de la Hire viam expeditam invenit iis delineandis, quæ in cœlo per teleſcopium contuemur, idque ope ſpeculi metallici, & plani; idem plurimas ſectionum conicarum affectiones demonſtravit. Multa de aquis fontium ſalientibus D. Mariotte expoſuit.

Sectio ſeptima, quæ de recenti invento phoſphori ſicci & liquidi facta ſunt experimenta, quæque novi microſcopii ope ſunt deprehenſa, nonnullas plantarum rariorum analyſes, experimenta ſpeculi uſtorii ope facta, nonnulla quoque circa magnetem tentata, quorumdam animalium, ut pantheræ, tigridis, avis quæ platea dicitur, deſcriptionem delibat.

In ſectione octava fit mentio eclipſis Jovis, Lunæ interpoſitu, quæ die 5 Junii anni 1679 contigit. Variæ ſatellitum eclipſes a D. Caſſini obſervatæ cum iis quæ a D. D. Picard & de la Hire, qui tum in partibus Galliæ occidentalibus verſabantur, ſunt collatæ, e quibus locorum longitudines eruuntur longe accuratiores, quam ex ipſæ, quæ in tabulis Geographicis deſignantur. Multa de utilitate earum obſervationum eo loco adnotantur, uti de maculis & zonis Jovis, de inſigni macula, quæ die 20 Maji anni 1680 viſa eſt: motus illius figura lineari exprimitur. Novi cycli tum Solares tum Lunares a D. Caſſini excogitati. Die 27 Auguſti D. Roemer machinam ſuam planetariam exhibuit, quæ perpetuarum ephemeridum loco eſſe poſſit; eodem die alterius machinæ, quam dimetiendis Lunæ motibus animo conceperat, formam propoſuit, quæ brevi poſt tempore ab egregio artifice D. Thuret fuit abſoluta. Ante aliquod tempus D. de la Hire machinam excogitaverat ad eclipſes inveniendas. Multa is theoremata circa ſectiones conicas demonſtravit. D. Caſſini novam excogitavit numerorum progreſſionem, cujus ſunt inſignes quædam proprietates. Mittimus varia de Dioptrica, libellandi arte, de horologii portatilis perfectione propoſita & effecta anno 1681. Elephas Verſaliis diſſectus a D Du Verney; ſingulæ partium figuræ a D. de la Hire ſunt delineatæ; quæ in

in hujus belluæ diſſectione ſunt obſervata, in proboſcide inprimis, Sectione nona exponuntur.

Exeunte hoc anno parvus crocodilus Verſaliis diſſectus fuit, cujus etiam partes D. de la Hire delineavit. De ſalſugine aquæ marinæ detrahenda actum fuit; machina D. Papin, emolliendis oſſibus & elixandis carnibus deſtinata, tum fuit propoſita.

Die 5 Decembris Ludovicus Magnus Academiam præſentia ſua cohoneſtavit; quæ tum acta fuerint, eo loco paucis enarrantur.

Anno 1680 exeunte, inſignis in cœlo viſus eſt Cometa, de quo tractatum conſcripſit D. Caſſinus, qui obſervationes ſuas cum iis, quas accepit e tota pene Europa, contulit. Complures aliæ factæ ſunt obſervationes, circa Venerem inprimis, quæ ineunte menſe Junio eundem cum Sole parallelum pertranſiit; utrumque æquinoctium, autumnale & vernum fuit definitum. Circa res Geographicas præcipuus labor incubuit, ac primum de charta Galliæ inſtauranda actum fuit.

Quæ geſta ſunt anno 1682, cum in Phyſicis, tum in Mathematicis, ſectio decima complectitur. Ciconia, avis vulgo dicta *Caſuel*, pſittacus *Arras* dictus, & aliæ aves Verſaliis allatæ diſſectæ ſunt. Illud experiri placuit, quantum ſalis volatilis ſit adhibendum, ut una cum ſpiritu ſalis tumultuetur. Tractatum ſuum de coloribus tum abſolvit D. Mariotte, & legit in conventu Academicorum, qui poſtea typis mandatus eſt. Occaſione Lunaris eclipſeos, quæ die 21 Februarii accidit, D. Caſſinus diſſertationem de Lunæ defectione conſcripſit, in qua præter cætera cauſas affert, cur umbra Telluris tum radiis Solaribus nonnihil illuſtretur, idque ex radiis in Telluris atmosphæra proficiſci demonſtrat. Die 21 Maii Ludovicus Magnus Obſervatorium inviſit, inſtrumenta Aſtronomica, & univerſæ terræ planisphærium, cujus diameter eſt 27 pedum, in tabulato turris occidentalis ſumma cura delineatum, icones Lunæ a D. Caſſini opera quam diligentiſſime delineatas, uti & piſcium figuras a D. de la Hire expreſſas eſt contemplatus. Tum temporis D. Du Glos in inſulam S. Thomæ ſub linea æquinoctiali profectus eſt. Exeunte Auguſto Cometa apparuit ſub Urſæ conſtellatione: obſervationes factæ in Goræa inſula a D. D. du Glos, Deshayes & Varin miſſæ ſunt ad Academiam.

Ex obſervationibus a D. D. Picard & de la Hire factis circa utriusque maris littora, locorum inſignium, quæ ad Oceanum ſita ſunt, tum latitudines, tum longitudines ſunt conſtitutæ. D. de la Hire in Provinciam profectus, maris Mediterranei præcipuas urbes inviſit, & earum poſitiones perſpectas habuit, ex quibus & aliis, quæ anno inſequenti ſumma diligentia ſunt peractæ, charta Galliæ multo accuratior, quam quæ hactenus prodierunt, concinnari poteſt.

Illud ex longa obſervationum ſerie concluſum fuit, locorum longitudines multo iis arctiores eſſe, quæ in tabulis Geographicis ſunt deſignatæ. Unde ſi eadem ratione, quæ in Gallia fuit uſurpata, aliarum regionum longitudines, ſeu differentiæ Meridianorum contrahantur, non multum a vero aberrabimus; cujus rei periculum factum eſt in magno Obſervatorii planisphærio.

Tractatum de Gnomonica hoc vertente anno legit D. de la Hire, quem brevi poſt tempore in lucem emiſit; circa Hydroſtaticam D. Mariotte quædam fecit experimenta, quæ hoc in loco perſtringuntur.

Obſervationes Aſtronomicæ anno 1683 factæ poſtrema ſectione memorantur. Cum D. Facio de Duilliers quædam in globo Saturni obſervaſſet, quæ a D. Caſſino ante aliquot annos viſa fuerant, de his inter ſe contulerunt, atque ex iis, Saturnum circa ſuum axem verti, concluſum fuit; novum quoque phænomeni genus in cœlo deprehendit D. Caſſinus die 18 Martii, lumen videlicet quoddam oblique ſecundum Zodiacum porrectum. D. de la Hire ſtellæ majoris canis meridianam altitudinem qualibet hora diei & noctis, etiam in ipſa meridie cepit, quod ante factum non fuerat, idque permagni uſus eſſe poteſt. Die 3 Aprilis D. Caſſini propoſuit methodum inveniendi Meridianorum differentias in obſervationibus ſatellitum Jovis, etiamſi eadem obſervatio in altero locorum facta non fuerit. Exemplum hujus methodi cap. V hujus ſectionis allatum reperies.

Qua ratione linea Meridiana ab Oceano ad mare usque Mediterraneum produci poſſit, D. Caſſinus peculiari diſſertatione expoſuit. In duas partes diviſi ſunt qui huic operi perficiendo fuerunt deſtinati. D. Caſſinus lineam Meridianam ad S. Salvatoris, in Borbonio tractu pro-

promovit, hoc eſt, ad 140000 hexapedas. D. de la Hire ab oppidis Mondiderio, & Surdonio uſq; ad Caſſellum montem progreſſus eſt. Sed mors inopina Illuſtriſſ. Colberti hoc opus magna ex parte provectum abrupit.

Libri tertii ſectio prima ab experimentis Phyſicis & Chymicis anno 1684 ſuſceptis initium ducit. De ſalſugine aquæ marinæ actum fuit; variæ ſunt ſtirpium factæ analyſes, præmiſſa earum maceratione; experimenta quoque nova circa liquorum coagulationem, & efferveſcentiam, a D Borel tentata fuerunt; liquor ex hydropico per paracenteſim eductus, a peritiſſimo Chirurgo fratre D. du Verney ſale volatili fœtus inventus eſt; ſanguinis humani analyſis facta; nonnulla circa glaciem iterata ſunt experimenta.

Nonnulla animalia Verſaliis aſportata diſſecta ſunt, & deſcripta, ut felis odorata, vulgo *civette*, ſimia, hyſtrix, leæna; pellis ranæ ſtructura ſingularis a D. Mery expoſita. Hoc anno duo ſatellites Saturni, qui ordine ſunt primi, a D. Caſſini ſunt deprehenſi, & eorum motus ab eo definiti. Syſtema Saturni & ſatellitum ejus abſolutum Regi inviĉtiſſimo obtulit; de parallaxi Martis, & de macula tum in Sole viſa diſſertationem conſcripſit. Intra 15 dies duæ eclipſes, una Solis, Lunæ altera ſunt obſervatæ, atque occaſione Solaris eclipſis D. Caſſini de prædictione earum eclipſeon diſſertationem elucubravit. Ineunte hoc anno D. D. Sedileau & Chazelle obſervationes cum D. Caſſino factas, & calculos a ſe initos in producenda linea Meridiana ab Obſervatorio verſus Auſtrum, in ordinem digeſſerunt. D de la Hire inchoatam Galliæ tabulam exhibuit, in qua præcipui portus ſic notantur, ut differentiæ inter eorum ſitus, ac eos qui a Geographis in tabulis deſignantur, ſtatim conſpiciantur.

Anno 1685 P. Fontenay cum tribus aliis Societatis ſuæ Patribus in orientales plagas profecturi, in Academiam venit: de iis quæ ad Aſtronomiæ & Phyſices amplificationem faciunt, cum Academicis collocuti ſunt; de mutua cum Academia ineunda ratione & ſocietate jam ante convenerant.

Sectione 2 inter multa experimenta Phyſica, multa de rebus Diop-tricis, illud præter cætera inſigne eſt, quo vitra teleſcopii in res objectas, ſeu in cœlo, ſeu in terra poſitas diriguntur, idque citra

Digitized by Google

tuborum, aut machinarum apparatum. Ea ratione D. Caſſini duos ſatellites Saturno proximos deprehenderat, uſus vitro objectivo 100 pedum, quod nullo erat tubo inſtructum. Medium eclipſis Lunaris, quæ die 21 Januarii anni 1684 Lutetiæ fuit obſervata hora 10, 57, eodem die Goæ viſum eſt hora 15, 43 min. 30. ſec. Cum futura eſſet eclipſis Lunæ die 10 Decembris anno 1685, ac magni intereſſet, ſi per tempus liceret, eam diligenter obſervari, quod tum Apogæo Luna futura eſſet proxima, ubi nulla pene eſt æquatio, hujus rei Aſtronomos admonuit D. Caſſini. Machinæ complures ſunt propoſitæ.

Sectione tertia multa, quæ ad hiſtoriam naturæ ſpectant, anno 1686 ſunt propoſita, illud inprimis, quod quinta aut ſexta ab urbe Veſuntione leuca naturalis quædam eſt velut glaciei repoſitæ officina, de qua capite 1 hujus ſectionis paulo uberius; multæ quoque factæ ſunt ſtirpium & fructuum analyſes, qualis fuit fabæ illius nunc pervagatæ, quæ Café vulgo dicitur. Quædam circa ventos obſervavit D. de la Hire ſpeculatione digna. In diſſecandis animalibus nonnulla ſunt obſervata a D. du Verney, quæ breviter attinguntur. In grue Africana trachæam animadvertit in tres diductam anfractus, & fere inſtar tubæ bellicæ convolutam. D. Thevenot lacertum viridem exhibuit, cujus cauda reſecta, quaſi renaſci viſa eſt; lupum cervarium aſportandum curavit D. Mery; liquor injectus in inteſtina portæ ramos pervaſit. Diſſertationem de quinque ſatellitibus Saturni D. Caſſinus hoc anno 1686 publici juris fecit. Inſignis inter alias ea fuit obſervatio, qua Jovis & ſatellitum ejus Lunæ interjectu viſa eſt defectio. Exeunte Februario conjunctio Martis & Jovis a Patre le Comte, qui tum in Siamenſi regno degebat, ut & ab aliis ſuæ Societatis viris fuit obſervata. Maculæ in Sole viſæ die 4. Maii motum D. Caſſinus cum aliis maculis a ſe & Scheinero viſis contulit.

Hic annus novarum machinarum proventu ferax fuit, quas partim Academici, partim exteri excogitarunt, atque earum typi magna ex parte in Obſervatorio ſunt repoſiti.

Sectione quarta anni 1687 acta perſtringuntur, primum ſtirpium quarundam analyſes, ut crudi Cacao; nova lapides Bononienſes calcinandi ratio; varia in machina pneumatica facta experimen-

Digitized by Google

rimenta; nonnullæ quoque Aſtronomicæ & Phyſicæ obſervationes a P. Fontenay ad Academiam Siamo miſſæ.

Acta anno 1688 quinta ſectio complectitur; primum analyſes rerum ex quibus materia medica magna ex parte conſtat, gummi, reſinarum, bituminum; nonnulla circa ſalium acidorum & Alkali miſtionem, ut de urinæ analyſi taceam. Varia quoque animalia ſunt diſſecta; in ſingulis, quæ ſpectanda magis erant, non omiſſa, ut in ave tarda, cercopitheco, grypho, ſultana, camelo. Fontes nonnulli in Gallia ſpectabiles, terræ motus, qui eo anno Smirnam concuſſit, hiſtoria, & alia non contemnenda curſim referuntur.

De die Paſchatis diſſertationem legit D. Caſſini, qui induciarum tempore profectus in partes Galliæ Boreales, ibi urbium aliquot poſitiones obſervavit.

Sectiones ſexta & ſeptima acta annorum 1689 & 1690 complectuntur. Obſervationes circa nivem & glaciem, nec non circa ferri congelati contractionem factæ; novum & rarum in aere phænomenon, quod Heilbronæ ad Necrum viſum eſt, alia itidem Phyſica phænomena referuntur. Multa animalium cadavera ſunt diſſecta; nonnulla circa dentium formationem animadverſa; a D. du Verney muſculi avium reſpirationi deſtinati ſunt expoſiti; veſicæ ſtructura diligentius fuit examinata. In publica domo cadaver militis annos 72 nati aperuit D. Mery, in quo partes omnes thorace & abdomine contentæ, locis ſuis emotæ viſæ ſunt, adeo ut quæ in dextro latere extare debuerant, in ſiniſtro invenirentur.

Anno 1690 D. Varignon ſyſtema ſuum de gravitate & deſcenſu corporum gravium expoſuit, quod poſtea publici juris fecit. Circa plantarum nutritionem nonnulla fecit experimenta D. de la Hire; D. Mery cyſtim felleam leonis exſiccatam protulit, in qua ſeptem erant veluti ſepimenta, ſuo quæque foramine pertuſa.

Die 23 Auguſti anni 1690 Rex Magnæ Britanniæ, principibus Angliæ viris comitatus, in Obſervatorium venit. Quæ in eo continentur inſtrumenta & machinas eſt contemplatus; quæ tum acta fuerint, fuſe in ſeptima ſectione habes explicata.

Phyſicæ obſervationes a P. P. Societatis in Indiis Orientalibus factæ octava ſectione perſtringuntur. Quantum aquæ Lutetiæ quotannis decidat, indagatum. Hinc de fontium origine & fluminum lapſu variæ conjecturæ.

Anno

Digitized by Google

Anno 1691 fruſta rubiginis ferreæ Carnuti in cujusdam turris ruina reperta, & in magnetem verſa, ad Academiam miſſa ſunt. Res Anatomicæ eodem anno complures diſcuſſæ; ſtructuram oculi in ſtruthione, trochleæ & funiculi, quæ velo ſubducendo ante corneam inſerviunt, artificium expendit D. du Verney; multa D. Mery circa tres ventriculos cordis teſtudinis maximæ animadvertit.

Variæ mutationes in Jove hoc anno & ſuperiori contigerunt, novæ maculæ & faſciæ. Ante annum 1690 novæ maculæ in Jove non viſæ fuerant. Obſervationes Aſtronomicæ in plagis Orientalibus factæ a P. P. Societatis miſſæ ad Academiam, multa complectuntur ad Geographiæ juſtam rationem & navigationem utilia. Circa æram Siamenſium & eorum calendarium quædam ſunt a D. Caſſino explicata. Nonnulla circa Veneris conjunctionem cum Sole D. de la Hire, & D. Caſſinus circa Jovis cum Sole copulam obſervarunt. D. Varignon quædam problemata mechanica & hydroſtatica propoſuit & ſolvit, quæ eo loco enunciantur.

Poſtremus hujus Hiſtoriæ liber ab anno 1692 ad annum uſque 1697 excurrit. Sectione prima Anatomicæ obſervationes in hyſtrice, in ſtructura pelicani, ac præſertim in illius pelle, in plumarum radicibus, multa circa viperarum anatomen obſervata. Complura circa viperarum morſus facta ſunt experimenta, ſi forte hinc liqueret, in quo poſitum ſit viperæ venenum. Circa phoſphorum quædam experimenta fecit, ac illius præparationem dilucide expoſuit D. Homberg & varia illius phænomena. Idem circa plantarum analyſes multa animadvertit non contemnenda.

Acta publica hujus anni, quæ in cœlo ſint phænomena, exponunt. Unius e ſatellitibus Saturni cum ſtella fixa conjunctio fuit a D. Caſſino obſervata. Perraro planetarum cum fixis conjunctiones contingunt, adeo ut vix quatuor aut quinque ab Aſtronomiæ exordio ad hujus ſeculi initium numerentur. Die 12 Martii D. de la Hire tranſitum Lunæ per aliquot Pleiadum ſtellas obſervavit. Sic 19 Maii Veneris eclipſis hora tertia a meridie a D. Caſſino conſpecta. Tranſitus Martis per nebuloſam Cancri die 23 Maii viſus eſt. Novæ Algebræ regulæ a D. Rolle ſunt propoſitæ, quæ menſis Januarii Actis continentur, ut & varia problemata Geometrica a D. Varignon propoſita, Motuum regulæ, quæ a Galilæo, & aliis

fuerunt

Digitized by Google

fuerunt explicatæ, nova methodo & univerſaliſſima ſunt demonſtratæ.

Quæ geſta ſunt in Academia anno 1693, majori ex parte collata ſunt in Acta publica illius anni. Occurrit primo inſigne parhelium 18 Januarii a D. Caſſino obſervatum, cujus rationem ipſe indagavit; ejus occaſione phænomenon experiri voluit D. de la Hire, an aquæ, quam glaciei major ſit refractio, & rem ita eſſe comperit. Quæſita quoque eſt ratio, cur ſola aqua præ frigore dilatetur; in quam rem quædam a D. Homberg in ſua machina pneumatica facta ſunt experimenta. De origine fontium iterum actum fuit, nec non de vegetatione plantarum, ac quædam de portentoſa mutatione Fraxinellæ a D. Marchand annotata & deſcripta; nonnulla de aſcenſu ſucci nutritii in plantis a D. de la Hire propoſita ſunt, & variis experimentis munita; quædam de ſtirpium vegetatione in vacuo, pauca de viribus quarumdam plantarum ſubdita; de remediis itidem adverſus viperarum, & venenatorum animalium morſum, de reſpiratione in fœtu, & teſtudine diſceptatum eſt; muſculorum ſtructura *in* pede leonis & urſi accuratiori examini ſubjecta *fuit*.

Multæ demum obſervationes Aſtronomicæ circa Jovis & Saturni oppoſitiones factæ: quæ a P. P. Societatis miſſæ fuerant, eas P. Gouie publici juris fecit, e quibus D. Caſſini locorum longitudines, Mercurii ab Ecliptica diſtantiam, & alia eruit, quæ in Acta Academiæ menſis Maii collata ſunt. P. le Comte, qui recens ex Sinenſi regno advenerat, in Academiam ſe contulit die 21 Novembris, ac multa ſcitu digna ex iis regionibus protulit; ut obſervationes a P. P. Societatis in eo regno & in ea regione, quæ Pontichery dicitur, peractas, chartam Tartariæ, ſtirpes raras optime delineatas. D. Varignon vires cunei nova eaque univerſali ratione demonſtravit.

Sectione tertia res Mathematicæ, quæ anno 1694 ſunt pertractatæ, Aſtronomicæ inprimis continentur. D. Chazelles Hydrographiæ Profeſſor Regius, nunc Academiæ Socius, cum Regis juſſu mare Mediterraneum perluſtraret, ac longitudines & latitudines locorum captaret, illud mare ab inſula Melitenſi ad Ægyptum usque longe majus, quam revera ſit, in chartis delineari comperit.

Digitized by Google

Eclipſes Solis & Lunæ ſunt obſervatæ: inſignis macula in tertio Jovis ſatellite a D. Caſſini deprehenſa. Filius ejus chartam exhibuit, in qua longitudines & latitudines urbium, juxta recentiorum obſervationes, ſunt delineatæ. D. D. de la Hire, Varignon, & Rolle multa problemata Geometrica & Algebraica propoſuerunt. D. Varignon calculum iniit aeris, qui in machina pneumatica reſiduus eſt, poſtquam majori ex parte fuit exantlatus; complures aliæ Mechanicæ, & Hydroſtaticæ demonſtrationes ſunt diſcuſſæ.

Quæ ſunt Phyſicæ contemplationis, ſectio quarta complectitur. Diſſertationem de ſono D. de la Hire hoc anno legit, & publici juris fecit. D. Morin, nunc Academiæ Socius, Diſſertationes legit de porcellana & cineribus quibusdam cœruleis; de Thermarum calore D. Charas, Academiæ itidem Socius; de cochenilla D. Homberg: ut alia omittam plurima de rebus anatomicis, de opii uſu, & quibusdam aliis remediis.

Hoc ipſo vertente anno, D. de la Hire diſſertationem Phyſico-Mathematicam de oculorum ſtructura, & de viſus affectionibus, multis in congreſſibus legit, cujus analyſis capite tertio & quarto hujus ſectionis proponitur.

Sic Elementa Botanica tribus voluminibus comprehendit D. Tournefort Academiæ Socius, ea legit & publicavit, ac propter rerum connexionem alterius itidem operis de hiſtoria plantarum, quæ in agro Pariſienſi & in circumjectis locis occurrunt, idea & argumentum paulo uberiori ſtylo proponuntur. De Actis Academiæ anno 1695 ſectione ſexta, ac de Phyſicis primum diſſeritur. Menſe Januario & Februario, cum frigus eſſet acerrimum, quædam experimenta circa liquorum quorumdam congelationem facta ſunt; de venenatis morſibus canis rabidi, viperarum, &c. & de remediis adverſus eos propoſitis, de ſolutione auri in liquore frigido inſipido, de quodam atramenti genere, de effigie facile exprimenda actum fuit: de analyſi plantarum, ac de olei præſertim extractione, atque de illius natura diſſertationem e ſcripto legit D. Homberg. Inter alia artis infectoriæ arcana illud propoſuit, de colore illo florido, quem carminum vocant, præparando; de ſpiritu acido diſſertationem ſcripſit multis experimentis factam. Alteram de ſalium natura legit e ſcripto D. Charas: nonnulla circa ſulphur antimonii expe-

Digitized by Google

experimenta fecit. Idem æris vulgaris conficiendi artem, citra Zinkum aut lapidem calaminarem tradidit. D. Varignon conjecturas ſuas de uſu aeris in digeſtione alimentorum, D. Mery obſervationes ſuas circa varios linguæ pici motus, & organorum ſtructuram propoſuit, quæ cap. 5 uberius explicantur, de uſu ovali foraminis in fœtu diſſertationem edidit, quæ cap. 6 itidem continetur. De variis actum eſt remediis.

Multa Geometriæ & Mechanices problemata eo anno ſunt propoſita. Vir Nobiliſſimus D. Marchio Hoſpitalius tractatum edidit de analyſi quantitatum, quæ infinite parvæ concipiuntur: novum quoque problema demonſtravit circa quadraturam Cycloidum. D. Rolle methodum tradidit, qua fractionum exponentes in Algebra evaneſcant; D. Varignon evolutiones omnium ſpiralium cujusque generis demonſtravit. D. de la Hire in opere ſuo de Mechanicis hoc vertente anno potiſſimum verſatus eſt, idque publici juris fecit. D. Varignon velocitatem aquarum in ſublime ſalientium eſſe ut radices altitudinum, demonſtravit.

Exeunte anno ſuperiori, D. Maraldi diſſertationem legit de fixarum apparenti magnitudine, quæ diverſis temporibus mutari viſa eſt: cujus diſſertationis ſummarium in cap. 8 includitur. D. Caſſini die 26 Januarii Bononiæ ſcripſit epiſtolam de linea Meridiana, quam in Eccleſia S. Petronii ante 40 annos delineaverat. De origine & uſu teleſcopii duobus vitris convexis inſtructi legit diſſertationem D. de la Hire, qui etiam problema in Architectura inprimis utile propoſuit.

Sectio ſeptima Phyſicis exercitationibus anni 1696 exponendis tribuitur. In ea primum de pondere aeris & elaterio D. de la Hire & D. Varignon diſſertationes referuntur. Hic quoque ſuas conjecturas de flammæ natura, ex occaſione experimenti cujusdam a viris claris D. D. Bernoulli facti, e ſcripto recitavit. Quædam circa flammæ colorem D Homberg attexuit. Idem de gemmis factitiis occaſione data ſcriptum legit, uti & de inauratione ferri: de vino & tartaro ſcriptum quoque legit D. Charas, nec non de ſalis Ammoniaci natura, uſu & analyſi. D Homberg de quorumdam vitrorum ſolutione in aquoſis liquoribus, de vitro antimonii, & qua ratione vim ſuam emeticam amittat, diſſeruit: de variis re-

Digitized by Google

mediis occaſione nata actum fuit: de ſtructura & motu muſculorum conjecturas ſuas expoſuit D. Mery.

Octava & poſtrema ſectio rebus ad Matheſin ſpectantibus eſt deſtinata. D. Caſſinus redux ex Italia animadverſiones ſuas in canonem Paſchalem S. Hyppoliti Portuenſis Epiſcopi e ſcripto recitavit, uti & obſervationes ſuas circa hyemale ſolſtitium peractas; tumque omnes fere planetæ ſigna Tropico proxima poſt Solem tenuerunt, non ſimul, ſed alii aliis ſuccedentes; D. Chazelles obſervationes a ſe factas in variis locis Mediterranei maris cum Academia communicavit; Pyramides Ægypti inviſit, earum ſitus & magnitudinem expoſuit. Innumera pene hoc anno theoremata & problemata Geometrica, Arithmetica & Algebraica, quæ ſunt puræ Matheſeos; alia Mechanica, & Hydroſtatica D. D. de la Hire, Varignon, Rolle, Sauveur, de Lagny, hi ambo nunc Academiæ Socii, propoſuerunt, quorum elenchus poſtremo hujus ſectionis capite continetur.

Habes, Lector Benevole, utiliſſimi Operis ſummarium, ab ipſo ejus Auctore celeberrimo benevole nobiſcum communicatum. Ex ejus autem, & multo magis ipſius libri, lectione nemo non Potentiſſimi Galliarum Regis in bonas artes ac ſcientias, quas inſtituta & munificentiſſime dotata Illuſtriſſima illa Academia tam inſigniter promovit, merita ſumma venerabitur, & vel ob hac Magni *ipſi cognomen decernet.*

ANTONII DE MONFORTE, DE SYDERUM INTERvallis & magnitudinibus: cui acceſſit tractatus de Problematum determinatione.

Neapoli, ex typographia Nic. Abri, 1699, in 4. plag. 16½.

INter operas Aſtronomorum hujus ſeculi celebriorum præcipuas, magnitudinis ſiderum, eorumq; a Terra diſtantiæ indaginem fuiſſe, nemo, niſi rerum Aſtronomicarum uſquequaq; ignarus, neſcire poteſt. Excitavit hoc ſtudium præſentis Opuſculi *Autorem* Clariſſimum, ut ſuam quoq; in hanc rem ſymbolam conferre non dubitaverit.

Recenſitis autem in limine *Veterum* aliquot & *Copernici*, circa diſtantias Lunæ & Solis a Terra, eorumque & Terreſtris diametri rationem ad invicem, ſententiis; poſtea argumenta, quibus vulgo Telluris rotunditas aſtruitur, modoſque aliquos menſurandæ Terreſtris diametri ſub incudem vocat. Quanquam vero Regiis auſpiciis ſuſcepti anno 1669 & 1670 a Dn. *Picard* labores, peculiari tractatu (quem

Digitized by Google

(quem & in Anglicum idioma anno 1688 translatum Dn. *Richardus Waller* edidit; in Epitomen vero redactum ſuo de *Libella, de Niveau*, opuſculo annexuit Dn. *la Hire*) ab eo expoſiti, quorum ſcilicet ope Terreſtris diametri magnitudo exactiſſime deſignata eſt, Geographis Aſtronomisque ferias in hoc negotio feciſſe merito cenſeri poſſint; *Autori* tamen noſtro ſibi inventam methodum hic explicare viſum fuit. Eſt vero eadem valde affinis illi, quam ex *Caſati* diſſertatione *de Terra machinis mota*, in ſuam *Geographiam Reformatam*, l. 5, cap. 21, n. 2. retulit *Ricciolus*; quadrantque adeo & in illam, quæ *dicto loco* idem hic adnotavit: per eam *Autor* ſemidiametrum Terræ deduxit 3000 milliarium Neapolitanorum. Inde ad atmoſphæram Telluris pergens, altitudinem humorum aqueorum, Tellurem proxime circumſtantium, ex data ſideris horizontali refractione, ſesquimilliaris ſubduxit; poſt & altitudinem materiæ crepuſculinæ, nondum dimidiam ejus, ac hactenus credita ſit, hoc eſt 24 milliaribus minorem, ſuo calculo confiſus, pronunciat.

Circa Lunam, *Galilæi* exemplo ductus, diſquirit, ſi corpora cœleſtia ab exorſu ſuo in linea recta eousque delapſa eſſent, donec debitam ſuis revolutionibus velocitatem acquiſiviſſent, quanta ſit loci unde Luna deſcenderit altitudo, & diſtantia a centro revolutionis; illamque cubitorum eſſe 160000 demonſtrare nititur. Solis diſtantiam ex parallaxi Martis acronychi, cujus obſervandæ modum deſcribit, conſultiſſime deduci, recte judicat, eamque (ſed aſſumta nimia parallaxi horizontali Martis 1) ſemidiametrorum Terreſtrium facit 10314. Cæterorum deinde Planetarum diſtantia, inferiorum quidem ex maxima eorum digreſſione a Sole (quam rationem, mutatis mutandis, etiam circa ſatellites ♃ & ♄ adhibet;) ſuperiorum, ex tempore a proxima ☌ aut ☍ne cum Sole, diſtantiaque ab eodem, ſive angulo inter utrumque intercepto, & ſemidiametro orbis annui, inveſtigata, ex apparenti ſemidiametro veram elicere docet. Circa diſtantias fixarum, ad ſacram parallaxeos orbis annui anchoram confugit, indicatisque, *Galilæi* circa eandem conatu, & ex *Megerlino*, Clariſſimi *Hookii* obſervationibus, cum hujus librum (diſſertationem procul dubio innuit, quæ ſub titulo: *an Attempt to prove the Annual Motion of the Earth*, inter Lectiones *Cutlerianas*, Londini anno 1679 editas, extat; eodemque anno, a

Digitized by Google

Wilhelmo Nickolſohn Anglo, Lipſiæ latinitate donatus eſt,) nondum viderit, inſtrumenti meminit, quo dicta parallaxis obſervari poſſit. Obtinet id rationem micrometri, atque ope duorum filorum tenuiſſimorum inter ſe parallelorum, & intra tubum foco lentis tertiæ aut primæ (ſi binæ tantum ſint) in plano lentibus æquidiſtanti applicatorum, quorumque unum mobile beneficio cochleæ ſubtiliſſimæ (indice ejus extra tubum in circuli peripheria ſingula ſcrupula ſupra integras revolutiones, quarum quantitatem exploratam eſſe oportet, demonſtrante; inſuperque ſecundo indice, qui a primo regitur, dum ille ſecunda indicat, tertia deſignante) alteri ut libet admoveri poteſt, binis obſervationibus, circa oppoſita Solſtitia habitis, in quarum prima fila ſibi coincidere, mediamque ſtellam ſecare debent: in ſecunda vero, tubo interea temporis immoto, ſi ſtella a filis recedat, filum mobile illius centro applicatum receſſus quantitatem notam facit, angulus inter radios viſivos utriusque obſervationis interceptus, hoc eſt ipſa parallaxis ſtellæ ab orbe annuo producta, determinari poteſt.

Subnexus eſt Opuſculo brevis tractatus, de *Problematum determinatione*, Illuſtri *Magliabechio*, cui copiam hujus ſcripti nos debere grato animo profitemur, inſcriptus. Argumentum ſcriptionis uti artis analyticæ ſtudioſo vel maxime neceſſarium eſt; ita ejus tractatio hic ab Autore ſuſcepta, non poteſt non jucundam materiam iis præbere, qui in geometricis ſtudiis jam aliquouſque provecti, facultatem ſuam in hoc genere experiri, porroque proficere geſtiunt. Propoſitum vero eſt *Autori* oſtendere, qua ratione in inveſtigatione Problematis ad ejus impoſſibilitatem, vel poſſibilitatem, hujusque terminos perveniendum ſit; cum circa æquationes primi gradus, quarum determinatio facillima eſt, tum circa alias altiorum graduum. In quadraticis quidem amphibolæ formæ, cum coefficiens ſecundi termini conſtet ſumma radicum æquationis, & homogeneum comparationis ad ſummum æquale eſſe poſſit quadrato ſemiſſis dictæ ſummæ, æquationes hæ ſuam determinationem inde nanciſcentur. In æquationibus altiorum graduum, *Autor* æquationi ſub x propoſitæ ſimilem, eodemq; modo affectam ſub y formare, & ex earum comparatione maximum minimumq; comparationis homoge-

mogeneum determinare docet. Quo loco idem *Camillum Glorioſum*, qui circa problema a *Luca Paciolo* propoſitum (*numerum 10 in quatuor continue proportionales partes dividere, ut prima in 8; ſecunda in 4; tertia in 3; & quarta in 1 ductis, ſumma omnium fiat 16;* quales ſunt numeri 2, 8, 32, 128, per 17 diviſi) aliam radicem, ab ipſo exhibita quæſiverat, producto ejus calculo, perſtringit, & quomodo problema tractandum ſit, commonſtrat. Notat etiam *Schootenium*, in conſtructione æquationis quartæ poteſtatis tres radices deſignantem, cum ea, quæ a puncto contactus ducitur, æquivaleat duabus: & *Renaldinum*, quodcunque polygonum æquilaterum ac ordinatum circulo, per rectas lineas & circulum, inſcribi poſſe contendentem; occaſione reductionis æquationum, per inventionem communis menſuræ duarum differentium æquationum, eandem quantitatem ignotam habentium: ubi & modum reducendarum æquationum altiorum poteſtatum explicat; *Clavioque*, ſine auxilio figuræ geometricæ, vix aut nullo modo ſolubile viſum problema (*duos numeros, quorum ſumma, a ſumma quadratorum ex ipſis procreatorum ſubtracta, relinquat* 78; *addita vero ad numerum ex eorum multiplicatione productum, faciat* 39) poſitis numeris $x + y$, & $x - y$ levi negotio ſolvit.

Quæ porro de diviſionibus radicum, deque lineis propriis, pro ſingulorum problematum generibus conſtituendis *Autor* profert, & quæ hanc in rem, dilucidandæque doctrinæ propoſitæ, exempla tractat, propriæ B. Lectoris indagini diſcutienda merito relinquimus.

MISCHNA, SIVE TOTIUS HEBRÆORUM JURIS, Rituum, Antiquitatum ac Legum Oralium Syſtema. Latinitate donavit ac Notis illuſtravit GUILIELMUS SURENHUSIUS.

Pars I. 1698. Conſtat 4 Alphab. & 17 plag.
Pars II. 1699. Conſtat 5 Alphab. & 5 plag.

Amſtelædami excudunt Gerhardus & Johannes Borſtius.

QUanto magis hoc tempore inter Eruditos rituum & antiquitatum Hebraicarum floret ſtudium, tanto majorem apud omnes gratiam

Digitized by Google

gratiam initurus eſt Vir Clariſſimus, Guilielmus Surenhuſius, dum fontem earum, ex quo ſitim ſuam harum deliciarum cupidi, etiam Hebraice & Rabbinice neſcientes, abunde reſtinguant, aperire, i. e. Miſnam Latinitate donatam ac luculentis illuſtratam commentariis edere conſtituit. Quod ſi enim rem gratam quamplurimis fecere Viri docti, qui unum alterumve ex illis Hebraicorum rituum Pandectis tractatum Latine a ſe verſum adjectisq; notis explicatum dedere: præclariſſime utique de literarum harum cultoribus meritus cenſeri Noſter debet, ubi univerſi operis copiam Erudito Orbi fecerit; inprimis cum non tam paucorum curioſitati conſultum, quam publicam utilitatem egregie promotum iri, fatendum nunc omnibus ſit, poſtquam vel ſolus Lightfootus, quantum lucis non Novi minus quam Veteris Teſtamenti locis difficilioribus ex Talmude affundi poſſit, in Horis ſuis Hebraicis & Talmudicis abunde dedit comprobatum. Et hactenus quidem nonniſi duo priora volumina vaſti ſplendidique Operis, quorum prius *Ordo Seminum*, alterum *Ordo Feſtorum* inſcribi a Magiſtris conſuevit, in lucem prodierunt; ſed quæ tertium propediem excipiet, & reliqua ſuo tempore ac ordine, ubi vitam & ſanitatem, quod una nobiscum omnes merito vovent, Divinum Numen Viro diligentisſimo indulſerit, ſequentur. Sed de inſtituto ejus, & ut exſequi illud cœperit, diſtinctius paulo nunc dicamus.

Præmiſſa R. Moſis Maimonidis Præfatione, in qua Miſnæ totiusque operis Talmudici ratio redditur, in linguam Latinam ab Eduardo Pocockio transfuſa: prima doctisſimi Viri cura fuit, ut Miſnæ textus ipſe quam emendatisſimus exhiberetur. Variantium lectionum neque negligens fuit, uſus in excudendis Miſnicis codice Amſtelodamenſi correctisſimo, qui variantes etiam lectiones uncinulis incluſas admittit; neque tamen tam ſuperſtitioſe curioſus, ut quæ in tot antiquis recentibusque Miſnæ editionibus aperta typorum menda ſunt, eruere & pro variis lectionibus venditare ſuſtinueret.

Secundo, e regione textus Hebraici verſionem Latinam ubique collocat. Qua quidem in re ſic verſatus eſt, ut adornatas jam ab aliis verſiones retinuerit, ne earum nempe auctoribus partum ex difficili ſatis labore decus ereptum ire videretur; tractatus autem a nemine adhucdum translatos, ipſe Latine verterit. Ita enim in primo volumine, quoad tractatus de *Benedictionibus*, de *Angulis*, de

de *Re Dubia*, de *Heterogeneis*, de *Jure Anni ſeptimi*, de *Primitiis*, nec non quoad capita duo priora tertiique tres verſus tractatus de *Decimis*, Guilielmi Guiſii Angli verſione fuit uſus: reliqua tractatus de Decimis, ut & ſequentes de *Decimis ſecundis*, de *Placenta ſeparanda*, de *Arborum Præputiis*, & de *Primitivis Fructibus*, ſuomet ſtudio Latinos fecit. In volumine ſecundo ipſimet debetur verſio tractatuum de *Paſchate*, de *Tabernaculis*, de *Diebus Feſtis*, de *Volumine Eſteris*, de *Feſto Parvo*, nec non de *Sacris Solemnibus*: reliquorum verſiones aliorum ſunt, librorum nempe de *Sabbatho & Commiſtionibus* Sebaſtiani Schmidii Argentoratenſis, de *Siclis* Joannis Henrici Othonis Lauſanienſis, de *Die Expiationis* Roberti Sheringhamii Cantabrigienſis, de *Initio Novi Anni* Henrici Houtingii Amſtelædamenſis, & de *Jejuniis* denique Danielis Lundii Sueci. De ſingulis autem, quas adoptavit velut aut mutuatus Noſter eſt, translationibus judicium ſuum aperit, quod hoc loco repeti non erit fortaſſe incongruum. Nimirum in *Pocockianis* deprehendi putat ſtylum prolixum, minus terſum, & ob variarum linguarum, quas erudítiſſimus Pocockius calluit, affinitatem, intricatum ac difficilem: in *Guiſianis* Laconicum, ſublimiorem, politum & ſenſum rerum magis quam verborum ordinem exprimentem, ut Lector in Hebraicis non adeo verſatus turbari aliquo modo poſſit, niſi Miſnam punctis inſtructam adhibere velit. *Schmidianas* ſua laude non fraudat; quin & Academiæ Eccleſiæque noſtræ nuper Theologi & Philologi graviſſimi, *Joannis Benedicti Carpzovii* piæ memoriæ, qui Talmudicos illos de Sabbatho & Commixtis tractatus a Schmidio cum Majemonidis & Bartenoræ commentariis Latine redditos, Lipſiæ A. 1670 edidit, non ſine elogio meminit; cumque Schmidius plures a ſe alios tractatus Miſnicos Latine verſos faſſus fuerit, eorum, ſi alicubi latitent, poſſeſſorem, ut ſecum eos in commune Reipublicæ literariæ commodum communicet, obnixe rogat: nec alibi tamen diſſimulat, viſum ſibi Schmidium in duorum codicum commentariis obſcuram adhibuiſſe diligentiam, quod Hebraicæ dialecti nimium tenax eſſe voluerit. In *Jo. Henrici Othonis* verſione tractatus de Siclis id deſiderat, quod loca quædam depravata fuerint mendis typographicis, quod Vir doctiſſimus procul a typis abeſſet. In *Sheringhamio* laudat, quod ge-

Digitized by Google

nuinum antiquitatis ſenſum pro modulo ſuo expiſcari conetur, collatisque præter Hebraicos, Græcis etiam Latinisque Scriptoribus, plurima gentium ſacra & mythologiam ab Hebræis promanaſſe oſtendat. *Houtingium* prædicat, quod tractatum de Initio Novi Anni excerptis quoque Gemaricis, locis parallelis e Maimonidis Jad Chaſaka, aliisque doctiſſimorum Scriptorum commentariis doctiſſime explanarit. *Lundium* denique Miſnæ ſententiam clariſſime expreſſiſſe judicat, quod non verbum verbo reddiderit, nec tam nudam verſionem, quam paraphraſin exhibuerit, veteres etiam jejunandi ritus luculenter expoſuerit. Cæterum quod concinnatas ab ipſo Surenhuſio plurimorum tractatuum verſiones attinet, eas vel eo nomine, quod doctiſſimorum Rabbinorum examini, ne illis accurandis ulla in parte deeſſet, ſubjecerit, nemo non præſumet accuratiſſimas.

Tertio, cum probe Surenhuſius noſſet, Miſnam conciſis aphoriſmis comprehenſam, ſine commentariorum adminiculo ægre ab omnibus intelligi, præter verſionem Latinam, uberiores etiam animadverſiones notasque cenſuit textui ſubjiciendas. Et Rabbinorum quidem, e quorum monumentis depromi huic uſui inſervitura poſſent, præſtantiſſimi Rabbi Moſes Ben Maiemon, Rambam vulgo dictus, ac Obadias de Bartenora, viſi ipſi fuerunt, quorum proin commentarios integros Latino idiomate exhibuit. Tametſi enim non diſſimulat, non magnifice de his Guilielmum Guiſium ſenſiſſe, utpote qui aperte profeſſus fuerit, Maimonidem & Bartenoram nugas agere, quoties ritum aliquem explicant; id quidem ignoſcendum Guiſio ait, quia juvenis hæc ſcripſerit, nec Judæos magis, quam maximæ inter Chriſtianos exiſtimationis viros inſcite ſatis carpere conſueverit. Præterea vero, præter ſuas ipſiusmet notas, quibus ſubinde & Lightfootum adverſus Guiſii reprehenſiones vindicat, ceterorum etiam, Guiſii, Schmidii, Sheringhamii, Lundii, quibus illi partes Miſnæ a ſe Latinitate donatas illuſtraverant, obſervationes ſuis locis exhibet. Etſi fatendum, in ſecundo volumine perraras Surenhuſii ipſius notas deprehendi, ſed quarum vicem Præfatio refert, qua ſingulorum ejus tractatuum ſumma & argumentum dilucide exponitur.

Quarto, ne quid deeſſet, quo planiora cuncta redderentur, aut ornamentum conciliaretur operi, figuras æri inciſas utrique volumini ad-

adjunxit. Enimvero cum Maimonides ipſe in plurimis Miſnæ locis ad figuras provocet, quibus obſcuriora illuſtrentur, tales ab eo excogitatas confectasq; fuiſſe, vero eſt ſimillimum. Sed eæ tamen comparent nusquam, ut adeo vel perierint, dubium quo caſu, vel, quod Judæi ipſi fatentur, lucem nunquam viderint. Figurarum tamen & imaginum cum magna vis ſit in rebus clare repræſentandis, in iis etiam ad mentem Maimonidis, Bartenoræ, Rabbenu Simſonis & aliorum adornandis, nihil ſtudii Noſter omiſit, accerſitis undiquaque ſuppetiis; ut etiam non ad Liburnenſes tantum in Italia, qui jam nonnullas figuras una cum Maimonidis in Miſnam commentariis Arabicis ſubminiſtrarunt, ſed & Theſſalonicenſes in Græcia, & Elkaironenſes in Ægypto Judæos, dandas eo nomine literas cenſuerit. Laudat vero inprimis, qui nec nobis ſilentio prætereundus eſt, Virum doctisſimum *Salomonem Jehudam Leon*, Templo Hebraicarum Scholarum apud Judæos Luſitanos Amſtolædami Præfectum eorumque Eccleſiæ Rabbinum, qui ducentas ultra figuras ſibi a Patre relictas in commune commodum ſuppeditaverit. Fuerat vero pater ejus Jacobus Jehuda Leon, Hamburgenſis prius, deinde Amſtelodamenſis cœtus Rabbinus, tractatu de Templo Jeruſolymitano Hebraice conſcripto, & a Joanne Sauberto, Sereniſſimi Brunſvicenſium & Luneburgenſium quondam Ducis Auguſti juſſu, in Latinam linguam translato, nec non ſcriptis aliis in lucem editis, ut ſunt Fabrica Tabernaculi, de Cerubinis, Verſio & Notæ in Pſalmos, Miſna cum punctis, celeberrimus; cujus & Quæſtiones varias ad adſtruendum ea quæ de Templi Fabrica ſcripſerat, & de Ritibus Sacrificiorum quotidie in Templo offerendorum, hactenus ineditas, a Filio aſſervari, ignorare Lectorem benevolum nolumus. Sed & quasdam figuras a ſpectatisſimo negotiatore *Iſaco de Matatia Abuab*, ſecum communicatas memorat, quas iſte a doctisſimo Rabbino *Agillar* acceperit. Neq; non deprædicat opem ſibi a Rabbino *Iſaco*, Amſtelodami a Conſiliis Senatui Germanorum Judæorum & Eccleſiæ Scriba, artis pingendi & ſculpendi apprime perito, per multos annos præſtitam.

Quinto denique induſtriæ ſuæ inſigne documentum Noſter edidit, accuratisſimis tum locorum S. Scripturæ, qui in opere ipſo

allegantur vel illuſtrantur, tum rerum & verborum Hebraicorum, tum Latino rerum & verborum locupletisſimo, indicibus ita confectis, ut inſtar Lexici exhibere queant.

ANNOTAZIONI SOPRA IL VOCABOLARIO DELLA CRUSCA,

i. e.

ANNOTATIONES IN VOCABULARIUM ACADEmicorum della Cruſca. Opus poſthumum ALEXANDRI TASSONI Mutinenſis, cum multis MSStis collatum, ac Eminentiſſimo Cardinali VINCENTIO GRIMANI dicatum.

Venetiis apud Marinum Roſſetti, 1698. in fol.
Conſtat $3\frac{1}{2}$ Alphab.

INiquius pauſo fatum experiri ſæpiſſime doctisſimorum hominum lucubrationes, non ſine ſtomacho multi ante nos conqueſti ſunt. Nam illas ipſas ſchedas, quibus autorum ſuorum vel præmaturus deceſſus, vel intempeſtiva verecundia publicam lucem interdixerat, paulo poſt ab inficeto hærede, niſi ſupremæ voluntatis tabulis de aſylo iisdem proſpectum fuerit, muribus ac blattis corrodendas exponi; vel, ubi multo pulvere ſituque horrere cœperint, myropolis tandem & ſalſamentariis in prædam concedi, atque hac ratione tot pervigilatas noctes, tam pertinax in ſollicitanda librorum fide ſtudium, omni penitus emolumento deſtitui, quis eſt qui citra doloris ſenſum ferre queat? Et tamen hanc cataſtrophen non raro uſu venire, exemplis bene multis edocemur, ut profecto mirandum ſit, mitiorem ſortem obtigiſſe huic Annotationum farragini, quam Taſſonus ineditam poſt ſe reliquerat. Sed absque nonnullorum erga vernaculam linguam amore ſi fuiſſet, qui in privatos uſus ſibi tranſcribi fecerant, haud dubie deperditorum numerum auxiſſet. Præterea Ægid. Menagius, non poſtremum Galliæ ſuæ, dum viveret, decus, in Originibus Italicis tam honorificam hujus operis mentionem injecerat, ut omnium, quotquot Hetruſci ſermonis ſuavitate capiun-

Digitized by Google

capiuntur, deſideria accenderet. Peropportune autem accidit, ut ejuſdem apographum, quod Jacobi Grandi, Medici ac Philoſophi celeberrimi, fuerat, incideret in manus egregii cujuſdam Viri, qui de publico bene mereri cupiens, illud ſtatim prælo ſubjiciendum cenſuit. Jam viginti plagulæ typis deſcriptæ cernebantur, cum ſeculi noſtri Peireſcius, Illuſtris Antonius Magliabecchi, Magno Hetruriæ Duci a Bibliotheca & Conſiliis, aliud exemplar, quod in exquiſitisſimo librorum ſuorum apparatu ſervabat, liberaliter ſuppeditaret, cujus ope menda librarii, quibus primum ſcatebat, tolli vel ſuppleri potuerunt. Præcipuam autem promotæ editionis laudem reportaſſe accepimus Illuſtriſſimum Dn. Apoſtolum Zenum, Virum ob politisſimam eruditionem ac mirificam plane humanitatem, qua hoſpites literatos ſibi obſtringere ſolet, Venetiis quam maxime conſpicuum; id quod hic loci nequaquam tacendum eſſe duximus, ut conſtare posſit, quorum tandem auxiliis Taſſoni memoria reviviſcere cœperit. De cetero ſexageſimus quintus jam annus volvitur, ex quo Poeta acutisſimus vitam dereliquit, poſtquam magni ac ſublimis non minus, quam elegantis & feſtivi ingenii famam eſſet adeptus. Nam præter *librum variarum Cogitationum*, *Encomium Carnificis*, *& Cenſuras in Homerum*, *Petrachbam ac Bocactium*, compoſuit poema quoddam, quod *Situlæ raptæ* titulum gerens, bellum inter Bononienſes ac Mutinenſes, tempore Friderici II Imp. ob ſitulam ligneam ſuſceptum deſcribit, atque incredibiles omnium applauſus derepente habuit. Tam rara ſiquidem arte Heroico-Satyricum Comicumque fingendi genus copulaverat, tam lepide quorundam notorum hominum mores perſtrinxerat, ut ſingulis admirationi eſſet, multorumque ſtudia ad imitationem novi hujus inventi alliceret. Inde quoque factum eſſe arbitramur, ut lepidiſſimum carmen in linguam Gallicam verti, & adjectis notulis Pariſiis anno 1678 recudi meruerit. Scripſiſſe fertur aliud poema, quod *Manubrium Situlæ* inſignivit, ac penes Mutinenſem Ducem ineditum latet. Sunt, qui ipſi *declamationes ſeptem Philippicas* inſcriptas tribuunt, ſed illas nihil prorſus Taſſoni genio ſimile referre, potius imi ſubſellii ſophiſtam prodere, Clariſſimo Juſto Fontanino in epiſtola ad ſupra laudatum Illuſtriſſ. Apoſtolum Zenum ſcripta, atque huic Operi præfixa, perſuaſum eſt. Certius conſtat, Noſtrum

Digitized by Google

Hiſtoriam Eccleſiaſticam ad finem ſeculi decimi quinti productam contexuiſſe, qua Cardinalis Baronii errores quamplurimos notavit, ſeipſum autem livori atque invidiæ multorum expoſuit, eo quod iſtius ævi moribus valde indecorum haberetur, Virum publica exiſtimatione florentem cenſoria virgula impugnare. Verum hic tam præclarus labor, una cum dialogo, cui *Dorateo* nomen, volumine *literarum* ad diverſos ſcriptarum, & *quatuor libris Diſcurſuum*, nec non carmine Epico de *Mundo novo* atque *hiſtoria bellorum in Valle Tellina geſtorum*, intra privatorum ſcrinia deliteſcit, nunquam forte liberiorem auram aſpecturus. Fruamur ergo, dum licet, præſenti theſauro, palmamque eidem præ cæteris libris hac de materia ab aliis conſcriptis adjudicemus, quandoquidem rerum, quas in ſinu ſuo continet, ubertate ac præſtantia, illam ſibi quodammodo expoſcere videatur. Quamvis enim Vocabularium Italicum ab Academia della Cruſca ſeu Furfurariorum poſt quadraginta annorum labores publicatum, omnium exactiſſimum æſtimatum fuerit, ita ut reliquæ linguæ vulgares illi ſimile opponere haud potuerint; multa tamen, imo plurima, ut nihil in toto orbe ſuis numeris abſolutum reperitur, inibi detexit Taſſonus, quæ accuratiore lima expolienda judicavit; cujus induſtriæ ut aliquod ſpecimen hic exhibeamus, noſtrarum erit partium.

Vocem *Gronda* ingenioſiſſimi Academici ſignificare affirmaverant *multitudinem lacrymarum quæ ab oculis decidunt*, opinionem ſuam Dantis verbis ſuperſtruere conati; Noſter autem in cœlo empyreo atque inter beatorum tripudia, quibus ſe aſſociatum Poeta finxerat, lacrymas non admitti putat, atque evincit, in allegato loco de *extremitate palpebrarum* potius ſermonem inſtitui; apud Creſcentium vero eodem vocabulo collectionem guttularum aquæ pluviæ, ex terra in depreſſiora paulo loca reſudantium, intelligi. Ad vocem *Livrea* monet, eam in Vocabulario parum apte Latine exprimi per *veſtitum conſimilem*. Quodſi enim unicus ſervulus ſpectatum quendam virum comitaretur, is profecto *veſtitum conſimilem* habere minime dicendus foret, ſed magis proprie loqueretur, qui talem *vario amictu*, *varia veſte* indutum aſſereret, eo quod famulorum veſtitus ut plurimum bicolor vel verſicolor eſſe ſoleat. Huc reſpexiſſe ait Budæum, qui *Livrea* per *inſigne geſtamen*,

Digitized by Google

men, *centuriale diſcrimen*, *notam centurialem*, *cohortalem*, *turmalem &c.* concinnius interpretatus eſt. Verba quoque Matthæi Villani de tali veſtitu præpoſtere ab Academicis accipi notat, quæ potius *habitaculum*, *manſionem*, *ſtationem famulorum* indicent, ceu ex aliis Scriptoribus illuſtrat. Porro *Mortario* ſtrictiori, quam par ſit, ſignificatu pro exequiis, funeriſque ſolemnibus tantum ſumi innuit, cum potius *Cœmiterium locumque ſepeliendis demortuorum corporibus deſtinatum* denotet, ipſaque Autoris, quem citarunt, verba hujusmodi ſenſum involvant. Impegiſſe pariter monſtrat in enodatione vocabuli *Seſtiere*, quod in genere ſextam partem totius ac ſextantem Latine ſignificare crediderant; quandoquidem pro menſura tantum, qua liquida menſurentur, & pro ſexta parte congii, ſive ſextario antiquorum rectius uſurpari declarat. Neque illud Martialis: *Poto ego ſextantes, tu potas, Cinna, deunces*, quicquam in contrarium juvare poterit; ibi enim ſextantis nomine ſextam partem ſextarii ſive duos cyathos intelligere neceſſe eſt, adeoque nunquam boni interpretis partes tueretur, qui *Sextantem* per *Seſtario* vel *Seſtiere* explicaret. Innumera alia proſtant in hoc limatiſſimo opere, quæ de Taſſoni indefeſſa induſtria ſummoque judicio teſtimonium ferre queunt, quibus tamen recenſendis, ne vino vendibili hederam ſuſpendere videamur, conſulto abſtinemus. Illos autem, qui Vocabularium della Cruſca ſecundis curis nuper repolitum ac recuſum forte inaudierunt, atque hinc errata prioris editionis expuncta arbitrantur, monendos cenſuit Bibliopola, ne propterea hiſce Annotationibus pretium ſuum derogare feſtinent; quin potius certos eſſe jubet, ne tertiam quidem partem eorum, quæ hic ab acutiſſimo Taſſono perſtricta reperiuntur, in nuperrima editione pumicem ſenſiſſe.

TRACTATUS THEORETICO-PRACTICUS DE RENUNCIATIONE Acquæſtus Conjugalis, vom Verzüg der ehelichen Errungenſchafft; *in quo tum illa renunciatio, qua Conjux Acquæſtui in commodum alterius Conjugis renunciat, tum & illa, qua Conjux ab ære alieno ſociali ſe liberat, operoſe diſcutitur, cum ſummario rerum indice, Accurante FERDIN. CHRISTOPHORO HARPRECHTO JCto & Anteceſſore.*

Tubingæ ære Georg. Heinrici Reiſii, 1699. in 4.

Conſtat 1 Alph. 4 plag.

Illu-

ILluſtrem Autorem in elaboratione Conſiliorum Tubingenſium ſolerter occupatum hactenus aliquoties ſitimus, ſed iſti labori, ſane operoſiſſimo & integrum velut hominem requirenti, non omne, quicquid honeſti otii ſupereſt, ab eo impendi, hæc de Acquæſtus Conjugalis renunciatione, materia multis Germaniæ aliarumque regionum foris quotidiana, tractatio oſtendit. Excoluit eam methodo cauſali in ſcholis & ſcriptis JCtorum paſſim fere probata. Hinc explicatis terminis, docet renunciationem acquæſtus conjugalis eſſe actum, quo conjux lucris ſtante conjugio acquirendis vel acquiſitis, in gratiam alterius, vel primario hoc fine renunciat, ut ab æris alieni ſocialis, per conjugem contracti, ſolutione liberetur, & hoc modo ſua bona in ſocietatem conjugalem illata recuperet. Poſtea commemoratis diviſionibus, facultatem acquæſtui renunciandi, non ex jure communi Juſtinianeo vel Canonico, ſed conſuetudinario, eoque late ſatis patente, repetendam eſſe cenſet, ac quousque renunciatio illa, vel intuitu conjugis, vel creditorum, vel liberorum fieri poſſit, ſimul explicat. Uti autem certum eſt, quod renunciatio fiat libera renunciantis voluntate, ita qua ratione illa ſit explicanda, aut quorum inſuper conſenſus ſit neceſſarius, per aliquot poſitiones Noſter declarat. Cum vero poſt mortem mariti, vidua in domo remanens, omnemque illius ſupellectilem, aurum, argentum, pecuniam numeratam, tabulas obligationum, inſtrumenta ſeu documenta rerum acquiſitarum, ejusque generis alia poſſidens, univerſis ejus capſulis, ciſtellis, arculis & loculis patentibus, ampliſſimam in maſſa ab illo relicta graſſandi occaſionem habeat, ac renunciatione nimis ſero facta maximum creditoribus afferre poſſit præjudicium; hinc qua ratione tempus & modus ejus faciendæ ſtatutis diverſis determinari ſoleant, amplius oſtendit, inter alia commemorans, quod apud Ultrajectinos vidua judiciis debiti perſecutoriis non aliter ſeſe eripere poſſit, quam ſi ante exequias defuncti mariti, omnibus relictis, absque palla & calantica, ſolo quotidiano amictu induta, domo mortuaria exeat: ſicut apud Burgundiones, ignobili viduæ æris alieni onus non aliter evitare liceat, quam ſi continuo poſt inhumationem ſuper tumulo mariti zonam ſuam diſcingat. Poſt hæc copioſa de Perſonis renunciantibus-

cianti-

ciantibus, nec non iis, in quarum vel commodum vel damnum renunciatio tendat, Noſtro enaſcitur tractatio, cujus ambitum cum nobis, brevitati deditis, emetiri integrum haut ſit, hinc unum ac alterum attuliſſe ſufficiet. Inter alia igitur admonet Noſter, plerumque quidem mulierem acquæſtibus, æris alieni declinandi cauſa, renunciare ſolere, attamen & maritum (quod a pauciſſimis attingi idem teſtatur) id facere poſſe, eo ſcilicet imprimis caſu, ſi ejus uxor velut mercatrix propalam mercimonia in communem ſocietatis bonorum conjugalis utilitatem, tractaverit, nunc vero, conflato grandi ære alieno, creditores ipſius concurſum excitent; tum enim marito acquæſtibus renunciare parato, allatorum ſuorum repetitionem haut eſſe denegandam. His addit aleæ pleniſſimam ac judice Hodierna apprime perplexam quæſtionem: quid de binubis conjugibus, ex priore matrimonio liberos habentibus, circa iſtam acquæſtuum renunciationem haberi debeat? quam juxta diverſos reſpectus prolixe evolvit. Denique etiam facultatem renunciandi acquæſtibus in præjudicium creditorum, conjugum heredibus aſſerit, ac diſtinctionem quorundam, qua facultatem renunciandi ex ſtatuto competentem in heredes quidem transmitti, non autem ex pacto deſcendentem, niſi ita expreſſe convenerit, contendunt, rejicit. A perſonis ad materiam renunciationis digreſſus Noſter, hoc nomine lucra ex bonis in ſocietatem conjugalem illatis acquiſita vel acquirenda comprehendit, dummodo, quod addendum videtur, ex facto ipſius conjugis renunciaturi non veniant; his enim in præjudicium creditorum conjux contrahens ſe abdicare non poterit. De cætero ea ratione hanc exequitur tractationem, ut primo renunciationem, quatenus in alterius conjugis gratiam fit, expendat: qua quidem in diſquiſitione, lucra acquirenda & acquiſita, tum conjuges in primo & ſecundo matrimonio viventes diſtingui debere arbitratur, inter alia cum Molina perſuaſurus, quod conjux jam quæſitis conſtante matrimonio in gratiam alterius conjugis renunciare nequeat, cum illorum dominium conjugi renunciaturo ita jam ipſo jure ſit attributum, ut talis renunciatio donationem inter conjuges prohibitam aut ſaltem invalidam ſit involutura. Poſtea renunciationem, quatenus in præjudicium creditorum ſuſcipitur, conſiderat, eamque etiam di quiſitio-

S ſitio-


Digitized by Google

ſitionem variis caſibus ac quæſtionibus explet, quæ omnia cum illis, quæ de perſonis dixerat, magnam habent convenientiam, cum utique eadem fere jura occurrant, ſive renunciationem aliquam intuitu perſonarum ſive rerum conſideres. A materia ad formalem renunciationis rationem Noſter deducitur, hancque ex ejus fine declarat, dum eam vel in favorem aliorum vel ipſius renunciantis, quo ære alieno ſociali liberetur, fieri oſtendit, ad formam ejus accidentalem referens tempus matrimonii ineundi, initi vel ſoluti, quo renunciatio illa fieri ſoleat, deinde inſinuationem judicialem, juxta ſtatuta quædam neceſſariam, tertio juramentum quod renunciationi æris alieni declinandi cauſa factæ frequenter interveniat, quarto inventarii confectionem, quæ eodem reſpectu ſit neceſſaria, quinto ritus & formulas quibus renunciatio peragatur, ac tandem citationem eorum quorum interſit. Hæc excipit renunciationis noſtræ effectus. Nimirum id ea operatur, quod ejus indoli, ac intentioni agentium convenit; præterea ad exemplum aliorum actuum conſenſualium pœnitentiam excludit, prout prolixe Noſter juxta diverſam renunciationis figuram id explicat, ac in ſpecie commoda, quæ in mulierem renunciantem redundent, late perſequitur; quæ quidem tractatio res repetendas ac actiones eo nomine inſtituendas potiſſimum exhibet. Tandem ad diſſentanea ſeu contraria renunciationis, Celeberrimus Autor pergit, ac renunciationem, tam favorem conjugis reſpicientem, quam ipſius renunciantis cauſa factam, vel ab initio eſſe nullam, vel ex poſtfacto reſolvi, ac ad hanc claſſem in ſpecie etiam reſtitutionem in integrum pertinere docet, duobus velut verbis adjiciens, quæ conſuetudines aut pacta cum explicata hactenus renunciatione aliquam habeant convenientiam. Id in genere adhuc addendum videtur, quod Conſultiſſimus Autor aſſertiones ſuas non tantum legibus & rationibus, ſed & Autorum rariorum ac uſum forenſem ſtatutaque regionum ſuarum præcipue reſpicientium allegatione firmaverit, adeoque egregiam plura in iis requirendi anſam ſuppeditaverit, quæ res noſtro quidem judicio & utiliſſima & gratiſſima iis erit, quibus de jure ſtatutario, additis ex deſiderio rogantium allegationibus, ſæpe reſpondendum eſt.

LITE-

Digitized by Google

Digitized by Google



LITE-

Digitized by Google

LITERÆ DN. DE MORALEC, COMMISSARII REI tormentariæ, ad Autorem Novellorum Reipublicæ Literariæ Amſtelodamenſium, Dn. JACOBUM BERNARDUM, continentes deſcriptionem novæ machinæ pro attollendis aquis.

Translatæ ex dictis Novellis menſe Novemb. 1699. pag. 514, ſqq.

EX ingenti numero differentium machinarum, quæ aquis in altum tollendis ad hoc usque tempus in uſum traductæ ſunt, ingenioſiſſime inventæ reperiuntur, quæque admirandi uſus eſſe poſſent: verum quia caveri non potuit, quominus in conſtructione earum complures partes adhiberentur, ex. c. ſucculæ, trochleæ, rotæ dentatæ diverſorum generum, cochleæ infinitæ, emboli, aliaque organa, quæ frictioni neceſſario obnoxia ſunt, potentiæ machinarum motrici plurimum reſiſtunt, bonam partem virium inutiliter abſumunt, inſuperque continua reparatione indigent: difficultas & pretium harum machinarum plurimis, easdem, ſive proprios in uſus, ſive exornandis locis, quibus capiebantur, tractaturis, faſtidium movere. Præſens vero hæc, cujus deſcriptionem & figuram Tibi mitto, hoc omne feliciter ſupplet; eſt enim ſimpliciſſima, & conſequenter promtiſſimæ executionis. Frictio, quæ hic contingit, adeo parvi momenti eſt, ut pro nulla fere haberi poſſit. Machina iſthæc proprie loquendo Sipho eſt, qui, contra naturam communium ſiphonum, aquam ad triginta pedes aut circiter, ſupra horizontem attollere poteſt, unde ea deduci poteſt, quorſum volueris. Quod ſi eam dignam judicaveris, quæ Curioſis Eruditorum communicetur, rogo Te, ut eandem ne graveris Diario tuo inſerere. In ea eſt TAB. II.

AB, ciſta, quæ aquam e fonte aut rivulo C recipit.

D, tubus, emiſſarii vicem præſtans.

EF, tubus longitudinis 33 pedum aut plus; diametri 3 aut 4 digitorum. Inferius foramen ejus ſurſum verſus incurvari poteſt, impediendo aeri, ne aqua effluente tubum ſubintret.

GH, duo epiſtomia, quæ per extremitates binas tubi E F trajecta ſunt.

I, ſitula, quæ continet medium diabeten.

K, ſacoma, quod deſcendit, quando ſitula eſt vacua; aſcendit vero, eadem aqua repleta.

LM, vas clauſum, quod ad 30 pedes ſuper ciſtam A B elevatum eſt.

NO, emiſſarium, cujus orificium ſurſum verſus incurvatum, & operculo tectum eſt.

P Q, tubus unius circiter digiti in diametro, qui fundo vaſis L M conferruminatus eſt, intra quod orificium ſuum habet, valvula tectum, impediendæ aquæ aſcendenti, ne refluat, cum ceſſat aſcendere. Deſcendit hic tubus ad duos digitos prope fundum ciſtæ AB.

S T, tubus quinq; vel ſex linearum in diametro, conferruminatus fundo vaſis L M, ciſtæ A B, & grandi tubo E F. Intra vas L M aſcendit ad duos aut circiter digitos ab operculo.

Aqua quæ ex rivulo C decurrit in ciſtam A B, ſimulac altitudinem emiſſarii D contigit, in ſitulam I ſe exonerat, quæ cum ſemiplena eſt deſcendit, & duo epiſtomia G, H (quorum quodlibet circa duos cardines ferreos rotatur, ut frictio hic tanto inſenſibilior evadat) quarta circuitus ſui parte circumagit. Tunc epiſtomio G ſe aperiente, & altero H ſe claudente, aqua ex ciſta A B labitur in tubum E F, eundemque implet. Interim aqua, quæ aliquo tempore deſierat ſitulæ illabi, repetendo priorem deſcenſum, ſitulam eouſque implet, ut ſuperata altitudine medii diabetes, eadem ſe per tubum R promte depleat; leviorq; facta, ſacoma K faciat epiſtomia quarta circumvolutionis ſuæ parte revolvi, uno eorum, nempe G clauſo, altero aperto. Tunc aqua intra tubum E F ſtatim effluente, aer in vaſe L M contentus, per parvum tubum S T deſcendit, ut in majori tubo E F ſpatium occupet ab aqua vacuefactum; & aqua in ciſta A B ab externi aeris pondere preſſa, aſcendit per tubum P Q in vas L M, ubi effluit per emiſſarium N O, ſtatim atque aer externus eo illabi poteſt per tubum E F.

Interea dum hæc fiunt, ciſta denuo repletur, & aqua ad altitudinem tubi D provecta, decidit in ſitulam I, quæ deſcendendo, uti prius,

prius, bina epiſtomia ad quartam partem circumvolvi facit, & ſic porro.

Notandum: ſitulam non deſcendere ultra quam ſatis eſt, ad quartam partem revolutionis epiſtomiorum. Situla enim offendens in fulturas ſiſtitur, & continue recipiens aquam illabentem, repletur ſupra medium diabeten, eaque propter ſe confeſtim exonerans, levis redditur. Ob quam cauſam ſacoma K deſcendens ad usque fulturam, quarta parte ſui ambitus epiſtomia revolvi facit.

Ciſtam AB & quicquid infra ipſam eſt, puteo occulto oportet immitti, & capacitatem vaſis LM proportionatam eſſe capacitati tubi EF, ne ibidem nimium aeris ſit ad rarefactionem.

ESSAI DE L'HISTOIRE DU REGNE DE LOUIS LE GRAND &c.

i. e.

SPECIMEN HISTORIÆ REGNI LUDOVICI MAgni, usque ad Pacem Generalem A. 1697 ſancitam. Auctore LUDOVICO LE GENDRE, Eccleſiæ Pariſienſis Canonico.

Lutetiæ Pariſiorum apud Jo. Guignard, 1699. 12. Plag. 21.

QUanto cum applauſu liber hic exceptus in Gallia fuerit, vel ex eo manifeſtum redditur, quod cum prima vice anno 1697, exeunte menſe Novembri, in lucem prodiiſſet, quarta jam illius editio, quam hic exhibemus, ſuperiore anno comparuerit. Neque mirum id eſt. Præterquam enim, quod ipſum Operis argumentum non potuit non Lectores cujuscunque generis & ordinis allicere. Auctor Nobiliſſimus magno id ingenio nec minori ſtyli elegantia pertractavit, Regis Chriſtianiſſimi, Ludovici Magni, gloriæ, cui tam impenſe Galli omnes ſtudent, nec exteri derogatum cupiunt, nusquam non velificatus. Ut vero excerpta ex libro comptiſſimo uberiora hoc loco demus, nemo forte a nobis requiret, quod qui Gallice ſciunt, brevi temporis ſpatio, nec ſine delectatione, perlegere integrum poſſint; cæte-

ris vero Hiſtoria tam ampla, tantaque rerum varietate exuberans, brevi narratione, qualis inſtituto noſtro convenit, nequeat exhiberi.

HISTOIRE DE LOUIS XIV ROY DE FRANCE ET de NAVARRE &c.

i. e.

HISTORIA LUDOVICI XIV REGIS FRANCIÆ ET NAVARRÆ, memoratu maxime digna, quæ ſub ejus Regno ad hoc usque tempus contigerunt, compendio complectens. Auctore Dn. de RABUTIN, Comite de BUSSY.

Pariſiis apud Fl. & P. Delaulne, 1700. 12. Plag. 16.

EN alium ejusdem Hiſtoriæ conditorem, Virum utraque fortuna celeberrimum, cujus de propria vita Commentarios *menſe Januario A. 1698 pag. 23 ſqq.* recenſuimus. Tametſi vero is iram Regis non ſemel expertus fuerit ſat gravem, a Mazarino primum Cardinali, poſtmodum & a Mareſchallo Turennio, quo jure quave injuria delatus: tantum tamen abeſt, ut indignationis erga eum conceptæ ullum ediderit indicium, ut glorioſa potius Regis Magni geſta ubivis deprædicet, ac virtutes etiam liberis ſuis, ad quos ſcriptio directa eſt, admirandas ac pro modulo conditionis ſuæ imitandas proponat. Cæterum ſuccincte admodum tum quæ Rege minorenni, tum quæ ejusmet auſpiciis geſta ſunt, perſtringit, ſtylo uſus puro ac terſo: ut hunc etiam libellum Lectori gratum acceptumq; futurum, nulli dubitemus.

NOVA LITERARIA.

ROma nuper admodum obitum Clariſſimi viri *Raphaelis Fabretti* accepimus, febri maligna anno ætatis octogeſimo primo vivis erepti. Unde cum ibidem Eminentiſſimus Cardinalis *Caſanata* anno ætatis itidem octogeſimo primo deceſſerit, fatendum eſt, eodem fere tempore Romam duumviros longe eruditiſſimos amiſiſſe. Prodiit ibidem non ita pridem *Joannis Ciampini*, Viri, dum in vivis eſſet, promovendæ rei literariæ ſtudio nulli ſecundi, Veterum Monumentorum de Operibus Muſivis Tomus II, nec non *Michaelis Angeli Cauſei de la Chauſſe*, qui elegantem eruditionem ſuam jamdudum edito Romano Muſeo ſeu Theſauro Eruditæ Antiquitatis, Tomo II Supple-

Digitized by Google

Supplementorum pag. 33 ſqq. a nobis recenſito, Erudito Orbi probavit, de Gemmis Antiquis opus Italica lingua compoſitum: quos libros propediem allatum ad nos iri ſperamus. Luci vero publicæ proxime exponetur Opus ob magnam, quam ſpirat, eruditionem a multis hactenus avide expectatum, cujus proin titulum integrum hic exhibere non gravabimur: *Monumenta Veteris Antii, h. e. Inſcriptio M. Aquilii & Tabula Solis Mithræ, variis figuris & ſymbolis exſculpta. Accedunt breves Diſſertationes de Beleno & aliis quibusdam Aquilejenſium DIs, & de Colonia Forojulienſi ejusque vetuſtiſſimis Magiſtratibus ac Sacerdotiis. Auctore Philippo a Turre, ex eadem Civitate Forojulio. Addita ſunt Fragmenta Tabularum Fratrum Arvalium, nuper in agro Romano effoſſa & plurimum Eruditis expetita.* Compariturum etiam in publico propediem ſperamus poſthumum *Emanuelis a Schelſtraten*, cujus multoties in Actis noſtris honorifica facta mentio fuit, opus Acta Eccleſiæ Orientalis duobus in folio, ut vocant, tomis complexum. Subjecta denique prelo eſt *Andreæ Putei* e Soc. Jeſu pars altera Perſpectivæ ad uſum Pictorum & Architectorum, cujus partem primam in Actis A. 1693 p. 498 ſq. recenſuiſſe nos meminimus.

Lutetiæ Pariſiorum prelo jam commiſſa ſunt *Acta Conciliorum cum Epiſtolis Decretalibus & Conſtitutionibus Summorum Pontificum.* Quæ quidem Conciliorum editio priores omnes & typorum chartæque nitore, & monumentorum ubertate, Græcique & Latini textus probitate, creditur ſuperatura; tum quod potiſſimam ſumptuum partem Rex Chriſtianiſſimus ipſe, pro inſigni ſua in Rempublicam Literariam munificentia, in ſe ſuſceperit; tum quod multa jam viri docti ad editionem omnibus velut numeris abſolvendam contulerint, & peculiari a typographiæ Regiæ præfecto Joanne Aniſſonio programmate invitati, adhuc ſperentur collaturi.

P. *Antonii Pagi*, Ordinis Minorum Convent. S. Franciſci mortem, quam octogenarius fere Aquis Sextiis in Provincia die 5 Maji A. 1699 obiit, tanto magis luxerunt Eccleſiaſticæ inprimis Hiſtoriæ cultores, quod Criticæ Hiſtorico-Chronologicæ in Annales Baronii, cujus tomus I Pariſiis A. 1689 prodiit & in Actis hiſce A. 1690 menſe Auguſto pag. 3'9 ſqq. prolixe recenſitus fuit, tomos reliquos una cum illo intercidiſſe arbitrarentur. Verum enim vero ſatis explora-

ploratum jam eſt, abſolutum opus a diligentiſſimo Auctore ante obitum fuiſſe, integrumque ab illius Nepote cognomine tribus in folio voluminibus iri editum. Et primum quidem, quod dudum, ut diximus, prodiit, denuo, ſed auctius emendatiusque typis deſcribetur. Duorum reliquorum ſynopſin aut ſelecta capita ipſe, dum ſuperſtes eſſet, Pagius ad celeberrimum Dn. Nicaſium data ſat prolixa epiſtola exhibuit, quam integram menſe Julio 1699 Novellis Reipublicæ Litterariæ Amſtelodamenſibus Vir Clariſſimus, *Jacobus Bernard*, eorum Auctor inſeruit. In eorundem Novellorum menſe Decembri A. 1699 ſpem factam Eruditis vidimus, fore ut Illuſtriſſimus *Spanhemius*, Electoris Brandenburgici ad Regem Galliarum hoc tempore Legatus, non ſolum Diſſertationem de Tragœdia veteri, aliamque de Feſtis Bacchi edat, ſed & libri de Uſu & Præſtantia Numiſmatum editionem novam adornet. Quod optandum magis quam ſperandum cenſebunt, quibus Viri ſummi occupationes majoris momenti non ignorantur.

LIBRI NOVI.

Recueil des Traitez de Paix & d' autres Actes publics &c. Amſterdam chez Henry Desbordes, & Henry & la Veuve Boom, 1700. fol.

Ulrici Huberi Eunomia Romana, ſive Cenſura Cenſuræ Juris Juſtinianei, Franeckeræ, apud Leonard. Strickium, 1700. 4.

Hermanni Witſii Miſcellaneorum Sacrorum Tomus alter. Amſtel. & Ultrajecti apud Franc. Halmam & Guil. Van de Water, 1700. 4.

ERRATA.

In Actis A. 1699 pag. 457 lin. 32 pro *Septembri* lege *Decembri*. Cæterum jurene an injuria ab Auctore Parrhaſianorum Victorius Siri reprehenſus illo loco fuerit, cum videri poſſit non de loco & tempore nativitatis, ſed conceptionis locutus, non definimus, ſed Italicæ qua uſus Siri fuit, linguæ peritioribus judicandum relinquimus. Videantur, quæ in Novellis Reipublicæ Literariæ Amſtelodamenſibus menſe Septembri anni ſuperioris articulo quinto & ſexto in utramque partem diſceptata leguntur. In iisdem anni ſuperioris Actis pag. 545, lin. 22 pro *X. 17′. 54″.* lege X. 17′. 34″, pag. 547 lin. antepenultima pro *32′. 52″.* lege *23′. 52″.*

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis, Anno M DCC.

THESAURI ELECTORALIS BRANDENBURGICI Continuatio, ſive Numiſmatum Romanorum, quæ in Cimeliarchio Electorali Brandenburgico aſſervantur, Series ſelecta, ære expreſſa & commentario illuſtrata, authore LAURENTIO BEGERO, Ser. El. Brand. Conſiliario ab Antiquitatibus & Bibliotheca.

Coloniæ Marchicæ, impenſis Electoralibus impreſſit Ulricus Liebpertus, 1700. fol. Alphab. 4. plag. 4. cum figuris æneis.

INter ingentia, quibus Reges & Principes rempublicam literariam afficiunt, beneficia, non poſtremum hodie eſt, quod digna tanto faſtigio liberalitate, antiquitatum monumenta redimunt, publicoque eruditorum conſpectui exponunt. Ita Regem Chriſtianiſſimum, Reginamque Suecorum Chriſtinam ingentem apparatum coemiſſe, numiſmatumque nobiliora æri incidi curaſſe, cui non innotuit? Ita Ducem Parmenſem numiſmata cimeliarchii ſui aurea, & divum Electorem Palatinum Carolum gemmas & numiſmata præſtantiora vulgaſſe, nemo noſtrum ignorat. Quid autem de Sereniſſimo & Potentiſſimo Electore Brandenburgico dicamus? cujus munificentia non tantum quicquid harum deliciarum venale proſtat, undique & vel ex ipſa Roma attrahit, ſed etiam ne intra parietes pretioſiſſimus Theſaurus deliteſcat, & ære & commentario illuſtratum publico eruditorum ſpectaculo exponi juſſit. Fovent ardorem, ut omnis ſanctior Miniſtrorum Electoralium corona, ita Illuſtriſſimus præcipue tanti Alexandri Hephæſtion Joannes Caſimirus

Digitized by Google

Comes Colb a Wartenberg, & Gratioſiſſimus tanti Auguſti Mæcenas Wolfgangus a Smettau, Viri eruditorum calamo in tantum laudandi, in quantum virtus intelligi poteſt. Horum enim & conſilio & opera factum eſt, ut Theſauri Electoralis Brandenburgici cuſtodi celeberrimo Laurentio Begero, cujus labore & ſtudio Theſaurus quoque Palatinus prodiit, ſumptus non deeſſent, quibus tantum opus conficeret, dignumque ſe tanti Principis ſervum oſtenderet. Vidimus ante quadriennium Tomum primum, quem in Actis hisce A. 1696, menſe Septembri p. 433 ſqq. & A. 1697 menſe Jan. p. 41. ſqq. recenſuimus, gemmas & numismata Græca continentem. Et ecce! non ita pridem apparuit & Tomi primi Continuatio, ſeries locupletiſſimas numismatum, tam Familiarum quam Imperatoriorum exhibens; eo conſilio, ut noviter coempta, de quibus Author Illuſtris ſingulare quid ſpondet, ſimul cum ſupellectile antiquaria, Tomo II & peculiari prodire poſſint. Deus Virum optimum Muſisq; noſtris addictiſſimum, quem infirma valetudine uti fama publica nobis retulit, diu ſuperſtitem velit, ut opus cœptum abſolvere, antiquisque numismatibus numismata etiam moderna Sereniſſimi Electoris Brandenburgici ingentibus ſeriebus proſtantia jungere, atque ex ordine publicare poſſit. Hoc ex voto ſperantes, Theſauri Electoralis Brandenburgici, Continuationem, quæ nuper, ut dictum, prodiit, ſeriesque numismatum duas, alteram Familiarum, alteram Imperatoriorum exhibet, in cenſum vocamus. Series Familiarum ad ordinem Urſini a Patino & aucti & reſtituti concepta eſt, ubi nemo mirabitur, quod rem actam reſumſerit Clariſſimus Author. Rationes ipſe in Præfatione deduxit, quædam nondum vulgata oſtendens, quædam minutis ſignis a vulgatis differre, quibusdam nova interpretatione colorem induci, omnia Hiſtoriæ & eruditionis ſuavitate deliniri, adeo ut denuo ea intueri vix peritiſſimis tædioſum eſſe poſſit. Easdem rationes ait & in Imperatoriis militare, ubi licet ſeriei a Cæſare ad Imperii exitum usque (eo enim hoc opus pertingit) pertexendæ quædam jam nota admiſcere neceſſe habuerit, confidere tamen ſe, horum elegantiam & eruditionem tanti fore, quanti reliquorum, quæ magno numero acceſſerunt, raritatem, cum & illa non minus ac hæc vel inſolita interpretationis novitate, vel typorum & hiſtoriæ dulcedine commen-

III.
ſeqq.

Fig II.



Fig. IV.






Fig. XIV.



Digitized by Google

mendentur. Ut intelligas, Amice Lector, hæc ita ſe habere, pauca quædam ſpeciminis loco hic proponimus. Et quidem ex ſerie Conſularium *primum* eſto, quod pag. 538 habetur, numisma argenteum cum capite nudo, forſitan Auguſti, & in averſa Leone currente, LEG. XVI inſcriptum. *Secundum* numisma Pinariorum, hinc caput Romæ, inde Dioſcuros ſubſcriptos AA & ROMA, exhibens. *Tertium* ex incertis pag. 597 cum capite Boni Eventus, & in averſa cum PACE P. R. dextris caduceum junctura amplectentibus. *Quartum* itidem ex incertis eadem pagina, ubi Victoria globum calcans & clypeo vota inſcribens viſitur, cum inſcriptione: SALUS GENERIS HUMANI, & in averſa corona quercea, in qua S. P. Q. R. legitur. Sed hæc de Numismatibus inter Familiarum numismata hactenus incognitis, ſpeciminis loco ſufficiant. Ut intelligat Lector eſſe & a vulgatis diſtincta, duo addimus. *Quintum* nempe Cariſii ex pag. 545, in quo Colonia Emerita quadrata delineatur, quæ hactenus ſemicirculi inſtar innotuit. *Sextum* numisma Cœlii Caldi pag. 549, in quo juxta caput, venabulum loco labari & apri viſitur. TAB III. Fig. I. ſeqq.

Si interpretationis novitatem deſideres, eam in pluribus offendes, quæ hic repetere longum foret. Ipſe Nobiliſſimus Author quædam in Præfatione tetigit. *Quis*, inquit, *legationem ad Carthaginenſes in* Aburia? *Quis effigiem Clymenes in* Accoleja? *Duumviros Coloniæ in* Æbutia? *Sextum prænomen in* Afrania? *Herculem Caco infeſtum in* Antia? *Planetas in* Clodia? *Regimen Orbis & Regem Bocchum in* Cornelia? *Thetidem in* Crepereia? *Fabii Maximi cunctationem in* Fabia? *Tulli victoriam & pacem cum Fidenatibus in* Hoſtilia? *Ancum Galeatum in* Martia? *Æſculapium Romam advectum in* Rubria? *Auguſtum ſpiritu Cæſaris animatum in* Sanguinia? *Dioſcuros & tropæum navale de Macedonibus in* Sulpitia? *Fœdus Tulli Hoſtilii cum Albanis in* Veturia *hactenus, niſi me præeunte, deprehendit?*

Nos ne longiores ſimus, ad Imperatoria numismata tranſimus, quorum ſeriem Julius Cæſar novendecim nummis inter ſe diſtinctis pandit. Sub Auguſto ſunt viginti novem, pleraque exquiſitæ raritatis. Quid autem juvat Imperatoria numiſmata numerare, cum tribus capitibus diſtincta ultra mille ducenta aſſurgant. Raritas ex ſe-

Digitized by Google

TAB. III. Fig. 7. ſqq. quentibus diſcatur. Eſto ergo *Septimum* numisma æreum pag. 604 Auguſti cum vaſe incognito, fortaſſis ex hydraulicorum genere. *Octavum* numisma Trajani æreum pag. 643, in cujus averſa Heſione rupi alligata a Ceto ſervatur. Inſcribitur autem ΠΡΟΥΣΑ - - - - quod in Herculis honorem ſignatum ſit, qui Heſionem ſolvit, cujusque apud Pruſaenſes cultus peculiaris fuit. *Nonum* numisma Antonini Pii moduli maximi pag. 663, cum Jove Statore inter aram & aquilam ſtante, dextraque haſtam, ſiniſtra fulmen tenente. *Decimum* numiſma Caracallæ maximi moduli pag. 699, cum figura nuda ad tripodem ſtante, ſiniſtraque fulmen geſtante, inſcriptum ΚΟΙΝΟΝ ΘΡΑΚΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ ΕΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ, & in medio ΠΥΘΙΑ. *Undecimum* numisma Aureliani æreum pag. 758, in cujus averſa Mars cum Sole globum tenens, aſſidente ad pedes captivo, MARTI INVICTO inſcribitur. *Duodecimum* numisma Conſtantii Chlori aureum moduli maximi pag 785, cujus in averſa Conſtantius & Galerius Maximianus globum medium tenentes CONCORDIA AVGG. ET CAESS. inſcribuntur, additis intra lauream votis XX. *Decimum tertium* numisma aureum Severi Cæſaris pag. 791, cum Hercule ſtante, dextraque clavam, ſiniſtra arcum tenente, a tergo prominente pharetra, a brachio ſiniſtro dependente Leonis pelle. Inſcribitur HERCVLI CONSER. AVGG. ET CAESS N. N. *Decimum quartum* numisma Conſtantii aureum maximi moduli & fulgidiſſimum pag. 817, cum Conſtantinopoli habitu muliebri in throno ſedente, dextra globum cum victoriola lauream porrigente, ſiniſtra ſceptrum tenente, inſcripta GLORIA ROMANORUM S. M. ANT.

Sed quis omnia in tanto Theſauro & rara & elegantia enumeret? Nonaginta ſex plagulas hoc opus continet, nec pagina occurrit, in qua non ſingulare quid Lectoris & oculum & animum paſcat. Non deeſt Principe digna & chartæ, & impreſſionis, & ornamentorum magnificentia. Capitibus quibusvis eleganti cælo proponuntur Glorioſiſſimi Electoris merita. Hic Armamentarium videas Berolini recens exſtructum, hic Templum cathedrale ibidem brevi exſtruendum, hic Legionum Brennonicarum victorioſiſſimum ex Ungaria reditum, Dicaſterii Electoralis ſanctiſſimum conſeſſum, Electoralium Venationum nobiliſſimas delicias, adeo ut hoc

Digitized by Google

hoc opere, quod in frontiſpicio adumbratur, Heroica Friderici III magnanimitas non tantum Romam temporis priſci injuria dejectam reſtituiſſe, ſed & dignam meritis & virtutibus ſuis lauream manibus Famæ per Orbem terrarum placidiſſime volitantis glorioſe videatur recipere.

DISSERTATIONS SUR LE MESSIE.

h. e.

DISSERTATIONES DE MESSIA, IN QUIBUS Judæis demonſtratur, Jeſum Chriſtum eſſe Meſſiam in V. T. prædictum. Auctore JAQUELOTO.

Hagæ, apud Franc. Honoratum, 1697. 8. pl. $20\frac{1}{2}$.

NOn præter cauſam doctisſimo Auctori admiratione dignum videtur, quod, cum omnes devictæ nationes ſacra, leges, & ritus victorum recipiant, Judæi tamen, a tot ſeculis per orbem diſperſi, ſuas ſibi ſeparatas leges, ſacra ac ritus tam pertinaciter ſervent; unde illius gentis majorem curam eſſe habendam, eamque non vi aut ignominia, ſed argumentis ad ſanam mentem revocandam eſſe, arguit, eoque conſilio poſt *Coccejum*, *Dauderſtadium*, *Galatinum*, *Gerſonem*, *Finum*, *Hackſpanium*, *Helvicum*, *Martinium*, *Moltherum*, *Mullerum*, *Ottonem*, *a S. Fide*, *Wagenſeilium* & centum alios, Diſſertationes has Anti-Judaicas placidisſimo ſtylo conſcripſit; quemadmodum ante biennium Diſſertationes de exiſtentia Dei contra Spinoſiſtas ediderat, in Actis his A. 1697 menſe Aprili p. 165 recenſitas. Et *prima* quidem Diſſertatione demonſtrationem abſolvit. Nam poſtquam cap. I de inſtituto ſuo diſſeruiſſet, & Judæorum animos exſpectatione Mesſiæ adhuc ſuſpenſos, eluſis vanis quorundam ſubterfugiis de Mesſia, qui tempore Hiskiæ jam venerit, vel ob peccata gentis in occulto vivat, nec non de duplici Mesſia, miſero & glorioſo, præſuppoſuiſſet, cap. II Jeſum auctorem religionis vere divinæ & cum ratione ſana optime convenientis fuiſſe docet: qui purum illum Divini Numinis cultum, in precibus, annihilatione noſtri coram Deo, recurſu ad divinam miſericordiam & amore proximi poſitum reſtaurarit. Hinc cap.

Præfat. pag. 4.

pag. 10. III pergit oſtendere, Jeſum dogmata de reſurrectione mortuorum, vita & morte æterna primum clare revelaſſe, atque ſic, quomodo Deus per fœdus gratiæ nobiscum initum Deus noſter fiat, declaraſſe. Unde cap. IV. demonſtrat, religionem Chriſti Moſaica longe perfectiorem eſſe, quia ceremonialia a Moſe tradita minus obligent, quam moralia Evangelii, cum illa ſolum voluntatem, hæc etiam ſanctitatem Dei & æquitatem fundamenti loco habeant;
p. 14. hæcque illis graviora eſſe, quia triumphum ſpiritus de carne, mundo & affectibus noſtris requirant. Patres V. T. doctrinam de judicio extremo & reſurrectione ſolum velut ſuſpicando attigiſſe,
p. 16. ſeqq. & phraſes ac dicta V. T. quæ nunc recte eo referantur, præſertim Pſalm. L, 1. Dan. XII, 2. Hoſ. VI, 2. Ezech. XXXVI. Job. XIX, 25, 26. facile aliter explicari potuiſſe. Hinc Chriſtum Matth. XXII, 32. per conſecutionem, non niſi ſenſu Dei inſtructo faciendam, reſurrectionem probaſſe. Davidem per mortem & reſurrectionem in Pſal-
p. 25. mis pericula ſua & liberationem ex illis intellexiſſe; & Sadducæos reſurrectionem negantes toleratos concludit. Porro cap. V Chriſti vaticinia de excidio Reipublicæ Judaicæ eventu exactiſſimo firmata, miracula ejus & diſcipulorum a Judæis atque Paganis, etſi
p. 33, 34. præjudiciis adverſis valde occupatis, recepta, maxime poſtquam in Eccleſia Judaica diu miracula deſiiſſent, (Bath-Kol enim pro fabula habet) ejus divinam miſſionem confirmare oſtendit. His expoſitis progreditur cap. VI ad loca Pentateuchi, quæ de Meſſia agunt, eaque omnia, nominatim Gen. III, 15. XII, 3. XLIX. 10. Num. XXIV, 17. Deut. XVIII, 15. explicat, gloſſisque Judæorum eleganter refutatis, ad Chriſtum applicat. Speciatim in illuſtrando dicto Gen. III, 15. multus eſt, & per ſemen mulieris omnes electos, præcipue vero Jeſum; per ſerpentem calcaneum fodientem Diabolum ex invi-
p. 41. ſeqq. dia omnes homines, ſpeciatim Chriſtum, ad mortem rapientem; per capitis contritionem, reſurrectionem fidelium cum Chriſto in-
p. 43. telligit, atque tentationem protoplaſtorum primum Diaboli peccatum fuiſſe ſuſpicatur. Pergit cap. VII ad ſequentes libros Biblicos, & locum 2. Sam. VII, 12. egregie explicat, Davidemque ac Sa-
p. 75. lomonem typos Chriſti fuiſſe probat. Poſthæc cap. VIII ad libros Propheticos tranſit, genium prophetiæ poſtulare, ut obſcura ſit,
p. 79. præfatus. Obſervat vaticinia de Meſſia ſenſim aucta: initio mundi ſo-

Digitized by Google

ſolum promiſſum, eum futurum eſſe hominem; mox ex Abrahami poſteris, inde ex Judæ ſemine, tandem ex Davidis familia proditurum, revelatum eſſe. Vaticinia de Meſſiæ conceptione Pſ. CX, 3. de ejus nativitate Eſ. VII, & IX, (ubi per Emanuelem filium Eſaiæ, ut typum Meſſiæ intelligit) denique Mich. V, 2. ad Chriſtum applicat. De p. 83. ſeq.
tempore adventus Meſſiæ in Jeſum exacte quadrante cap. IX ex Hag. II, 6 - - 9. Mal. III, 1. diſſerit. De LXX ſeptimanis Danielis vero peculiariter cap. X agit, & in earum calculo Scaligerum ſequitur. Porro cap. XI Meſſiæ adventum ſtante templo Hieroſolymis atque republica Judæorum promiſſum, ex omnibus Prophetis probat, & per Gog atque Magog Ezech. XXXVIII, & XXXIX Antiochum p. 139.
Epiphanem, vel Romanos intelligendos exiſtimat. Arguit quoque cap. XII promiſſiones de felicitate temporis Meſſiæ, ſenſu ſpirituali accipiendas eſſe, quia terreſtria bona & fluxa ac fragilia ſint, & malis ſæpius quam probis conveniant, contra ac Judæi, Meſſiam divitiarum ac voluptatum datorem exſpectantes, credunt. Adjungit cap. XIII vocationem omnium gentium ad Eccleſiam Meſſia adveniente promiſſam & per Chriſtum impletam, & cap. XIV, fœdus novum & univerſale ceremoniali & Judaico oppoſitum, a Meſſia juxta Prophetarum prædictiones ſanciendum, a Chriſto re ipſa ſancitum; cap. XV. perpeſſionem & mortem Meſſiæ, nullo pacto magnifico illi Judæorum Meſſiæ, optime vero noſtro convenire (qua occaſione dicta Eſ. LIII. Zach. IX, 9. Pſalm. XXII, & alia egregie vindicat) denique cap. XVI ſacerdotium Meſſiæ a Prophetis adſcriptum ſoli Chriſto convenire evincit. His expoſitis cap. XVII. præſentem Judæorum miſeriam ineptiſſimasque doctorum iſtius gentis fabulas, quas eleganter recenſet, ipſis in animum revocat, ac tandem cap. XVIII Judæorum Meſſiam phantaſma ſe ipſum evertens eſſe, demonſtrat.

In *Diſſertatione ſecunda* objectiones Judæorum refellit, & quidem cap. I ad illam, quam inde petunt, quod majores ipſorum Jeſum repudiaverint, reſpondet, id ipſum a Prophetis prædictum; patres ipſorum Moſi, Davidi, aliisque a Deo miſſis diu reſtitiſſe; falſoque eos ſupponere, tempore Meſſiæ omnes Judæos credentes futuros eſſe. Cap. II dubium ab abolitione legis ceremonialis deductum ita tollit, ut illam legem certo ſolum reſpectu, nempe ad diſtinguendum

dum populum, ex quo Meſſias naſci debebat, ab aliis, & ad memoriam beneficiorum iſti populo præſtitorum datam, atque Palæſtinæ annexam fuiſſe, dicat; adeoque nec ſemper, nec ubique ſervandam, cum Deus ejus intermiſſionem in ſervitute Ægyptiaca & deſerto toleraverit. Ubi obſervat, voces *æternum*, *ſemper*, cum de rebus ceremonialibus in S. Literis uſurpantur, non alium ſenſum
p. 266. ſeq. admittere, quam in legibus bellicis, nempe reſtrictum. Poſthæc cap. III illis, qui characteres Meſſiæ, nempe adductionem omnium gentium ad Eccleſiam, & pacis per univerſum orbem inſtaurationem, Jeſu non convenire objiciunt, reſpondet, omnes per illum vocatos, pacem etiam, qualis N. Teſtamento conveniebat, nempe cum Deo atque inter Judæos & Gentiles, ſublato diſcrimine, procuratam. Inde cap. IV opponentibus, Jeſum filium Davidis non eſſe, cum Genealogiæ Matthæi & Lucæ ſolum Joſephum concernant, reponit, Mariam Joſephi ſponſam, juxta Judaicas leges ex eadem familia natam fuiſſe, Genealogias vero Judæorum ob adoptiones, matrimonia conſobrinorum & duplicia nomina valde intricatas eſſe. Hinc cap. V illos, qui Jeſum Deum ſimul & hominem eſſe concipere nequeunt, eleganter conſtringit, ac cap. VI myſterium Trinitatis rationi contrarium non eſſe vel inde probat, quod divina nobis eſſentia longe minus quam animæ noſtræ natu-
p. 296. ra cognita ſit, & tamen, ſi a pueris didiciſſemus, duas in nobis animæ perſonas, intelligentem & volentem eſſe, easque unam animæ eſſentiam conſtituere, id facile crederemus. Tandem emphatica adhortatione concludit. Multa ſunt, quæ hunc librum lectu dignum reddunt, his præſertim temporibus, quibus pudenda exempla Chriſtianorum ad Judaicas ſuperſtitiones tranſeuntium frequentantur.

DISCOURS von Erfindung der löblichen Buchdruckerey-Kunſt in Teutſchland / bey Gelegenheit ihres anſcheinenden fünfften Jubel-Jahres / kurtz und gründlich entworffen ꝛc.

h. e.

WILHELMI ERNESTI TENZELII, HISTORIOGRAPHI DUcalis Saxonici, Diſcurſus de Inventione Typographiæ in Germania, occaſione quinti illius Jubilæi imminentis &c.

Gothæ, apud Jacobum Mevium 1700, in 12. Plag. 4.

Auctor

AUctor Clariſſimus procemii loco aliquid confert ad definiendam vulgatiſſimam hodie controverſiam, de ſæculi octavi decimi initio; ita ut cum illis faciat, qui currentem nunc annum ad decimi ſeptimi complementum omnino pertinere cenſent. Quodlibet enim ſæculum non ex centum annis inchoatis, ſed completis conſtare; hos autem non cum anno nonageſimo nono finiri, ſed centeſimum adhuc includere. Deinde perſtringit computandi rationem a Julio Conrado Rudemanno in peculiari libello Germanico, Hafniæ hanc in rem vulgato, initam; oſtenditque, Dionyſium Exiguum non completos, ſed inchoatos annos a Chriſti *Nativitate* numeraſſe, licet a vero illius die quatuor annos, ſecundum accuratiſſimos hodie Chronologos, aberraverit. Annum vero præſentem Jubilæum eſſe fatetur Auctor, & Varenium ſectatus contendit, etiam apud Judæos olim quemlibet annum quinquageſimum, non quadrageſimum nonum, pro Jubilæo habitum.

His præmiſſis integra teſtimonia de Inventione Typographiæ, ex Trithemii *Annalibus* Hirſaugienſibus, clauſulis Livii Germanici Moguntiæ anno 1508 impreſſi, & Compendii Trithemiani de origine Regum & gentis Francorum a Joan. Scheffero Moguntiæ anno 1515 *vulgati*, denique Annalibus Colonienſibus anno 1499 editis, partim deſcribit, partim Germanice vertit, indeque conficit, Typographiam anno 1440 primo inventam, & anno 1450 litteris æreis ſolubilibus primo exercitam eſſe, ideoque merito quintum Jubilæum artis præſtantiſſimæ celebrandum, quæ auroræ inſtar Eccleſiæ Reformationem præceſſerit. Neque ſine omine accidiſſe, ut litteris æreis ſolubilibus imprimendi initium petierint a Bibliis Latinis, quorum exemplaria Fauſtus Luteriam Pariſiorum deferens, magnum quæſtum fecerit, priusquam ars innoteſceret.

Non tamen arbitrium ſibi ſumit Auctor, judicis inſtar definiendi, ubi & a quo typographia fuerit inventa: ſententiam ſaltem ſuam *Lectoribus* amplius expendendam proponit. Belgas quidem cum ſuo Laurentio Coſtero non plane rejiciendos putat, licet ipſi inter ſe non ſatis conveniant. Annales enim Colonienſes Accurſiumque docere, Guttenbergium & Fauſtum ex Donato Hollandico tabulæ ligneæ inciſo occaſionem artis typique ſolutilis cepiſſe. Cum

U autem

autem alii Guttenbergium, alii Fauſtum pro inventore primo venditant, Auctor noſter pro Guttenbergio ſtat, motus partim ipſius Petri Schefferi, qui Fauſti gener fuit, teſtimonio, a Trithemio ex ore ejus excepto; partim illorum, qui ex prima Moguntiæ typographia egreſſi artem per Europam diſſeminarunt, unde varii in Germania cumprimis & Italia acceperunt illius ætatis ſcriptores, qui uno ore Guttenbergium primum auctorem laudant, Fauſtum vero ita jungunt, ut illius ope & conſilio Guttenbergius animi ſui meditata perfecerit. Verum proxima ſtatim ætate Joannes Scheffertus, Aventinus aliique Guttenbergium vel prorſus ſilere, vel Fauſto ſaltem poſtponere cœperunt, quibus inprimis pollicem premit Henr. Salmuth Notis ad Pancirollum; ſed Auctor noſter contendit, eum multa admiſcere falſa, nec Inſtrumentum publicum anno 145, datum Guttenbergio inventionis palmam abjudicaſſe, quod tamen ut Moguntiæ diligenter quæratur, & aliquando integrum proferatur, ſollicite optat.

Dehinc Argentoratenſes hodiernos aggreditur, eorumque de Joanne Mentelio, quaſi primo inventore, traditiones examinans, Chronica Germanica, quibus maxime nituntur, ob ſtylum aliaque non eſſe coæva evincit, neque cognita fuiſſe Wimphelingio, Gebvvilero ac Spigelio, quorum primus diſerte primam artis inventionem Guttenbergio, ſed primam ſolum officinam Argentorati inſtitutam Mentelio tribuit; reliqui duo Mentelium quidem venditant primum inventorem, ſed neque in anno, neque in aliis cum Chronicis iſtis conſentiunt. Quæ præterea naturæ adverſantur, tradendo, Mentelium luctu mœroreque extinctum, ob artem ſibi a Gersfleiſchio & Guttenbergio furto ereptam; quem tamen ipſius Jacobi Mentelii indicio conſtat obiiſſe anno 1478, triginta octo annis poſt primam artis inventionem: atqui angore animi concidunt, tanto temporis ſpatio haud ſupereſſe ſolent. Æterna tamen Argentoratenſes gloria manet, quod verus inventor Guttenbergius eorum civis fuit, & in urbe patria prima artis lineamenta duxit, Moguntiamque delatus Fauſti ope & conſilio feliciter perfecit. Sperat igitur Auctor, duas haſce urbes non amplius pugnaturas, ſed utramque alteri eam gloriæ partem libenter relicturam, quam Deus ipſe in arte præſtantiſſima reperienda ei aſſignavit: Harlemenſes autem

Lau-

Digitized by Google

Laurentio ſuo non tributuros inventionem typographiæ æneæ ſolutilis, nec fulcimentum quæſituros in numiſmate novitio apud ſe cuſo, quod ab uno latere portum Damiatæ illorum aſtu ſuperatum, ab altero Typographiæ inventum conſpiciendum præbet. Quibus Auctor aliud numisma in Moguntinorum gratiam opponit, clauditque iterata Jubilæi quinti commendatione, quod omnes artis patroni & addicti, vel die Joannis Baptiſtæ, vel quocunque alio celebrare posſint, ſermone ſacro, ſive Academico, ſive Scholaſtico, aliisque ſolennitatibus.

Frauen Margarethen / Chur-Fürſtin zu Sachſen / gebohrner Ertz-Hertzogin zu Oeſterreich ꝛc. wahrhafftiger Todes-Tag ꝛc.

h. e.

MARGARETHÆ AUSTRIACÆ, ELECTRICIS SAXONIÆ, verus dies emortualis, adverſus communem errorem certiſſime demonſtratus, plagiumque Kauffungianum aſſertum a WILHELMO ERNESTO TENZELIO, Hiſtoriographo Ducali Saxonico.

Gothæ, apud Jacobum Mevium, 1700. 12. Plag. 6.

SAtis conſtat rerum Genealogicarum peritis, ex feliciſſimo Friderici Placidi, Electoris Saxoniæ, cum Margaretha Auſtriaca matrimonio, non tantum propagatam *Sereniſſimam Domum Saxonicam, utriusque lineæ*; ſed etiam *Brandenburgicam, Brunſuicenſem, Haſſiacam, Lauenburgicam & Holſaticam*, imo hodiernam ſtirpem *Cæſaream* cum Regiis *Hiſpaniæ, Portugalliæ, Daniæ & Sueciæ.* De quo nonnulla præfatus celeberrimus Auctor, notabiles quasdam vitæ Margarethæ periodos recenſet, priusquam ad ſcopum ſuum pervenit, verum ejusdem diem emortualem demonſtrandi. Quo anno dieque nata ſit, hactenus ignoratur: qui defectus forte ex Friderici III Imperatoris, Margarethæ noſtræ fratris, Diario in Bibliotheca Cæſarea ſuppleri poteſt. Effigiem ejus habet Gerardus de Roo in Auſtriacis, & Epitaphium Altenburgenſe, quod *Erneſtus Pius*, Dux Saxo Gothanus, juxta cum aliis æri incidi curavit. Quo

Digitized by Google

anno dieque Margaretha Friderico Placido Electori juncta fuerit, ſcriptores quidem variant: Auctor tamen noſter præfert Antonium Weckium, Secretarium Electoralem & Hiſtoriæ Dresdenſis ſcriptorem, annotantem, id anno 1432 die Lunæ poſt feſtum corporis Chriſti factum; qui iſto anno in 23. Junii incidebat: nam anno 1431, quem alii volunt, Fridericus eo menſe in caſtris verſabatur, totius Imperii adverſus Huſſitas exercitui ſummo imperio præfectus. Numerum porro ordinemque liberorum Margarethæ alii aliter ineunt, in eo tamen convenientes, non niſi duos filios, Erneſtum & Albertum, ſuperaſſe, utriusque hodie ſtirpis Saxonicæ auctores. Quos quidem adoleſcentes ex arce Altenburgenſi nefando plagio rapuit Conradus a Kauffungen: idque a multis hodie in dubium vocatum infallibiliter aſſerit Auctor noſter, partim ex Friderici Patris edicto ad Principes Imperii miſſo, quod Weckius primus vulgavit, & cum aliis actis litterisque Kauffungianis in communi Archivo Wittenbergenſi ad hunc usque diem ſervatur; partim ex fundatione Ebersdorfenſis eccleſiæ cathedralis, ubi ſuſpenſa fuerunt juniorum Principum veſtimenta, quibus tunc induti erant; partim ex teſtimonio Dieterici Kauffungii, ultimi ex Conradi poſteris, lapideisque monumentis, in foro & templo Freibergenſi adhuc conſpiciendis; partim ex ſtipendio frumentario, quod ſerie non interrupta hodienum in præfectura Zvviccavienſi ſolvitur ſeniori familiæ Trillerianæ, quæ eſt ex carbonarii, Principis Alberti liberatoris, poſteris; partim ex numiſmate, campana & pictura, quæ in rei memoriam fieri curavit Parens Elector; partim ex MSta epiſtola Georgii Strobelii, miniſtri metallici, ad Electorem Joan. Fridericum anno 1533 ſcripta, qui narrat, ante quinquaginta annos, ſe præſente, Ducem Albertum ſpectaſſe locum, ubi ex Conradi manibus liberatus fuerat, & munuſcula dediſſe quibusdam ſenioribus adhuc viventibus, qui Conradum captivitati addixerant. Ut adeo veritas illius plagii in Solis diſco poſita habeatur.

Poſthæc multiplicem lætandi occaſionem in filiis ſuis nacta eſt Margaretha, inprimis ex quo uterque conjugem ſibi adſcivit. Quanquam ipſi magnum luctum attulit mariti, Friderici Placidi obitus, quem d. 7. Septembris anno 1464 contigiſſe, Auctor noſter demonſtrat, adverſus illos, qui eundem falſo in d. 24 Decembris collocant.

locant. Magnum deinceps gaudium Margarethæ attulit incomparabilis fodinarum Schneebergenſium proventus, de quibus ſingularia quædam inſeruit Auctor noſter, ad mortem tandem illius accedens. Primo duplex recitat epitaphium, Latinum & Germanicum, quod hodienum ſupereſt in templo cathedrali, nunc aulico, Altenburgenſi. In priori dicitur obiiſſe *Anno Domini 1486 Dominica Invocavit*: poſterius id rythmis Germanicis eloquitur:

Nach Chriſti Geburt vierzehnhundert Jar
Darzu ſechs und achtzig um neun Hor
Nach Sant Scholaſtica des Tags
Der am Sonntag Invocavit was.

Auctor igitur noſter ex computo illius anni Eccleſiaſtico evincit, Cyclum Solis fuiſſe 11, litteram Dominicalem A, aureum numerum 5, terminum Paſchalem 22 Martii, Dominicam Paſchalem 26 Martii: unde retro numerando uſque ad Dominicam Invocavit, hanc in 12 Februarii tunc incidiſſe reperiemus. Huc quoque faciunt rythmi Germanici, qui ex more loquendi tunc vulgato nihil aliud ſignificant, quam Dominicam poſt diem Scholaſticæ, Invocavit appellatam. Scholaſtica enim 10 Februarii colitur, qui ſignatus eſt littera F, & anno 1486 erat dies Veneris; unde patet, Dominicam proximam 12 Februarii fuiſſe. His addit Auctor noſter infallibiles demonſtrationes ex Maximiliani I electionis Francofurti eodem anno, menſe & hebdomade celebratæ actis, partim a Frehero Bœcleroque editis, partim ex MSto Spalatini in Bibliotheca Ducali Gothana ſervato; quæ omnia & ſingula *die Jovis poſt Invocavit, 16 Februarii anno 1486* Maximilianum in Regem Romanorum Francofurti electum aſſerunt.

His poſitis fundamentis, Auctor noſter certas diſſentientium claſſes conſtituit, & primæ ducem aſſignat Georg. Fabricium, qui licet in Originibus Saxonicis fol. 791 Margaretham noſtram *pridie Idus Februarii* 1486 expiraſſe recte aſſerat, eadem tamen pagina *Electoris matrem* anno 1484 obiiſſe dicit, conjugem Eliſabetham in mente habens, multis eum ſequentibus hac alucinatione ſeductis. Alterius claſſis anteſignanus eſt Petrus Albinus, qui ex inſpectis fugitivo oculo, maleque intellectis rythmis monumenti Germanici, falſo ſtatuit, Margaretham defunctam ipſo Scholaſticæ die, 10 Fe-

bruarii, quanquam ſectatorem nactus eſt Adamum Rempium in Calendario Saxonico. Hic tamen Rempius, quod mireris, etiam ad ſextum diem Februarii Margarethæ mortem ſignat, adeoque nos quaſi manu ducit ad tertiam claſſem, quæ hodie communiſſima eſt, & tantum non omnes ſcriptores, Saxonicos, Auſtriacos, alios, comprehendit. Sed illos omnes errare, vel ex computo Eccleſiaſtico anni 1486 patet, quo littera Dominicalis erat A. Dies igitur 6 Februarii littera B ſignatus tunc non erat Dominica, ſed Lunæ dies, ſeu feria ſecunda. Huic fortaſſe mederi voluerunt, qui Margarethæ obitum d. 5 Februarii figunt, quippe Dominicam illo anno; verum *Eſto mihi*, non *Invocavit*. Neque Clauderus cum ſua 20. Februarii audiendus eſt, quam idem computus evincit tunc non Dominicam, ſed ſecundam feriam fuiſſe.

Definito igitur vero Margarethæ die emortuali, ad locum, ubi defuncta & ſepulta eſt, Auctor progrediens, allatis diverſis ſcriptorum ſententiis oſtendit, eam nec Lipſiæ obiiſſe, nec Miſenæ conditam, ſed Altenburgi & mortem & ſepulcrum inveniſſe. Hinc docet, quibus ceremoniis exequiæ illius non ſolum Altenburgi, ſed etiam ab Imperatore in ſplendidis Imperii Comitiis Francofurti celebratæ fuerint. In Appendice quædam affert ad præcedentem libellum illuſtrandum, de typographiæ inventione, & Æra Dionyſiana. In Dedicatione ad Reverendiſſimum & Sereniſſ. Ducem Citizenſem, fato ſingulari eundem cum Margaretha diem obitus nactam eſſe Magdalenam Sibyllam, Joan. Georgii I Elect. Saxon. viduam, alteram plerarumque ſupra dictarum ſummarum Familiarum Matrem feliciſſimam, monet.

CASP. SAGITTARII HISTORICI SAXONICI HISTORIA GOthana Plenior, ex optimis quibusque editis Scriptoribus, ut & MSS. Documentis cum fide & induſtria concinnata. Opus multorum votis expetitum, ab ipſo Auctore magna ex parte confectum, typographoque traditum. Reliqua ex ejusdem ſchedis congeſſit, & Supplemento Indiceque mox edendis illuſtrabit WILHELMUS ERNESTUS TENZELIUS, Hiſtoricus Saxonicus.

Jenæ, ſumtu Joan. Bielckii, 1700. 4. Alphab. $2\frac{1}{2}$.

Ex

Digitized by Google

EX Sagittarii τῶ ἐν ἁγίοις Tenzeliique Clariſſimi Præfationibus liquet, quo animo & fortuna Sagittarius ad Hiſtoriam Gothanam ſcribendam acceſſerit, editis anno 1688 Memorabilibus Gothanis, ſtatim Hiſtoriam pleniorem aggrediens, imprimendique propriis ſumtibus initium faciens, quam varie impeditus reliquo vitæ ſuæ ſpatio abſolvere non potuit, & anno 1694 die 9 Martii defunctus, usque ad finem demum alterius Alphabeti perduxit. Inde ejus Collectanea accepit quidem Tenzelius, ſed multa quoque obſtacula ſenſit, donec reliqua ex illius ſchedis congeſta prodire nunc ſeorſim paſſus eſt, ut tanto magis doctorum patriæque amantium hominum ſtudia eliceret, ad ea ſecum communicanda, quæ in ſcriniis adhuc ſervant, rerum Gothanarum cimelia. Quadruplex enim promittit Supplementum: *Primum* complectetur Epiſtolas Conradi Mutiani Rufi, Canonici Gothani, inter primos litterarum in Germania reſtauratores celeberrimi, maximam partem hactenus ineditas, & ad illius temporis Hiſtoriam, ſacram inprimis & literariam, utiliſſimas: *Secundum* Hiſtoriam obſidionis anno 1567 peractæ & ab Huberto Langueto *deſcriptæ*, cum figuris æneis, partim ipſam obſidionis faciem, partim antiquam Grimmenſteinii & urbis Gothanæ, partim hodiernam Friedenſteinii civitatisque delineantibus; præfixis Prolegomenis de vario arcis urbisque ſtatu, quibus multa inſeret, Sagittario non viſa, aut præterita: *Tertium* Orationem Joan. Dinckelii, Superintendentis Generalis Coburgici, in laudem M. Cyriaci Lindemanni, Rectoris quondam Scholæ Gothanæ optime meriti, Sagittario quidem laudatam, ſed nunquam viſam; cum præfatione & Mantiſſa de Claris Gothanis: *Quartum* denique Vitam Gothardi, urbis in Papatu Patroni, qualem in Actis Sanctorum prolixiſſimis, vix centeſimo eruditorum noſtrorum viſis, nedum lectis, dederunt Henſchenius & Papebrochius, animadverſionibus neceſſariis a Tenzelio inſtruendam.

Hæc igitur exſpectantes interea videbimus, quid Hiſtoria Sagittarii Gothana contineatur. *Cap. 1.* de nomine & originibus urbis agit, & illud quidem a Gothica gente derivandum non inficiatur, difficillimum tamen judicat demonſtrare, quo tempore Gotha a Gothis ſit condita. Nec firmiori illos niti fundamento, qui vel ad Gothardum, vel Meingothum, vel Henricum Aucupem,

vel

vel Wilhelmum Præſulem Moguntinum, conditæ urbis gloriam referunt. *Cap. II* Dominos urbis, Landgravios inprimis Thuringiæ recenſet, & quid Gothæ egerint, indicat, nonnulla etiam alia admiſcens: cujusmodi eſt, quod pag. 19 promittit Hiſtoriam Salfeldenſem, inque ea plura de bello fraterno inter Fridericum Placidum Electorem & Wilhelmum Ducem geſto: *dici enim non poſſe, in quot & quantas nuper inciderit ſcripturas, horum temporum geſta mirifice illuſtrantes.* Utinam vero hæc ſpes cum ipſo Sagittario non intercidiſſet! *Cap. III* de fatis caſtri Grimmenſteinii, id a Gothis conditum, a Landgraviis inhabitatum & Caſtellanis inſtructum, anno 1530 a Joanne Electore fortius munitum, anno 1547 capto Joan. Friderico, Caroli V juſſu dirutum, ſed eo liberato reædificatum, denique anno 1567 ex decreto Imperii funditus everſum; in ejus tamen locum anno 1643 Fridenſteinium ab Erneſto Pio exſtructum eſſe, docet. *Cap. IV* ædem ſacram a Landgraviis in arce conditam memorat, eamque anno 1344, Canonicis Ordorſio Gotham concedentibus, in Eccleſiam cathedralem commutatam, cujus Decanos & Canonicos ex antiquis ſcripturis colligit, celeberrimo illorum pag. 48, 49, 50 minime præterito, *Conrado* nempe *Mutiano Rufo*, cujus epiſtolas dabit Tenzelius. *Caput V* de Monaſterio S. Crucis extra urbem, ejusque Abbatiſſis, Monialibus, memorabilibus, prolixiſſimum eſt, & multis diplomatibus chartisque diſtinctum. Talibus etiam diſtinguitur *ſextum* de Monaſterio Auguſtiniano; cujus templum poſt Reformationem Parochiale factum Sagittario dedit occaſionem *Capite VII* Catalogum Superintendentum & Diaconorum, deinde Rectorum & aliorum ſcholæ miniſtrorum addendi, vitas ſimul quorundam breviter contractas, nempe ex Superintendentibus, Frid. Myconii, Mich. Julii, Joan. Helderi, Balth. Gualtheri, Salomonis Glaſſii, Joan. Chriſt. Gotteri, Adami Tribbechovii, & Henrici Fergii; in quibus Myconii, Glaſſii, & Tribbechovii res prolixius deſcriptæ, ob celebre illorum nomen eruditis ſeſe commendabunt: ex Rectoribus Wilkii præſertim, Weizii, Reyheri & Heſſi. *Caput IX* de templo Parochiali S. Margarethæ, & X de Hoſpitali domo S. Mariæ Magdalenæ, quæ a Ludovico Landgravio, ejusque conjuge S. Eliſabetha, fundata eſt, multis etiam chartis notatu dignis referta ſunt. Brevioribus lineis abſolvuntur

XI

Digitized by Google

XI de Sacrario S. Jacobi, XII de Noſodochio S. Nicolai, XIII de Sacrario S. Wolfgangi, & XIV de Xenodochio ante portam Brielanam. *Caput XV* recenſendis Landgraviorum Magiſtratibus, Advocatis ſcilicet, Præfectis, Scultetis, Quæſtoribus occupatur: *ſequens* autem *XVI* Erneſti Pii, Fridericique Conſiliariis, & reliquis Miniſtris præcipuis conſecratum, evaſit omnium toto opere longiſſimum & præſtantiſſimum. Continet enim vitam Georgii Franzkii, Viti Ludov. a Seckendorf, Erneſti Ludovici Avemanni, Joan. Chriſtoph. Lobharzbergeri, Jacobi Henr. Heidenreichii, Hieronymi Bruckneri ſenioris, Joannis Franckii, Hieronymi Bruckneri junioris, (quæ plusquam ſeptuaginta paginas implens multa memorabilia exponit,) Dieterici Pflugii, Eliæ Rudolphi Heidenreichii, Jeremiæ Balthaſaris Ludovici, Andreæ Bechmanni, (quorum uterq; Concionatorem aulicum egit) Joan. Caſparis a Miltiz, & Balthaſaris Glaſſii Archiatri Ducalis. Horum nonnulli cum ſcriptis etiam publicis inclaruerint, alii ſingularia fata habuerint, quin eorum Biographiæ doctioribus placeant, dubium non eſt. *Caput XVII* enumerat Magiſtratum oppidanum, olim ex Scabinis, & Magiſtris Conſulum, hodie ex Conſulibus & Senatoribus conſtantem. In his laudem meretur Dietericus Dunckel, utut legendi ſcribendique neſcius, patronus tamen Evangelicorum, literatorum ac pauperum ſingularis: cui id obtigit, quod pauciſſimis mortalium, diſſidia etiam inveterata ex æquo & bono cum litigantium voluptate componere. *Caput XIIX & ultimum* conſtat Electis ex Annalibus Gothanis, in quibus ſubinde occurrunt quædam ſingularia. Cujusmodi eſt diſerta notitia de lavacris animarum, Seelbade / in Papatu adhuc frequentatis, pag. 418, 419, & Prophetia in templo Auguſtiniano pone altare reperta pag. 424, 425.

M. C. quadratum, LX. quoque duplicatum,
Oraps peribit, & Huſs Wickſque redibit.

ULRICI HUBER, JURISCONSULTI ET EX-SENATORIS FRIſii, Eunomia Romana, ſive Cenſura Cenſuræ Juris Juſtinianei. Poſtumum opus, quod accurate recenſuit ZACHARIAS HUBER ULR. FIL.

Franequeræ apud Leonardum Strickium, 1700. 4. Alph. 4 Plag. 17.

QVod omnibus rebus humanis accidit, ut ab his laudentur, ab aliis culpentur, id etiam Juri Romano evenit. Nam ad inſignem ejus laudem pertinet, quod pleræque Gentes moratiores Europeæ id admiſerint, ut vel in Foro cauſæ controverſæ juxta illud decidantur, vel minimum in Scholis exinde, velut puro ac inexhauſto fonte, æquitatis juſtitiæque rivuli deriventur, ac diſcentium animi largiter iisdem irrigentur. Præterea multi, quorum ſtudia eidem dicata ſunt, tenero admodum affectu illud proſequi ſolent, dum profundam meditationum eruditionem admirantur, ad tortuoſos ſubtilitatum exquiſitiſſimarum mæandros ſtupent, inſtitutorum civilium prudentiam extollunt, aut caſtæ Latinitatis in antiquis JCtis venuſtatem venerantur. E contrario tamen non deſunt, quorum animos diverſa omnino inſederit ſententia; jam enim aliqui falſa, iniqua, abſurda aut corrupta, magno numero ſibi in legibus Romanis deprehendiſſe videntur; jam alii exiguum inſtitutorum Romanorum in exteris Rebuspublicis uſum loquuntur, ac fructum labori iis impendendo haut reſpondentem cauſantur; imo audaciori etiam cenſura varia incommoda laudato juri imputant, dum a nimia legum varietate incertitudinem, egregia decipiendi compendia, lentas proceſſuum moras eſſe exortas contendunt, aut alia damna, in prudentiæ Latinæ opprobrium, invidioſe ſatis exaggerant. Neque vero ita vulgus tantum ſciſcit, ſed ſubinde etiam ingenia (quale Noſter p. 497 Antonio Fabro, cenſorum Coryphæo tribuit) elegantia, acria, magna & audacia, vel, ut idem loquitur p. 441, in fori periſtyliis ambulantes, imo in receſſu præſidentes, in textus quoſdam ringuntur, eorumque abſurditatem nudis dentibus irrident. Enimvero uti Jus Romanum extra omnem imperfectionis humanæ labem collocare haut licet, ita eorum tamen, qui illud probandum potius quam vituperandum cenſent, ſententia & aſſeclarum numero, & autoritatum ſplendore, & rationum imprimis pondere, videtur vincere, maxime cum non deſit, quod cenſoribus poſſit reponi. Aſſerto huic fidem facit in hoc opere poſtumo Illuſtris Huberus, cujus nomen ex eruditiſſimis ſcriptis, aliisque in rem literariam meritis, jam notius eſt, quam ut a nobis prolixe nunc commemorari debeat. Conſilium ipſi eſt, exponere loca Juris Romani, quæ a variis Scriptoribus tam peritis quam imperitis juris,

juris, ut falſa, iniqua, indecora, abſurda, corrupta, ſubornata, varie traducuntur, eadem vindicare, ſanare aut excuſare, vel quod res eſt, confiteri σαφῶς καὶ μὴ πανȣ̃ργως, quod fieri, cum opera nec dum in id data ſit, juris ſtudii plurimum intereſſe videbatur. Etſi enim vis legum, utut ratio minus proba ſit, non deficiat, nec dicere liceat, quod aliqui JCtis vindicatum vellent: *amicus Papinianus, amicus Juſtinianus, ſed magis amica veritas*; autoritati tamen & dignitati artis plurimum decedit, ſi juris ſanctiones a philoſophia civili, ſanctitate juris divini & ab omni veritate recedere videantur. Deniq; favor, quo genus hoc cenſuræ per ſpeciem libertatis & ingenuitatis, ab interpretibus artis imprimis exercitum, vulgo accipitur, nimis grave creat artis præjudicium, quam ut ei, ſalva veritatis teſſera, non ſit occurrendum. Superſtitio ſancte tuendi errores veterum, ab Illuſtri Autore noſtro procul abeſt, ſed cautionem, ne, quod pleriſque accidit, damnent quæ non intelligunt, quærit. Nec in iſtam quidem conceſſurus eſt partem, quam in Inſtitutione ſua, Fabius ignoſcit Auditoribus, ut omnia potius veterum laudent, quam multa reprehendant. Denique nec illud, modo quod repudiatum, adſpernabitur, *amicus Papinianus, amicus Juſtinianus, ſed magis amica veritas*, cum id heic agatur, ut ipſorum non autoritas, ſed ratio, & vindicata rationi valeat autoritas. Cum autem in hoc genere non habuerit Celeberrimus Autor quod exemplum præbeat, idcirco hæc primum προγυμναςικῶς inſtituit, ut hominum judicia experto, ſi quid mutandum videatur, facultas & copia daretur. A Pandectis initium fecit, ſimulque in Inſtitutionibus ſi qua occurrerunt peculiaria, complexus eſt. Circa antinomias non hæſit, multo minus circa alias difficultates innumeras in jure paſſim occurrentes; in terminis Philoſophiæ civilis variæque eruditionis collatæ cum Jurisprudentia ſe continuit. De cetero plures ſunt, cum quibus amico modeſtoque certamine, Noſtro confligendum fuit, quorum etiam catalogum doctiſſimus Filius adjecit. Præcipui tamen cenſores ſunt, Ameſius Theologus, leges Romanas iniquitatis paſſim inſimulans, Antonius Faber, Antonius Matthæus ſenior ejusque diſcipulus Wiſſenbachius, nec non Autumnus & Groenevvegius, quorum adeo cenſuras frequenter cenſura ſua excepit Noſter Qualem autem in hoc certamine ſe geſſerit, merita jam præſtita notumque

que animi robur, ac eruditio in hoc literarum genere plane ſingularis, facile oſtendunt. Quo tamen hac de re amplius conſtet, ſpecimina quædam, non quidem anxie conquiſita, ſed prout illa ſuccurrent, adjiciemus. Circa definitionem Juſtitiæ *l. 10. de J. & J.* propoſitam, exiſtimavit Ameſius, JCtos ſibi miſere contradixiſſe, dum juſtitiam per unicum actum, *jus ſcilicet cuique ſuum tribuendi*, definiant, cum tamen tria legum præcepta, *honeſte eſſe vivendum*, *neminem lædendum*, *ſuum cuique tribuendum*, ipſi ſtatuant, juſtitia autem æque late pateat, quam leges: ſed reſpondet Noſter, tria illa præcepta non eſſe poſitiones artis fundamentales, quibus reliqua diſciplina ſit ſuperſtruenda, ſed nihil aliud eſſe, quam ſententias & dicta, quibus animi ſui propoſitum inde ab initio deſignent juris conditores; præterea definitionem JCtis adhibitam, non omnem, ſed particularem ſolum deſcribere juſtitiam, ut fruſtra quis inter ea exactam requirat harmoniam. In *l. 6. de his qui ſui vel alien. jur.* Ulpianum, dum eum, qui marito per decennium abſente, interim natus ſit, mariti filium non eſſe docet, non nugari, ceu cavillatur Bachovius, Noſter oſtendit, cum ei id demonſtrare fuerit propoſitum, quod præſumtio ex matrimonio orta, per probationem contrariam poſſit elidi: hinc uti eum exemplo aliquo indubitato, ut dein ad magis dubia pergat; ab indubitatis autem & conceſſis negata concludere & adfirmare, non eſſe abſurdiſſimum, nec adeo quod Ulpianus ſcripſit, monere nugatorium, ut etiam quibusdam gentibus placuerit, patrem haberi qui per decennium abfuerit, ut in Anglia juris eſſe ſcribat Chamberlanus in Noviſſ. Stat. Angl. p. 1. c 18. ſi modo quatuor maria, quibus Britanni cinguntur, non tranſierit. Diſpoſitionem §. 9. *I. de adoption.* qua caſtratis facultas adoptandi abjudicatur, contra cenſuram Leonis Philoſophi Imperatoris, in *Nov. 26.* caſtratis adoptandi jus concedentis, Conſultiſſimus Autor defendit, ſuſpicaturque eunuchorum potentiam in aula Byzantina, quæ ſeculo nono, quod eſt Leonis, jam impenſe creverat, magis occ ſionem dediſſe novæ conſtitutioni, quam valorem æquitatis. Ex pactis nudis non oriri obligationem ad agendum efficacem, nota Romanorum ſanctio eſt, in *l. 7 §. 4. de pact.* propoſita, quam interpretes varie accipiunt, dum aliqui eam de pactis non ſerio, nec deliberato animo initis, cum Mæſtertio explicant, alii eam, ſi de
ſeriis

ſeriis accipiatur, æquitati naturali repugnare arbitrantur. Verum Huberus & illos & hos falli oſtendit, docetque juri naturali haut quicquam detrahi, ſi imperium civile actus ſubditorum ita circumſcribat, ut ex omnibus obligatio efficax haut naſcatur; cum hac ratione jus naturale non mutetur, ſed, ne ad quosvis actus illud applicari queat, ſolum efficiatur. In *l. 7. §. 12. de pact.* verba finalia, *niſi contrarium ſpecialiter approbetur, quod non animo ſtipulantium hoc factum eſt, ſed paciſcentium*, emblema Tribonianeum eſſe, Noſter Wiſſenbachio concedit, ac Tribonianum hoc nomine non immerito reprehendi fatetur, cum adjectionibus iſtis, a ratione temporis antiqui abhorrentibus, obſcuritate Pandectarum leges involverit, ac cruces poſteris lectoribus fixerit. Circa *l. 1. de his qui not. infam.* juris Romani ſanctionem, qua hiſtrionibus, in actione injuriarum, pro ſocio, tutelæ, mandati, depoſiti ſuo nomine, nec contrario judicio damnatis, ut & viduis maritos non elugentibus infamia irrogatur, prolixe ac graviter tuetur, ut tamen moribus diverſarum gentium eam fere negligi, ſimul fateatur. In *l. 6. §. 3. de N. G.* Julianus etiam ei, qui ſui lucri cauſa ad aliena negotia acceſſerat, actionem negotiorum geſtorum contra dominum, quatenus hic locupletior factus eſt, concedit; hoc autem cum rationem non habere fuerit viſum Clariſſimo Nodtio lib. 3. Probabil. c. 9. ideo textum ea ratione emendandum eſſe putavit, ut geſtori non actio ſed retentio ſolum & penſatio ratione ejus, in quo dominus locupletior factus, aſſeratur. Verum emendatione opus non eſſe, Noſter demonſtrat, cum ex omni jure tali geſtori actio reſpectu modo memorato, merito tribuatur. Diviſionem actionum, quod illæ ſint vel bonæ fidei, vel ſtricti juris, quæ in *l. 7. de N. G.* & *G. §. 28. I. de action.* quoque exſtat, in foro conſcientiæ locum non habere exiſtimavit Ameſius, ſed Cenſorem hunc, vitio Populi creatum, ignoratione elenchi laborare docet. Tralatitius locus eſt in *l. 27. §. 1. de hered. petit.* in quo dicitur, *quod in multorum honeſtorum virorum prædiis lupanaria exerceantur.* Ex hoc juri civili lupanarium, contra S. Scripturam, honeſtatem & bonos mores, permiſſionem & approbationem exprobrant, cenſuram illam latius exequente Anton. Matthæi. Aſt nullam heic ſubeſſe approbationem, cum Ulpianus, loci illius Autor, in *l. 21. §. 11. de recept.* lupanar *locum inhoneſtum* appellet, ſed

Digitized by Google

nudam morum corruptorum recenſionem, ac per *viros honeſtos* intelligi non probos & juſtos, ſed in honore poſitos vel honeſtiore loco natos, Noſter excipit, atque hac ratione maculam abſtergit. Memorabilis eſt diſpoſitio, quæ in *l. 3. ſi pars hered. petat.* exſtat, quaque ſancitur, ut, ſi patre mortuo, liberorum unus, ac cum eo venter ſeu uxor gravida adſit, illi interim quarta pars aſſignetur, cum tergemini naſci queant. Heic veteres Jurisperitos magno conatu nugas egiſſe cenſet Autumnus, cumque hodie non faciamus altos & obſcuros quæſtionum ſinus, ideo iſtos juris apices & ſubtilitates a judicibus non admitti, uſumque, quo ventri curator detur, in tempus naſcendi omnia jura ei integra reſerventur, nec ante familiæ herciscundæ judicium habeat locum, alimentis tantum ſuperſtiti pro qualitate perſonarum & modo facultatum aſſignatis, eſſe humaniorem amplius exiſtimat. Verum ſi filius nolit aut non poſſit expectare, ſed præſentis egeat pecuniæ, forte mercator in articulo fidei aſſerendæ conſtitutus, nec aliter fortunas ſuſtinere queat ſuas, an poſtumi jus incertum ipſius petitionem penitus eludere poterit? Non videtur hoc veriſimile; ergo remedium juris civilis adhuc habebit uſum: ſic cenſuram elidit Noſter. In *l. 5. §. 1. de rei vindic.* exiſtimat Ulpianus, *plumbum & argentum diduci poſſe, æs & aurum non poſſe*, quod ultimum falſum eſſe creditur, cum vi aquæ chryſulcæ æs & aurum ſeparari queat. Huic cenſuræ amovendæ Molinæus, notabili diligentia, artifices metallarios & monetales conſuluit, ac ab iis didicit, quod æs & aurum ſeparari quidem poſſit, non vero per aquam chryſulcam, ut cenſores putabant, ſed per ignem; hoc tamen adhibito debiliora metalla, ut plumbum & æs, valde conſumi addit, niſi aurum æri mixtum artifices includant cuidam cemento, e lateribus contuſis & medicatis cum argilla facto, ſed hoc tanto ſumtu conſtare, ut magis expediat, aurum per ignem, amiſſo ære, purgari. Atque inde jam explicat Ulpianum, quod is negans aurum ab ære ſeparari poſſe, non intelligat ſeparationem chymicam, ſed utilem atque civilem ad effectum diviſionis, quam æs & aurum non capere, cum æs pereat ſeu materia ſeu pretio, ſecundum illa docet. Cæterum hac Molinæi opera nondum ſatis a criſi eſſe vindicatum Ulpianum, Noſter cenſet, cum ille non oſtenderit, quod æs ab auro difficilius quam argentum a plumbo ſepare-

paretur, in quo tamen cardo negotii vertitur; hinc etiam Ulpianum cenſuram vel emendationem vix effugere poſſe concedit. In *l. 36. fam. erc.* Paulus pronunciat, ab eo qui per errorem pro coherede fuerit habitus, poſt rem judicatam, cognito errore, nihil repeti poſſe; quod Pauli effatum durum & iniquum cum aliis, tum præcipue Autumno videtur, exiſtimanti ſecus hodie ſecundum æquitatis rationem ſervari. Enimvero ſicut praxis contraria, quam hic laudat, dubia eſt, cum a Senatu Lutetia-Pariſino, præſide Briſſonio, ſecundum Pauli opinionem ſit judicatum, Jacobo Chezellio Advocato integrum hunc textum in Curia recitante: ita effatum Pauli ab iniquitate quoque abſolvit Conſultiſſimus Vindex, cum damnum, quod actor ſentit, ſuæ imprudentiæ imputare debeat, dum in exploranda adverſarii conditione ante rem judicatam non fuit ſolertior. Interim concedit, adverſarium in foro conſcientiæ non eſſe ſatis tutum; hinc a ſententia Brunnemanni Evangelicam denunciationem vel reſtitutionem in integrum concedentis, non valde alienus eſt. Eunomiam *l. fin. pr. de exerc. action.* qua creditori, qui magiſtro navis ad navem reficiendam, pecuniam crediderat, actio non aliter contra dominum præponentem conceditur, quam ſi navis in eo ſtatu, ut reficeretur, fuiſſe oſtendatur, nec multo plus, quam refectio requirebat, creditum ſit, contra cenſuram Autumni, nimis crude exercitorem ad omnia facta magiſtri præſtanda obligatum contendentis, egregie tuetur Noſter. Circa *l. 9. §. 7. de pecul.* vindicat jus Romanum a prava illa ſententia, quæ autophoniam approbat, quæq; ex doctrina Stoicorum Romanis JCtis adhærere, cum aliis, tum imprimis Wiſsenbachio creditur, oſtendendo, non alio ſenſu Romanos aſſerere, *licere ſervis naturaliter in corpus ſuum ſævire*, quam ad effectum negandi debiti, domino competentis, ac in præjudicium cæterorum creditorum e peculio deducendi. Oppido durum videtur, quod ſcribit Arcadius ſeu Chariſius in *l. 21. § 2. de teſtib. teſtimonio teſtis harenarii vel ſimilis perſonæ ſine tormentis credendum non eſſe*; cum enim tormentorum uſus vix quoad ipſos delinquentes defendi queat, omnem utique humanitatem excedere, ac quamvis barbariem aut immanitatem ſuperare videtur, teſtes, teſtimonium non recuſantes, nec falſi convictos, tormentis ſubjicere. Sed Vindex noſter excipit, nonniſi de perſonis viliſſimis, improbatæ profeſſionis ac proſtituti pudoris id

eſſe

Digitized by Google

eſſe conſtitutum, atque ita Eunomiam etiam hac in parte ſatis tuetur. In *l.34.§.2.de R. N.* matrimonium inter comprivignos licitum pronunciatur, etſi fratrem communem, ex novo parentum matrimonio ſuſceptum, habeant. At negare legem Dei Levit. 18 verſ. 11. opponit Anton. Matthæi, idq; ſe omnium primum ex novis verſionibus Tremellii, Junii & Piſcatoris obſervaſſe, addit. In eandem ſententiam fere concedit ejus diſcipulus Wiſſenbachius, ſed autoritate Johannis Cocceji commotus, pedem inde retrahit. Noſter inventionem ſuam Matthæo relinquit, eum vero rationes ſufficientes, ob quas a communi ſententia diſcedendum ſit, non attuliſſe cenſet. Atque in hac lege deſinunt Vindiciæ eruditiſſimi Huberi, quæ uti juris Romani cultoribus non poſſunt non eſſe gratiſſimæ, cum divitem textuum varia ratione vindicatorum theſaurum exhibeant: ita optandum eſſet, ut Hubero cœpta perficere, ac Eunomiam per omnis juris Romani partes oſtendere licuiſſet. Sed aliud viſum eſt ſupremo rerum Arbitro, qui eundem, dum annum quinquageſimum nonum ageret, ex hac vita excedere juſſit. Vetat vita brevis ſpes inchoare longas. Ipſe Autor alium, quam optabat, quamque juris cultores vellent, cœptis ſuis exitum præſagiit, humanitate ac ſenio ingruente, pro præſagio illo velut intercedentibus. Ominoſa vox eſt Noſtri in procemio: *Hoc quidem longius opus eſt, forte ſerius incboatum, quam ut aliis occupato, hac ætate, quæ ſupereſſe queat, abſolvendi ſpes ſit, quod quidem in Dei manu ſitum eſt. A Pandectis initium faciemus, ſimulque in Inſtitutionibus, ſi qua occurrent peculiaria, complectemur. Ita futurum eſt, ut totum artis ſyſtema vindicatum habeamus. De Codice & Novellis deinde videbimus, ſi videndi facultas erit & fata Deusque ſinent.* Cum tertiam Eunomiæ partem in *lib.19.* clauderet, ac novam exercitationem, numero trigeſimam, ac partis quartæ ingreſſum aperturam moliretur, mors florentisſimi Juvenis, qui defenſionem ſuſceperat, conſilia aliquo modo turbavit, a Noſtro vero hæc elicuit *pag. 622. Quæ res autem mihi vellit, duo de ſexageſimum implenti annum (quam ætatem meorum nemo Præceptorum attigit) quam vana ſpes foret, ſi hunc laborem Eunomicum ad finem Inſtitutionum & Pandectarum, nedum ad omnes Juſtiniani libros, abſolutum iri conſiderem.* Quam bene autem Huberus vitam hanc exegerit, de re publica & literaria meruerit, ac tandem

dem mortales depoſuerit exuvias; id doctiſſima oratione funebri operi huic poſtumo adjuncta, facunde expoſuit maxime Reverendus Campegius Vitringa, SS. Theolog. & Hiſtor. Sacrar. Profeſſor, Noſtro, dum viveret, conjunctiſſimus. Nihil vulgare fuit in Hubero, ſed in eo ornando natura, ars & fortuna velut certarunt; ſiquidem illa ingenium acre & magnum largita erat, iſta idem indefeſſo ſtudio excoluit, hæc vero ejus occupandi egregiam ſuppeditavit occaſionem. Anno vigeſimo primo Doctoris gradum Heidelbergæ capeſſivit, ac eodem tempore abſens Hiſtoriarum & Eloquentiæ Profeſſor, in Academia patria Franequerana, deſignatus eſt. Commoda Juventutis incredibili zelo promovit, ut aliquando omnes diei horas a matutina ſexta ad veſpertinam octavam (ſola undecima prandii excepta) privatis publicisque exercitiis ſeu collegiis, quæ vocant, impenderit. Anno vigeſimo quarto Rector Academiæ creatus eſt. Abhinc primariam juris Profeſſionem ſuſtinuit; vocationem ad jus in Academia Lugduno-Batava docendum, amore patriæ bis recuſavit. Ab Academia in ſupremam Friſiæ Curiam Juridicam evectus eſt; ab hac, triennio exacto, in illam denuo translatus, ut ibidem cum titulo Ex-Senatoris, a publicis lectionum exercitiis liber, *honoris cauſa* ageret, accepto annuo bis mille Carolinorum ſtipendio, & primo in Senatu a Rectore loco. Atque in iſta functione, poſtquam doctiſſimis varii generis ſcriptis immortalitatem meruerat, ex vomica pulmonum, ſtagnante acri humore producta, cum febris quartana, in ingraveſcente ætate gravioris ut plurimum tempeſtatis præſaga, præluſiſſet, obiit.

ECLAIRCISSEMENT DONNE' A MONSEIGNEUR LE DUC du Maine ſur les honneurs que les Chinois rendent à Confucius & aux Morts &c.

i. e.

EXPLANATIO CULTUS QUEM SINENSES CONFUCIO ET Defunctis exhibent, Dn. Duci Cenomanenſi propoſita a P. CAROLO GOBIENO Soc. Jeſ.

Pariſiis, apud Joannem Aniſſon, 1698. 12. Plag. 5.

Digitized by Google

CUm hiſtoriam Edicti ab Imperatore Sinenſi in gratiam religionis Chriſtianæ promulgati, a Carolo Gobieno ſcriptam, menſe Nov. anni 1699 recenſeremus, nos de controverſia, quæ de cultu Confucii & defunctorum Jeſuitas inter & Dominicanos agitatur, alibi expoſituros, polliciti ſumus. Promiſſorum itaque memores, huncce ejuſdem Gobieni libellum priori ſubjunctum exhibemus, ſummam rei ſecundum Jeſuitarum mentem ex eo paucis commemoraturi. Cum gens Sinenſium rituum & ceremoniarum ſit obſervantiſſima, adeo ut publica auctoritate apud eos conſcripti ſint libri leges & regulas rituum & ceremoniarum exhibentes, Jeſuitis, ſi Auctori credimus, nihil magis unquam curæ cordique fuit, quam in iſtis ceremoniis ac ritibus illud, quod ſuperſtitionem & idololatriam redolet, diligenter ſecernere ab iis, quæ ad morum tantum civilitatem & elegantiam comparata eſſe videri poterant. Hoc enim prudentiæ requirere videbantur leges, ne omnes promiſcue approbando ceremonias, ſuperſtitioni & idololatriæ apud neophytos ſuos locum concederent, aut omnes promiſcue prohibendo, plurimos a fide Chriſtiana conſilioque eam amplectendi deterrerent. Quod itaque ad cultum Confucii attinet, is itidem certis ritibus & ceremoniis apud Sinenſes abſolvitur. Nimirum, cum memoria ejus apud omnes in magna ſit veneratione, quoties honorem legibus præſcriptum illi exhibere volunt, coram tabula quadam cui nomen ejus eſt inſcriptum, & quæ menſæ una cum accenſis cereis, & acerris adorariis impoſita eſt, ſe proſternunt, terramque novem vicibus capite quatiunt. Id quidem ſæpius fit, ſed magno cumprimis apparatu cultus Confucii bis per annum peragitur, vere ſcilicet & autumno, cui cum neutiquam intereſſe omnes debeant, Miſſionarios quoque prohibuiſſe, ne Chriſtiani hiſce ſolennitatibus intereſſent, Auctor memorat. Sed non minori ceremoniarum apparatu pietatem ſuam erga defunctos, præſertim liberi erga parentes teſtantur. Id autem, uti Auctor obſervat, non fit una ratione. Primo priusquam ſepelitur corpus defuncti, in conclavi patentiori exponitur, & in menſa aut imago defuncti, aut tabula cui nomen ejus inſcriptum eſt, collocatur, additis floribus, ſuffimentis, & accenſis cereis. Qui ergo dolorem ſuum ob mortem defuncti teſtari volunt, accedunt, ſe coram iſta imagine aut tabula pro-

proſternunt, terramque fronte percutiunt, incenſisque ſuffimentis cereisque oblatis, diſcedunt. Deinde poſt ſepulturam, ſingulis ſex menſibus, vere nimirum & autumno, tota familia in ædicula ſive loco huic cultui deſtinato, quem lingua vernacula Sinenſes *Tſu-tangi* vocant, hoc eſt, ædem ſive conclave majorum, in quo menſa, ad quam per gradus adſcenditur, ut altaris fere ſpeciem exhibeat, conſpicitur, & in menſa effigies ejus qui caput eſt totius familiæ, tabulis nomina reliquorum ad eam familiam pertinentium & jam defunctorum exhibentibus, ab utroque latere diſpoſitis, conveniunt, menſæque ciborum ac frugum varia genera, ſuffimenta quoque & vinum & cereos imponunt, & ita eadem fere ratione ſuam erga illos pietatem demonſtrant, qua obſequium obſervantiamque erga Gubernatores provinciarum, cum munus ſibi demandatum ſuſcipiunt, aut erga Mandarinos primi ordinis, dierum natalium ſolennia celebrantes, vel alios magnæ dignitatis viros, quibus honores exhibere volunt, demonſtrare ſolent. Plebeji autem homines & quibus eſt res anguſta domi, tabulam cui majorum nomina inſcripta ſunt, in honeſtiori ædium ſuarum parte collocant, quo ipſo officio ſuo ſe ſatisfeciſſe putant. Quotannis etiam, & quidem circa initium menſis Maji, ſepulcra majorum ſuorum extra urbes conſtituta adeunt Sinenſes, herbisque ac ſentibus circa ſepulcrum evulſis, varia iterum honoris, quo illos proſequuntur, documenta edunt, vinumque & varia ciborum genera, in convivio deinceps conſumenda, ſepulcris imponunt.

Hoſce quidem ritus ex profunda, qua parentes proſequantur Sinenſes, veneratione fluere, Auctor docet, adeoque de illorum neceſſitate tam eſſe eos perſuaſos, ut quidvis potius admiſſuri ſint, quam ſententiam illorum, qui hæc inſtituta improbare audeant. Interim eos, qui Chriſtianorum ſacris ſint imbuti, neutiquam ritus adhibere ſuperſtitioſos, quos hactenus enumeratis addere ſoleant, qui ethnica ſuperſtitione adhuc ſint imbuti. Neque Jeſuitas unquam ſuperſtitioſos ritus laudaſſe aut permiſiſſe, ſed hoſce tantum, qui cultum ſolum civilem, quem Confucio & majoribus ſuis Sinenſes exhibent, arguunt. Auſos nihiloſecius eſſe quosdam e Dominicanorum familia, hos ipſos ritus a Jeſuitis, aliisque Miſſionariis, neophytis permiſſos, ceu ſuperſtitioſos & idololatricos traducere: aſt ſine ratione, cum

hi ipſi honores, quos Confucio & defunctis Sinenſes exhibent, ab iisdem etiam hominibus viventibus exhibeantur. Jam cum nemo aſſerere queat, eos homines viventes ut Deos adorare aut cultu religioſo proſequi, de Confucio quoque & defunctis hoc affirmari non poſſe. Totam autem hanc controverſiam eo redire, ut intelligatur, quam tandem Sinenſes de Confucio & hominibus defunctis animo conceptam habeant opinionem, num eos ut Deos venerentur, nec ne? Dominicanos quidem hoc affirmare, & ad iſtud comprobandum varia teſtimonia ex libris Sinenſium producere. Sed hiſce alia teſtimonia in contrarium non minori copia jam pridem a Jeſuitis eſſe oppoſita. Jeſuitis tamen hic potius credendum eſſe, quam Dominicanis, Noſter putat, eo quod, ob varias quas affert rationes, ſententiæ & opiniones Sinenſium non poſſint non illis magis perſpectæ eſſe, quam his. Accedere, quod nonnulli ex his ipſis, qui Jeſuitas hoc nomine damnarint, more tamen Sinenſium, iisdem ritibus & ceremoniis fuerint defuncti; id quod ne fruſtra aſſeruiſſe videatur, Franciſcum Varonem Dominicanum hiſce Sinenſium ritibus utentem in medium producit. Sed præcipuum tamen cauſæ ſuæ præſidium in eo quærit, quod plurimi iique præcipui & doctiores ex ipſis Dominicanis, Jeſuitarum praxin & ſententiam ſuo calculo comprobarint, evidentiſſimo argumento, hiſce omnibus exploratum fuiſſe, ceremonias iſtas & ritus a cultu religioſo quam longiſſime abeſſe. Præcipui inter hos ſunt Gregorius Lopez, Miſſionarius ac poſtea Epiſcopus Baſilitanus & Vicarius Apoſtolicus, Johannes de Paz Manilæ in Dominicanorum collegio Theologiæ Profeſſor, & Dominicus Sarpetri Miſſionarius, quos omnes magnis elogiis in cœlum evehit, & productis prolixe illorum teſtimoniis nihil eorum, quæ ad auctoritatem & pondus illis conciliandum pertinent, prætermittit. Aſt de Dominico Navaretta Dominicanorum Superiori non æque præclare ſentit, ſuaque inconſtantia eum promeruiſſe putat, nemo ut illi adhibeat fidem, quoties contra Jeſuitas diſſerit. Initio namque eorum quidem, qui Jeſuitis ſe opponebant, ſtrenue defendiſſe partes: poſtea autem edita ſolenni ad Antonium de Govea Jeſuitarum in Sina Vice-Provincialem declaratione profeſſum eſſe, ſe Jeſuitarum hoc in negotio ſententiam ſuo plane comprobare calculo: aſt rurſus, cum in Europam rever-

tiſſet,

Digitized by Google

tiſſet, edito ampliſſimo opere ſententiam Jeſuitarum impugnaſſe, eoque tantam apud ſuos iniiſſe gratiam, ut vel hoc nomine *illuſtriſſimi* titulo paſſim ab iis condecoretur. Hæc ſumma eſt eorum, quæ pro Jeſuitis Noſter in medium affert.

HISTORIA CULTUS SINENSIUM, SEU VARIA SCRIPTA de Cultibus Sinarum, oblata INNOCENTIO XII Pontifici Maximo &c.

Coloniæ, 1700. 8. Alph. 1. Plag. 20.

QUæ Jeſuitarum circa cultum Confucii & defunctorum apud Sinenſes uſitatum ſit ſententia, ex præcedenti recenſione, Caroli Gobieni hac ſuper re declarationem exhibente, unicuique utcunque conſtare poteſt. Sed opportune admodum ad manus noſtras venit hæc, quam nunc ſiſtimus, Hiſtoria Cultus Sinenſium, ſeu collectio variorum ſcriptorum de Cultibus Sinarum inter Vicarios Apoſtolicos Gallos aliosque Miſſionarios, & Patres Societatis Jeſu controverſis, Innocentio XII Pontifici Maximo, & Congregationi Cardinalium dirimendæ huic cauſæ præpoſitorum, oblatorum. Ex ea enim, quæ Dominicanorum ceterorumque Miſſionariorum, a Jeſuitis diſſentientium, hac de re ſit ſententia, quibusve rationibus & argumentis eam tueantur, cognoſcere licet. Atque hoc ut intelligatur, dabimus in hac recenſione cumprimis operam. Viam autem hic nobis monſtrat Nicolaus Charmot, cujus Notæ in Obſervationes a Patribus Societatis Jeſu in Mandatum Domini Maigrot Vicarii Apoſtolici & Epiſcopi Cononenſis electi, ſacræ Congregationi ſancti Officii exhibitas, conſcriptæ, primo loco hic comparent, & præcipuam libri hujus partem abſolvunt. Huic itaque ſi adhibenda fides, Jeſuitæ id unice agunt, ut quæſtionem facti confundant cum quæſtione juris, cum tamen modo de illa prius rite conſtet, de hac non poſſit ullum facile ſupereſſe dubium. Initio itaque, quo pacto iſte cultus Sinenſium, de quo diſceptatur, ſe habeat, accurate exponit. Nimirum, quod ad cultum progenitorum jam defunctorum attinet, obſervat, Sinis præſertim litterariæ ſectæ in more poſitum eſſe, parentes & avos defunctos usque ad quartum gradum, præcipuo cultu, tum publice, tum privatim, venerari. De-

dicatas itaque illis eſſe ædes ſacras, in quibus collocatæ ſint tabellæ ex ligno caſtaneo, certisque dimenſionibus confectæ, cubitalibus literis ſic inſcriptæ: *Thronus ſeu Sedes Animæ vel Spiritus N. N.* appoſito cujusque nomine & dignitate. In medio autem ædis eſſe menſam ſeu altare, cum aliis hinc inde minoribus menſis ſeu altaribus, ubi ejusmodi tabellæ reponantur. In his itaque ædibus, ter aut quater in anno, eos magno apparatu *Ci*, hoc eſt, oblationem ſolennem ſeu ſacrificium celebrare. Idque hoc modo, uti Auctor refert. Aliquot ante diebus primogenitus ſeu paterfamilias & tres aut quatuor alii ex primoribus familiæ ſeliguntur, qui veluti Sacerdotes, Diaconi & Sub-Diaconi, Magiſtri ceremoniarum atque Acolytorum miniſterio fungantur. Hi diem futuræ oblationis ſortitione eligunt: tribus ante diebus jejunio vacant, & a thoro conjugali abſtinent; pridie vero ad veſperam victimas, porcum videlicet, capram aut alia animalia infuſo in auriculas calido vino probant. Si caput moverint, ut apta ſacrificio deligunt: ſi non moverint, ut inepta reprobant. Sic adoptatum animal in eorum conſpectu ſtatim mactatur. Ipſo die, ante primum galli cantum, ad ædem dictam omnes conſanguinei conveniunt. Singulis ordine diſpoſitis, accenſis ſupra altare cereis cum thuris atque odorum ſuffitu, Magiſter ceremoniarum alta voce clamat: *flectantur genua*, ſtatimque omnes coram tabellis ter aut quater genua flectunt, terram fronte percutientes, uno ex Miniſtris certas quasdam precationum formulas recitante. Deinde clamante Magiſtro ceremoniarum: *levate*, ſurſum ſinguli in pedes ſe erigunt. Tum præcipuus Miniſter, qui officio velut Sacerdotis fungitur, ſtans ad altare, vino plenum calicem in altum tollit, clamante Magiſtro ceremoniarum: *offertur vinum*, cujus partem libat, partem vero ſuper figuram hominis ſtramineam ibi poſitam fundit. Poſtea cæſorum animalium pilos detrahit, qui una cum ſanguine humi defodiuntur, capita autem & carnes in altum tollit, & coram tabulis offert, clamante interim Magiſtro ceremoniarum: *offertur capra vel porcus.* Simili modo offert flores, fructus, legumina, itemque ſericos pannos, & nummos papyraceos, quos in foco ante ædis portam accenſo comburit, adhibitis ad ſingulos hos actus variis precationibus, quæ ab uno ex miniſtris recitantur. His ita

ita peractis, Magiſter ceremoniarum denunciat aſſiſtentibus, debere eos ob exhibitum proavis cultum proſpera omnia expectare, ſalutem videlicet corporis, fructuum ubertatem, filiorum procreationem, honores, longamque vitam. Atque hæc omnia ita ſe habere, ex monumentis fide dignis demonſtrari poſſe, Auctor aſſerit. Sed addit porro, præter has ſolennes oblationes, quæ vere & autumno peragantur, ſæpe ſæpius Sinas ad easdem ædes ſe conferre, præſertim in novilunio ac plenilunio ſingulorum menſium, ibique progenitorum tabellas ter aut quater genuflexionibus profundisque usque ad terram totius corporis inclinationibus venerari, cereos accendere, thura & odores cremare, flores quoque fructus & legumina, aliosque cibos offerre. Eos autem qui tenuioris ſunt fortunæ, ut in progenitorum honorem ejusmodi ædes extruere illorumque memoriæ dedicare nequeant, easdem oblationes & ceremonias ad eorum ſepulcra, aut in privatis ædibus, minori cum ſolennitate & apparatu peragere. Servare namque omnes domi progenitorum ſuorum tabellas, easque frequenter genuflexionibus, odorum ſuffitu & fructuum ac ciborum oblationibus venerari. Quod autem ad Confucii cultum attinet, in ſingulis urbibus ædem ſacram memoriæ ejus conſecratam, prope gymnaſium ſeu ludum literarium conſtitutam, conſpici Auctor memorat. In ea, docente Auctore, collocata eſt tabella, cum hac inſcriptione aureis literis exarata: *Thronus ſeu Sedes Animæ ſanctiſſimi & ſuperexcellentiſſimi Protomagiſtri Confucii.* Ceterum bis in anno, æquinoctio ſcilicet veris & autumni, omnes Literati ad has ædes conveniunt, ut Confucium tanquam communem Magiſtrum, ac Sinicæ Philoſophiæ parentem, oblatione ſolenni venerentur. Præcipuus Mandarinus ſeu urbis Gubernator Sacerdotis officio fungitur, adjunctis aliis Literatis, qui Diaconi, Subdiaconi, Magiſtri ceremoniarum atque Acolythorum partes obeunt. Cetera eodem fere modo ut in oblationibus, quas in progenitorum ſuorum honorem inſtituunt, peraguntur. Poſt aliquot enim dierum jejunium & abſtinentiam a thoro conjugali, pridie æquinoctii oryzam aliaque legumina, & fructus terræ Confucio offerendos in aula præparant: in area vero templi Mandarinus, qui Sacerdotis munere fungitur, ſupra menſam cereis accenſis, impoſitis prunis thus aliosque odores cremat,

Digitized by Google

mat, deinde porcum, capram aliave animalia poſtridie immolanda, more conſueto, immiſſo ſcilicet in aures vino calido, probat: porcum autem ſic electum, antequam mactetur, prono corpore ſalutat, & rurſus a laniis mactatum eodem modo veneratur. Tum raduntur pili, & cum inteſtinis & ſanguine in poſterum diem ſervantur. Poſtridie ante galli cantum, omnes qui intereſſe hiſce ſacris ſolent, in æde Confucii conveniunt, cereis accenſis. Supra menſam ſeu altare thus aliosque odores adolent. Signum dante Magiſtro ceremoniarum, Muſici cantant, & Mandarinus ceu Sacerdos Magiſtro ceremoniarum clamante: *offerantur pili & ſanguis victimarum*, eosdem pilos in catino poſitos una cum ſanguine in altum tollit, & coram tabula Confucii offert; poſtmodum jubente Magiſtro ceremoniarum, omnes inſtructo ordine extra ad aream templi procedunt, ubi pilos & ſanguinem terræ infodiunt. Tum ſinguli ad ſua loca redeunt, carnibus animalium interim aſſervatis, & Magiſter ceremoniarum alta voce clamat: *deſcendit Spiritus Confucii*; quo dicto Sacerdos ſeu Mandarinus plenum vino calicem ſumit, eumque in imaginem hominis e paleis contextam fundit: tum Confucii tabulam e loculis ſumtam ſuper altare collocat, precationem ſummas Confucii laudes continentem recitando. His peractis Magiſter ceremoniarum clamat: *flectamus genua*; quo audito omnes genua flectunt, ac poſtmodum dicit: *levate*, atque omnes ſtatim ſurgunt. Mandarinus autem ſive Sacerdos manus lavat, & oblatum ſibi ab uno e miniſtris pannum ſericum, ab alio vero vas plenum vino ſuſcipit, Magiſterque ceremoniarum clamat: *Sacrificus accedat ad thronum Confucii.* Tum Muſicis canentibus, pannum ſericum ac deinde vas vino plenum in altum tollit & Confucio offert. Magiſter ceremoniarum porro quater repetit: *flectamus genua* & *levate*, & omnes quater genua flectunt toto corpore proſtrati, ac ſeſe in pedes erigunt: pannusque ſericus ignitis carbonibus comburitur, addita iterum pronunciatione in honorem Confucii. Simili ratione poſt varias genuflexiones vinum offert, cum precatione, in qua Spiritum Confucii tanquam præſentem alloquitur. Quibus ita peractis, Magiſter ceremoniarum clamat: *Bibite vinum proſperitatis ac felicitatis*, repetitque ut ſupra: *flectamus genua*, & alloquendo Sacrificum, ait: *bibe vinum felicitatis*, quo

quo ipſo & Sacrificus illud exhaurit. Poſtea clamante Magiſtro ceremoniarum: *ſume carnem ſacrificii*, idem Sacrificus a Miniſtro carnes victimarum ſuſcipit, atque ambabus manibus ſublatas in altum offert, adjunctis precationibus, quarum unam his verbis finit: *quodcunque tibi obtulimus, purum eſt atque odorificum. Perfectis his ceremoniis nos mortales in pace conquieſcimus, ſpiritus vero jucundatur. Ex his ſacrificiis fiet, ut bona & felicitates conſequamur.* Tandem ſpiritum Confucii, quem adveniſſe ac tabellæ inſediſſe putant, vel animo fingunt, abeuntem ad ſuum locum comitantur, & adjuncta ſolenni precatione deducunt: carnes autem ſacrificii inter aſſiſtentes diſtribuunt, quos qui comederint, ſe per Confucium beneficia & felicitates adepturos confidunt. Præter has ſolennes oblationes, alias quoque minus ſolennes frequentant, de quibus nunc aliquid addere non neceſſe fuerit. Id potius adhuc obſervamus, has oblationes, ſi Auctori credendum, ſeu ceremonias Imperatorum Sinenſium legibus publicoque regni uſu ita ſtabilitas eſſe, ut nemini liceat eas omittere, niſi graviſſimas incurrere velit pœnas. Atque hæc omnia ita ſe habere, tum ex aliis monumentis fide dignis, tum maxime ex confeſſione ipſorum Jeſuitarum palam eſſe, Auctor pronunciat.

Operæ pretium putavimus, hæc omnia paulo prolixius ipſis maximam partem Auctoris verbis referre, tum quod per ſe ſcitu dignum ſit, qualis ille demum Confucii cultus ſit, de quo tam acriter diſputatur, tum maxime, quod Auctor in eo caput cauſæ conſtituat, ut quæſtio facti ſive hiſtoria hujus cultus extra controverſiam conſtituatur. Imo Jeſuitas redarguit hoc nomine, quod rationem iſtius cultus diſſimulent fere, aut leviter, omiſſis præcipuis ejus partibus perſtringant, ſtatimque ad juris quæſtionem tranſiliant, cum hæc tamen expediri nequeat, niſi factum ipſum, de quo contenditur, rite utrique diſceptantium parti innotuerit. Jam autem ad ipſa quod attinet rationum momenta, quæ hic in medium afferuntur, ea paucis delibabimus. Jeſuitæ provocant ad decretum Sedis Apoſtolicæ, quam vocant, A. 1656 factum, datumque Martinio Jeſuitæ, quo iſte cultus pro licito declaratur. Aſt cum jam A. 1645 ab eadem Sede Apoſtolica cultus iſte damnatus ſit, Noſter inde concludit, idque etiam demonſtrare annititur, Martinium non bona

Z fide

fide cultum iſtum deſcripſiſſe, Romanæque expoſuiſſe Sedi. Tuentur ſe porro Jeſuitæ in hac controverſia probabiliſmo, hoc eſt, auctoritate doctorum virorum ex ipſa etiam familia Dominicanorum, qui iſtum cultum licitum eſſe aſſeruerint. Singulos ergo ad quos provocant, hic in ſcenam producit Auctor, eorumque auctoritatem tanti neutiquam eſſe, ut ea ſtandum ſit, oſtendit. Sed fidem quoque in Jeſuitis hic requirit Noſter, eosque reprehendit, quod fictis & ſuppoſitis literis cauſam hanc defendere, ne deeſſent argumenta, non erubuerint. Hinc perperam eos inconſtantiæ arguere Dominicum Navarettam, cum is nunquam ſententiam Jeſuitarum comprobaverit; litteras autem, quas ad Antonium de Gouea Jeſuitarum in Sina Vice Provincialem ſcripſiſſe, & in quibus Jeſuitarum praxin & ſententiam approbaſſe dicitur, itidem confictas eique ſuppoſitas a Jeſuitis eſſe, aſſerere non dubitat. Ceterum quod iſte cultus, quem ex Auctore deſcripſimus, ſuperſtitioſus & idololatricus ſit, dubio carere putat. Namque quod eodem modo & viventibus honorem exhibeant Sinæ, uti Jeſuitæ aſſerunt, id vero eſt quod pernegat Noſter. Victimas ſortito eligere, vinum ſolenniter libare, caput capræ aut porci offerre, & quæ reliqua ſunt ejusdem generis, hæc nunquam peragi, quoties aut liberi parentibus, & diſcipuli magiſtris, aut ſubditi dominis viventibus honorem exhibere velint. Imo dictos illos Confucii & progenitorum cultus a Sinis literariæ ſectæ eodem pene modo adhiberi, tum erga idolum *Chin hoan*, quod tanquam cujusque civitatis Spiritum ſeu Genium tutelarem colant, tum erga alios Spiritus, quos tanquam cœli, aſtrorum, terræ, fluminumque præſides venerentur. Sed & duabus aliis ſectis, Magorum ſcilicet & Bonziorum, eandem idola ſua in *Pagodis* ſeu templis colendi rationem frequentari, aſſerit. Ex quibus liquido conſtare putat, hosce cultus idololatricos eſſe atque ſuperſtitioſo .

Sunt vero & alia diſputationis hujus capita, ab Auctore, Mandatum Dn Maigrot a Jeſuitis impugnatum accurate defendente, prolixius pertractata. Sed ſufficiet ea paucis indicaſſe. Maigrotus tabellas iſtas progenitorum defunctorum in ædibus Chriſtianorum co[illegible], nefas eſſe dixerat, niſi ſublata inſcriptione: *locus ſeu thronus animi defuncti*. Tolerari eas poſſe, aſſerunt Jeſuitæ. His repugna-

pugnat Charmotus, tum alias ob rationes, tum maxime quod Sinæ in ea ſint opinione, animam defuncti invitatam oblationibus & precibus in eam tabellam advenire, ibique aſſiſtere, ut fruatur odoribus, aliisque eduliis ſibi oblatis; unde rurſus conſtet, tabellarum ejusmodi uſum eſſe plane ſuperſtitioſum. Rurſus & de nominibus *Xangti*, hoc eſt, ſupremus Imperator, & *Tien*, hoc eſt, cœlum, an adhibenda ſint apud Sinas, ad ſignificandum Deum optimum maximum, diſputatur. Et ad nomen *Xangti* quidem quod attinet, licet de ejus uſu ipſi Jeſuitæ inter ſe non conveniant, fuiſſe tamen ait Auctor, qui Maigroto vitio verterint, quod Chriſtianos eo ad verum Deum ſignificandum uti noluerit. Eosdem pro ſua ſententia hoc afferre, quod veteres Sinenſes, veri Dei notitia imbuti, ea voce ad verum Deum deſignandum uſi ſint: ſed hoc ipſo parum eos proficere, cum apud recentiores communi omnium conſenſu per Xangti intelligatur cœlum materiale, ſeu efficiens quædam ejus virtus, quam *Li* vel *Taikie* appellitent, de veris autem ſpiritibus & animarum immortalitate altum apud eos ſit ſilentium. Atque talem notionem cum hodie Sinenſes voci huic alligent, periculoſum ſane eſſe, permittere, ut ea ad verum Deum deſignandum utantur. Excipere quidem Jeſuitas dicit, hodie multos in Sina eſſe Litteratos, qui veri Numinis notitia imbuti ſint, quibus etiam ipſe Imperator Litteratorum in hoc regno princeps, annumerandus ſit. Hoc tamen rurſus Noſter abnuit, aſſeritque Litteratos Sinenſes ita de principio hujus univerſi philoſophari, ut facile inde colligatur, eos nullum principium immateriale admittere, & recta ad Atheiſmum eorum doctrinam ducere. Neque ipſum Imperatorem modernum Sinarum Camhi ſe excipere, quippe qui nonnullos de Sinica philoſophia libros compoſuerit, in quibus de cœlo & ſubtiliſſima ejus parte, quam *Li* vel *Taikie* vocent, eodem prorſus modo diſputet, ac reliqui Sinenſium philoſophi recentiores diſputare ſoleant, ita ut non minus quam illi Atheus eſſe videatur, hoc eſt, alienus ab agnoſcenda ſubſtantia aliqua ſpirituali, omnis materiæ & corporis experte. Hæc & alia contra vocabulum *Xangti* diſputat. De vocabulo *Tien* rem adhuc clariorem eſſe putat. Quemadmodum enim *Xangti*, quicquid in aſtris aliisque corporibus cœleſtibus ſubtilius nobiliusque eſt, indicat, ita vox *Tien* cœlum in genere, id eſt, omnes globos

cœleſtes omniaque aſtra ſignificat: unde concludit, iisdem rationibus, quibus probatum eſt, vocem *Xangti* non poſſe adhiberi ad ſignificandum verum Deum, multo magis evinci poſſe, vocem *Tien* ad eum deſignandum non eſſe uſurpandam. Facile hinc intelligere licet, quo pacto Maigrotum tabellas, quibus inſcriptum eſt: *King Tien*, hoc eſt, *cœlum colito*, apud Sinenſes valde frequentes, itidem ceu ſuperſtitioſas rejicientem, contra Jeſuitas defendat. Proinde hoc ſaltem addimus, eum acriter reprehendere Jeſuitas, quod ejusmodi tabellas ad favorem Imperatoris captandum in templis ſuſpenderint. Nam licet Imperator forte & nonnulli Mandarini Jeſuitis in familiari congreſſu dixerint, ſe per vocem *Tien* Dominum cœli ac terræ intelligere, hoc tamen ad ſignificationem vocis ſemel receptam mutandam, non ſufficere. Sed ex hactenus allatis, quæ rei ſumma ſit, jam intelligitur: & hanc ſolum indicare, juxta inſtituti noſtri leges, nobis conſtitutum fuit.

JOANNIS HARDUINI, SOCIETATIS JESU PRESBYTERI, Chronologia Veteris Teſtamenti ad Vulgatam Verſionem exacta & nummis antiquis illuſtrata.

Pariſiis, apud Joannem Boudot, 1699. 4. Plag. 41.

Contexendæ Veteris Teſtamenti chronologiæ difficultatem vel ex profanorum Scriptorum varietate, inſcitia, perpetuaque inter ſe pugna ac diſſenſione oriri, vel ex codicum Græcorum Veteris Teſtamenti a Latinis atque Hebræis in ipſis annorum notis obvia diſcrepantia incredibili, enaſci autumans celeberrimus Harduinus, ſcopulum utrumque ſic evitare annisus eſt, ut in præſenti lucubratione, qua Chronologiam Veteris Teſtamenti ſacram in ordinem redigere allaboravit, e Scriptoribus antiquis teſtes in medium adduxerit Herodotum nonniſi Pliniumque, & præterea ſolius Vulgatæ Verſionis auctoritatem ſectatus fuerit. Etenim cum Herodoti Pliniique narratione, & cum ea deſcriptione temporum, quam illi inſtituerint, mirifice ait congruere, quæ ſacræ literæ prodiderint: unde cæteris Scriptoribus interim valere juſſis, ſive quod ſint omnes Herodoto poſteriores, ſive quod longe minus accurati ſint, ſive demum

demum, quod nonnullos eorum meros eſſe fabulatores propemodum in confeſſo ſit apud Eruditos, ideo duobus iſtis unice ſtare conſultum ratus eſt. Vulgatam vero verſionem merito ſacram & authenticam vocari innuit a Tridentina Synodo, hoc eſt, ut eruditi viri & catholici interpretentur, omnino in ſententiis congruentem cum primigenia Scriptura, cui proinde eadem habenda ſit fides, atque ipſi exemplari, ſi adeſſet, Θεοπνεύϛȣ ſcriptoris manu exarato. Hebræis certe codicibus, ut nunc ſint, nulla legitima autoritate reverentiam conciliari integritatemve aſſeri contendit, una excepta traditione Judæorum, cui nemo profecto Catholicus eam autoritatem poſt Chriſti necem adſcribat, quæ falli non poſſit. Viciſſim non veretur affirmare, videri ſibi vulgatum Interpretem non modo Hebraicæ linguæ rituumque Judaicorum ac totius eccleſiaſticæ traditionis callentem imprimis, ſed etiam vere Θεόπνευϛον, aut certe ſingulari Numinis favore ſic in ſcribendo adjutum, nihil ut ab homine mortali quoquam fieri poſſit æque elaboratum, uſum denique eundem eſſe Hebræis quidem codicibus multo emendatioribus, & Græcis longe aliis, quam qui nunc in manibus verſentur, exiſtimat; ac ab iis, qui ſecus ſentiant, demonſtrari ſibi petit, undenam Latinus Interpres quosdam Pſalmorum titulos hauſerit, quibus Hebræus careat contextus, quos Græci pariter codices aut minime repræſentent, aut interpolatos habeant, ſi non facta fuerit ea translatio, priusquam tales eſſent Græci Hebræique codices, quales nunc ſunt? Sed autoritati tamen Vulgatæ hujus Verſionis æque, ac teſtimoniis ex Herodoto Plinioque allegatis, nummos addere antiquos voluit, quorum conſtans ſit conſenſus cum libris duobus Maccabæorum, quanquam non in ſequioribus ſolummodo temporibus nummorum uſus ſit ſuffragio, verum etiam ad annos Regum Juda & Iſrael rectius intelligendos, frequenter admodum eosdem adhibuerit. Iſtis ergo munitus ſubſidiis, Chronologiam Veteris Teſtamenti aggreſſus eſt, temporaque Judæorum usque ad excidium Templi ſub Veſpaſiano digeſſit. Nec raro tamen profanæ quiddam hiſtoriæ aſperſit, ubi iſtam connexam cenſuit cum ratione temporum, quæ ſacri codices deſignant, vel ubi inſignia quædam nec vulgo nota obſervavit, aut plures annos vacuos annotationisque alicujus expertes prætermittere noluit. Fundamenti igitur

Digitized by Google

tur in locum hoc ſubſternit, quod annus ab ipſis rerum primordiis Lunaris fuerit, & Solari per intercalationem menſis unius ſubinde exæquatus, quodque mundus autumno fuerit conditus, anno ante Chriſtum natum 4004, die, qui nunc audiat Octobris vigeſimus tertius, feria prima, quæ a Chriſtianis Dominica dicatur. Diluvium terram univerſam inundaſſe ait anno Mundi 1656, ante Chriſtum 2349 Periodi Julianæ, ac ingreſſum quidem Noachi in arcam ad diem iſtius anni vigeſimum primum menſis Maji, egreſſum vero ad decimum ſextum Junii anni ſubſequentis 1657 refert, ac Noachum adeo per dies omnino 394, hoc eſt, annum unum embolimæum ordinarium (qualis fuerit annus diluvii,) cum diebus decem in arca commoratum aſſerit. Dum periocham a diluvio ad Abrahamum uſque perſequitur, Cainanem a Moſe prætermiſſum, aſt a Luca inſertum memorat, & Moſen opinatur voluiſſe Arphaxadi & Cainanis incontinentiam latere Hebræos ſuos, quandoquidem eorum alter anno decimo octavo, & alter anno decimo ſeptimo, contra cæterorum Patriarcharum morem, filium procrearit. Id autem ſcite occultari alterutrius ſuppreſſo nomine, nullo hiſtoriæ & chronologiæ detrimento. Dici enim vere potuiſſe, anno Arphaxadi 35 genitum eſſe Sale, Cainane prætermiſſo, quandoquidem more loquendi ſacris literis non inuſitato, ſæpius de avo dicatur, quod nepotem genuerit. Lucam econtra commode Gainanem appellare, quippe cum Hiſtoricum ageret, neque commemoraret, quo quiſque parentum anno liberos genuerit. Confuſionem linguarum & diviſionem terræ factam ſtatuit anno poſt diluvium centeſimo primo, in ortu Phaleg. Abrahamum anno Thare 138 genitum affirmat, & ab eo ad exodum uſque annos 430 prævia Scriptura numerat. Jacobum moriturum annos natum 147 adventum Chriſti prædixiſſe Gen. XLIX, 10; quod vaticinium tunc expletum fuerit, cum poſt Archelai obitum auferri penitus ſceptrum de Juda contigerit, ac deinceps Judæa, Auguſti facta provincia, Præſides tantum inferioreſque Magiſtratus a Cæſare habuerit. Pharaonis quæ occurrit in Geneſi Exodoque mentio, Autorem admonet, ut de Ægypti Regibus pauca dicat. Ubi quidem invehitur in eos, qui ex indiculis Regum Ægyptiorum vulgaribus vetuſtiorem mundi ætatem conentur aſſerere, deſertoque parente Hiſtoriæ, Herodo-
to,

to, fundum ita uberiorem ſubminiſtrent cudendis novis fabulis, & hypotheſibus ſuis annorum quinquies ſexiesve mille & amplius ante Chriſtum natum ſtabiliendis. At enim vero linguam fuiſſe Ægypti peculiarem, cum ex Scriptura Hebræa conſtare dicit, tum ex vulgato Interprete. Sed in communibus Regum Ægyptiorum Dynaſtiis, nulla prorſus Ægyptiaca reperiri nomina obſervat, omniaque potius ex Hebræis, pauca ex Græcis petita monet fontibus, & e pluribus contexta vocibus radicalibus, nulla punctorum ſeu vocalium ratione habita, nulla adjecta detractave vel immutata radicali litera, præterquam ubi, quemadmodum fiat in Hebraico regimine, ה in ת mutari oporteat, aut ubi ex defectivis Ajin altera ex iis, quæ ſimiles ſint, radicalis litera excidat, ſic deniq; , ut ſyllaba *is* in fine nominum Ægyptiorum ab איש derivetur, atq; in altero vocabulo filium hominis, in altero filios hominum ſignificet; quæ ſingula non unis exemplis probatum dat, argumentis præterea aliis iſtos Dynaſtiarum Regumque Ægypti catalogos impugnat. Inde annos Joſuæ Judicumque perſcrutatur, & ad annos Regum ubi pervenit, Salomonis annum quartum, eundemque ab exodo quadringenteſimum & octogeſimum, os occludere monet illis, qui annos ſervitutum ab annis Judicum ſecerni velint. Saulum unctum putat anno ante C. N. 1071, Periodi Jul. 3643. Circa annum regiminis Davidici trigeſimum quartum aut quintum, Jobum diem obiiſſe ſupremum exiſtimat; neque enim ſimile veri ipſi eſt, diu poſt illius obitum conſcriptum fuiſſe librum de ejus certamine ac victoria, quem a Salomone conditum poſt annos octo arbitratur, & ex fuſioribus quidem Jobi fortaſſis ipſiusmet commentariis, quibus ſuam narrationem adjunxerit. Inde enim evenire, ut in hac lucubratione narratio ſit apertiſſima & maxime ſimplex, Jobi autem & amicorum oratio majore cothurno incedere ubique videatur, amplius centum præterea horrida vocibus, Chaldaicis, Arabicis, Syriacisve, quas alibi in ſacris codicibus nusquam reperias. Menſium civilium nomina propria in ſacris literis nulla obſervat ante Salomonem, atque locutionem parentheſi incluſam, (*ipſe eſt menſis ſecundus*,) qualis non ſemel occurrat in libro Eſther, ſignificare aperte, ut Eſtheris ævo Chaldaica vocabula, ſic & iſta, quæcunque ſint, tunc recens in uſum fuiſſe invecta. Eſſe autem Ægyptiaca opinatur, exinde adducta ante

bien-

biennium, cum Salomon affinitate conjunctus eſſet Pharaoni, Regi Ægypti, cujus filiam in uxorem duxerit. Veniſſe namque illo tempore in Palæſtinam Ægyptios Aſtronomos, ſideralis ſcientiæ peritiſſimos, qui Calendarium Judaicum, ſi vitioſum foret, emendarent, a quibus accepta hæc nomina menſibus Salomon impoſuerit. Unde anile commentum vocat ſententiam eorum, qui conſpectu Lunæ & præcelſis montium jugis definitam olim fuiſſe ab Hebræis Neomeniam, cum Talmudiſtis quibusdam inſulſis haud propugnare deſinant. Quando Roboam in Sacris quadraginta & unius anni dicatur, cum regnare cœpiſſet, ſenſum dictorum eſſe ait hunc: annus hic erat quadrageſimus primus decurrens a ſenis amplius menſibus æræ Salomoniacæ, ſive ex quo Salomon, Roboami pater, jubente Davide in Regem unctus fuerit. Certe adoleſcentem fuiſſe Roboamum, cum regni habenas ſuſcepit, conceptis verbis Scripturam 3. Reg. XII, 8 & 2. Par. X, 8 affirmare, cui profecto mos haud ſit, appellare adoleſcentem aut juvenem, qui ſit natus annos amplius quadraginta. Bellum non fuiſſe ad triceſimum uſque quintum annum regni Aſa, 2. Par. XV, 29 eo ſenſu memorari ſtatuit, ut intelligatur trigeſimus quintus annus familiæ, quæ in Juda regnavit, ex quo diſcidium factum fuerat Iſraelis, & cujus familiæ principem tunc Aſa egerit. Sic plane in Commodi Imp. nummis Græcis in Ægypto cuſis, non annos ipſius imperii ſignari, ſed familiæ Aureliæ, a M. Aurelio, patre ipſius. Quare primus Commodi annus notetur vigeſimus, atque ita deinceps. Fuiſſe ſcilicet illum morem Orientalium, ut Æram inchoarent ab exortu Principis alicujus, qui de ipſis eſſet optime meritus, eamque producerent, quam diutiſſime liceret, donec alius majore beneficio prioris recordationem deleret. Poſteaquam de Regibus Judæ aliis diſſeruit, primum Aſſyriorum Regem in Sacris literis allegatum introducit, cui nomen fuerit Phul. Antea iſtos nuncupatos modo ait Reges Ninive, ditione ſcilicet Niniviticum agrum tenuemve toparchiam vix excedente; id quod ex eo præterea conjicit, quod ante hoc tempus nullus Rex Aſſyriorum Hebræos bello appetierit; unde argumento ſat perſpicuo conſtet, nullam adhuc Regibus Ninive amplificandi imperii aut opum congerendarum libidinem familiarem fuiſſe. Singularis eſt, quam de nominibus Regum Aſſyriorum,

rum, quæ in Canone ſive Ptolomæi ſive Theonis circumferantur, fovet ſententia, dum ex literis Hebraicarum radicum, nulla prorſus immutata, nulla detracta vel adjecta, vocabula compingenda, & paria deinde inter ſe copulanda, ac ſententiam denique exprimendam dicit, quæ Chriſtum Servatorem ſive Deum & hominem, ſive olim patientem atque in fine mundi judicem, cum antitheſi repræſentet. Ita enim v. g. nomen *Nabonaſſarus* compoſitum putat ex נא nunc, בוא venit, נצר cuſtodire, ſervare: Nadius ex נדה, elongare, vel נדח, expellere, ejicere. Unde ſententia ſit: Qui nunc venit ſervare, hic eſt, qui expellet. Venit enim filius hominis quærere & ſalvum facere, quod perierat. Luc. XIX, 10. At idem in judicio impios expellet foras, Luc. XIII, 28, dicetque: diſcedite a me maledicti in ignem æternum, Matth. XXV, 41. Ita nomen *Mardocempadus* compoſitum ait ex מר mœror, דכה atterere, עם cum, dum, פדה liberare, redimere. Nomen *Arcianus* ex ארך ſanitas, & יה Dominus. Unde ſententia utriusque vocabuli ſimul conjuncti hæc ſit; qui mœrore atteritur, dum redimit, hic eſt, qui ſanat, Dominus. *Belibus* fieri ex בחל rejicere, faſtidire, averſari: & אבא velle, acquieſcere. *Apronadius* ex חפר erubeſcere, confundi, היא ipſe, & נדה elongare, vel נדח ejicere, repellere. Sententia: qui repudiari voluit, hic eos a ſe repellet, qui eum erubuerint. Ex רגע transfigi, & בהל feſtinare, fieri *Rigebelus*. Ex גשש palpare, contrectare, & in Benoni Piel, מגש qui valde contrectat, אמר verbum, & דכה conterere, fieri *Megeſſimordacus*. Sententiam ex utroque vocabulo iſtam eſſe: qui transfigi ſeu crucifigi feſtinavit, hic eos, qui manus injecerunt in ipſum, verbo conteret. Quærit autem: cur in iſto Regum Aſſyriorum indiculo non appareant omnino ii, quos ſacræ literæ commemorent, quales ſint Sennacherib, Salmanaſar, Aſarhaddon, Sargon, Aſenaphar, Nabuchodonoſor uterque, Evilmerodach, Balthaſſari, Nitocris Herodoti, Labyniti duo, aut Plinii Horus, cum hi tamen eò ævo vixerint, quod Nabonaſſaro ejusque ſucceſſoribus detur? & reſpondet, non aliam id ob rationem fieri, niſi quod non ſint hæc Aſſyriaca nomina ad concinnandas ſimiles de Chriſto ſententias idonea, nec referri ſaltem pleraque poſſint ad radices Hebræas. Aſſar Haddon ſive Aſarhaddon, Rex Aſſur, Sardanapalus ipſi videtur, Nini Rex ſeu Ninives. Certo

 cum

cum Aſarhaddon ex duabus conflata vox una ſit, nempe ex אסר & חרון utriusque vocis detracta priore litera dici Sardon ſive Sardan, cui deinde vocabulo Græci adjecerint alterum, ἀπαλὸς, mollis, quoniam Aſſyrii molles, unde & luxus Aſſyrius in proverbium abierit. Quibusdam interjectis aliis Paſcha a Joſia celebratum, cujus mentio fiat 2. Reg. XXIII, 22 incidiſſe ait in diem menſis decimum quintum in Sabbatum, & noſtrum 26 Aprilis. Initium LXX hebdomadum Danielis derivandum ait ab Olympiade 46, V. C. 146, ante Chriſtum natum 608. Jechoniam mortuum putat anno ſervitutis domus Juda octavo. Annum primum deſolationis Templi refert ad Olymp. 57, V. C. 166, ante Chriſtum 588. Circa annum illius duodecimum natam in Perſide Eſtherem conjicit, deque ea & Aſſuero plura diſſerit. Diverſum facit regnum Aſtyagis, &, qui huic ſucceſſerit, Cyri, a regno Aſſueri; ſub hoc enim Perſidem in duas fuiſſe diſtributam ditiones monet, quarum altera Boream & mare Caſpium ſpectarit, Media nuncupata, Auſtrum altera & mare Perſicum, quæ proprie Perſis dicta. Regnum Cyri Medo-Perſicum dicit, Medis imperante Cyro, Perſa, Regnum autem Aſſueri regnum Perſarum duntaxat appellari, & Perſico-Medicum fuiſſe, Perſis imperante Medo. Quam ob cauſam fraterna inter utrumque regnum ſocietas viguerit, nec fere disjungi Medos a Perſis, præſertim in bellis gerendis, contigerit. Ignotum de cætero manſiſſe Aſſuerum hunc aliis annalium conditoribus, uti & reliquos Babyloniorum Reges, quos poſt hæc tempora Scriptura commemoret, nemini debere mirum videri, quoniam illi quidem profanos ſolum Scriptores ſecuti deprehendantur, qui conſcribendis Cyri modo rebus & ſucceſſorum ejus operam navarint, neque ſacræ Chronologiæ ex ſacris præſertim literis illuſtrandæ dignam operam impenderint, unde & eosdem eſſe Reges Mediæ & Reges Perſidis ac Babyloniæ exiſtimaverint. Mardochæum & Eſtheram minime ad Artaxerxis Longimani, nec ad Cyaxaris ævum referri debere ſtatuit, ſed ad hunc ipſum Aſſuerum, qui & Artaxerxes Maximus audierit. Quæ librum Eſtheræ claudit, epiſtolam Artaxerxis ſive Aſſueri pro Judæorum ſalute, apocrypham eſſe inficiatur, multisque eam rationibus vindicare ſatagit. Aſſueri hujus ſucceſſorem conſtituit Darium Medum, Aſſueri filium, qui & ipſe poſt cædem Baltaſſaris Babylo-

Digitized by Google

bylonem obtinuerit. Ad Aſtyagis, Regis Babylonis, annum primum Suſannæ refert hiſtoriam, in qua Danielem illum puerum juniorem alium haberi vult a Propheta, qui hæc ſcriptis prodiderit. Annum captivitatis Babylonicæ ſeptuageſimum, & Cyri in Babylonia & Perſide regnantis primum coincidiſſe affirmat. Denique Regum Mediæ & Regum Perſidis tale ſtemma conficit, quo omnium optime chronologiæ hac in parte conſuli poſſe arbitratur. Offudiſſe enim hiſtoriæ ſacræ tenebras illos omnes, qui, quos Reges Scriptura Sacra commemoret, eos non alios eſſe ſibi perſuaſerint ab his, quos profani annalium Scriptores prædicent, cum tamen illa Babyloniorum & Perſidis modo Reges appellet, iſtis autem Mediæ tantum Principes cogniti, Perſidis econtra & Babyloniæ prorſus ignoti fuerint. Darii Hyſtaſpis ubi meminit, ſimul iſtam movet quæſtionem: cur ultra annum ejus ſextum non amplius is in Sacris literis memoretur, utut annos ſex & triginta regnarit? factumque iſtud ideo exiſtimat, quod ille anno iſto ſexto circa menſem Julium Babyloniam Artaxerxi ceſſerit, ad quem proin deinceps Judæorum negotia petinuerint. Excurrit heic ad Reges Macedoniorum, eorumque hanc veriſſimam eſſe ſeriem innuit: Perdiccas, Aræus, Philippus, Aëropus, Alcetas, Amyntas, Alexander, Perdiccas, Archelaus, Amyntas, Philippus, Alexander M. Cæteros qui vulgo interſerantur poſt Regem ſeptimum, qui eſt Alexander, Oreſtem nempe, Aëropum, Pauſaniam, Argæum, Alexandrum, Perdiccam, Ptolemæum Aloritem, partim aliunde ait adſcitos, nec in nummis unquam conſpectos, partim repetitos ex priorum Regum numero, unde his neglectis, iſtorum modo, quæ habentur, numiſmata recenſet. Æram Græcorum deſcribere aggreſſus, mortem Alexandri M. commemorat, quem in annum regiminis ejusdem a devicto Dario duodecimum Hiſtoriæ Maccabæorum initium conjiciat. Aſt cum ex Plinio & cœleſti obſervatione conſtet, annos eum duodecim ante iſtam victoriam in Græcia exegiſſe, viginti eapropter quatuor annos tribuendos ipſi venire contendit, quantumvis e vetuſtis Scriptoribus alii undecim omnino aut ad ſummum duodecim eidem aſſignent. E ſucceſſoribus illius Syriæ tantum & Ægypti Reges allegat, eo, quod cum rebus Judæorum res eorundem geſtæ connexæ colligatæque ſint, inque ſuppeditandis nummis ad eorum hiſtoriam

Digitized by Google

illuſtrandam conducentibus admodum ſe liberalem exhibet. In æræ autem Græcorum anno 148, V.C. 589, hebdomadas Danielis finiri quoniam exiſtimat, ſuam ideo de iis ſententiam fuſius exponit. Angeli nempe cum Daniele colloquentis hanc fuiſſe mentem innuit: ex quo cœpiſti orare, egreſſus eſt ex ore Dei ſermo, quem ego tibi indico. In hac gente tua Chriſtus aliquando ungendus eſt Spiritu Sancto, ſed & in urbe illa ſancta tua Chriſtus aliquando occidendus eſt. Verum hæc omnino prius in typo eventura ſunt. Geminus tibi dux Chriſtus promittitur, poſt ſeptem hebdomadas alter, qui Cyrus, alter, qui Judas Maccabæus, poſt ſexaginta duas. Poſt Cyrum ungetur Sanctus Sanctorum, qui Chriſtus eſt, ſed in typo, hoc eſt, in ſummo Sacerdote. Poſt Judæ Maccabæi exortum ante Templi profanationem Chriſtus idem, qui Sanctus Sanctorum, occidetur, ſive poſt hebdomadas LXII, ſed ſimiliter in typo, hoc eſt, in altero ſummo Sacerdote, unde cum gens tua poſtea viderit Templum penitus excifum, non dubitet, quin prius etiam reipſa Chriſtus & unctus fuerit & occiſus. Hanc ſermonis Angelici paraphraſin latius dein exponit ac defendit, quodque imprimis per ſummum Sacerdotem poſt ſexaginta duas hebdomadas occidendum Onias ſit intelligendus, evictum dare conatur, indeque patere ſibi perſuadet, quod neutiquam Antiochi Regis ac Judæ Maccabæi tempore Danielis vaticinium impletum fuiſſe dicendum ſit, ut arbitretur quidem Eſtius, ſed ad Chriſtum potius directe pertineat, & ad excidium Templi ſupremum, verum ita, ut hæc prophetia typum ſimul intra certum tempus eventurum polliceatur. His affatim declaratis, in Regum Syriæ & Ægypti ſerie condenda & nummis illuſtranda pergit, tandemque deſcendit ad æram Chriſtianam, cui peculiarem de Chriſti Genealogia commentationem præmittit. Hæc cum a Matthæo æque ac Luca in Sacris deſcripta legatur, juxta Matthæi primo ductum expenditur. Formaſſe enim ipſum ait tres teſſaradecades, quarum prima contineat terminum a quo, nempe Abrahamum, & terminum ad quem, nempe Davidem, ut oculis ipſis appareret, Davidem eſſe filium Abrahæ. Secunda repræſentari monet adhuc terminum a quo, nempe Davidem, quem idcirco præfigi initio iterum oportuerit; & in fine tertiæ teſſaradecadis collocari terminum ad quem, nempe Chriſtum, ut ex fine tertiæ

qui

qui retro nomina computaret & usque ad caput ſecundæ teſſaradecadis, ſtatim intelligeret, Chriſtum eſſe filium Davidis, originemque adeo ducere concluderet ab utroque illo, cui factæ ſint promiſſiones de Chriſto ex ipſius ſemine naſcituro. Lucam viciſſim id ſpectaſſe in ſcribendo obſervat, ut primum oſtenderet nobilitatem generis Chriſti originemque ex Davide per Mariam, quemadmodum Matthæus antea fecerat per Joſephum, deinde Zorobabelem ipſum, Templi reſtitutorem, materno genere ortum eſſe ex Davide, quemadmodum paternum ipſius pariter genus ex eodem Davide Matthæus oſtenderat, ut inde liqueret, Chriſtum paterno maternoque ſanguine ex Zorobabele, Zorobabelem paterno pariter maternoque genere ex Davide deſcendere, quæ profecto magna Chriſti nobilitas ſit. Quæ de nominibus in hoc catalogo obviis ſigillatim monet Autor, prolixiora ſunt, quam quæ huc referri poſſint ſingula. Vel unicam proinde obſervationem decerpſiſſe ſuffecerit. Cum Salathielem, Zorobabelis patrem, genuiſſe Jechonias dicatur apud Matthæum, aſt apud Lucam Salathiel Neri filius perhibeatur, poſtremo loco filium pro genero poni ſtatuit, quoniam & ita poſcat Latinæ linguæ conſuetudo, teſtibus nummis antiquis, in quibus & Conſtantinus Fil. Augg. & Maximinus Fil. Augg. inſcribantur, hoc eſt, ambo filii Auguſtorum, quoniam eſſet uterque alterius Auguſti filius, alterius gener. Ita quoque ſacras loqui ait literas: numquid vox hæc tua eſt, fili mi, David? ubi filium Saul pro genero dicat, 1. Reg. XXIV, 17. Nec infrequens etiamnum, ut ſocer generum filium appellet. Chriſtum natum putat anno Imperii Auguſti in Oriente XXXI, ejuſdem Tribuniciæ poteſtatis anno XXIII d. 25 Decembris. Baptiſmum ab eo ætatis anno trigeſimo ſuſceptum dicit die ſexto Januarii. Statim poſt baptiſmum ac jejunium ſub Paſcha eum incepiſſe prædicare, nec tamen diſcipulos ad ſe vocaſſe ante annum ſequentem ſub Paſcha. Sabbatum δευτεϱόπϱωτον, cujus mentio Luc. VI, 1 menſis Adar ſecundi primum eſſe, quod cum anno tantum embolimæo occurrere poſſit, in quo tertius decimus menſis ſuperaddatur, quem ſecundum Adar Hebræi vocitent, menſis autem ille non poſſit niſi in annum Julianum XXXII cadere, ex iis annis, qui poſſint venire in controverſiam, neceſſario conſequi, inſignem eſſe hanc epocham,

ex qua perſpicuum fiat, annum paſſionis Chriſti, qui proximus huic fuit, eſſe non poſſe niſi æræ Chriſtianæ tertium ac triceſimum. Diem feſtum mediantem Joh. VII, 14 memoratum pro die uno habet e quatuor, qui in ſolennitate ſcenopegiæ occurrerint, cujus hic ordo fuerit:

Dies 15 Tisri, 7 Octobris, feria 3 Scenopegia in Galilæa.
8 Octobris, feria 4 ſcenopegia in Judæa.
Dies feſtus medians 11 Octobris, ſabbato.
Noviſſimus dies magnus feſtivitatis, qui & dies Collectæ 15 Octobris, feria quarta, in Judæa.

Atque ex his itidem patere illis autumat, qui formam anni Judaici norint, non poſſe characterem illum incidere in annum alium, niſi trigeſimum ſecundum Julianum, qui Chriſti mortem anteceſſerit. Quæ deinceps de ſupremo Chriſti paſchate commentatur, fuſius jam ex peculiari libro, quem de hac ipſa materia conſcripſit Autor, quondam repetiimus in Actorum noſtrorum Supplem. T. II. p. 395 ſq. quorſum B.L. ablegamus. Sicut autem hiſtoriam regiminis Politici, quod Chriſto in his terris agente viguit, ex nummis inde ab iſto ævo ſuperſtitibus diligenter illuſtrat; ita parili induſtria ad annum usque Chriſti ſeptuageſimum progreditur, ac ſubinde præter alia Actuum quoque Apoſtolicorum loca nonnulla dilucidare annititur.

LIBRI NOVI.

Magnum Oecumenicum Conſtantienſe Concilium de Univerſali Eccleſiæ Reformatione, Unione & Fide, VI Tomis comprehenſum. Sereniſſimi Brunſuicenſium Ducis, RUDOLPHI AUGUSTI, auſpiciis ex ingenti antiquiſſimorum & fide digniſſimorum MSCtorum mole diligentiſſime erutum ac recenſitum, multisque figuris æneis exornatum, opera & labore Hermanni von der Hardt/ *Cœnobii Mariabergenſis Præpoſiti & Academiæ Juliæ Profeſſoris. Francofurti & Lipſiæ in officina Chriſtiani Genſchii, 1700. fol.*

Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtoria Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ ſub Summis Pontificibus, Clemente VIII & Paulo, V. Libri IV. Autore Auguſtino Le Blanc. Lovanii, apud Ægidium Denique, 1700. fol.

An Expoſition of the Thirty-nine Articles of the Church of Engeland, Written by Gilbert Biſchop of Sarum. London, printed for Ri. Chisvvell, 1700. fol.

Reflections upon Learning, wherein is ſchevvn the Inſufficiency thereof &c. By a Gentlemain. London printed for A. Bosville, 1700. 8.

Series Chronologica Olympiadum, Pythiadum, Iſthmiadum, Nemeadum, quibus Veteres Græci tempora ſua metiebantur. Auctore Gulielmo Lloyd A. M. Epiſcopi Wigornienſis Filio. Oxonii e theatro Sheldoniano, 1700. fol.

Johannis Marckii in Micham, Nahumum, Habbakkukum & Tſephaniam Commentarius, ſeu Analyſis Exegetica. Amſteladami apud Gerb. Borſtium, 1700. 4.

Joannis Braunii Selecta Sacra. Amſtelad. apud Henr. Wetſteinium, 1700. 4.

Georgii Paſchii de Novis Inventis, quorum accuratiori cultui facem prætulit Antiquitas, Tractatus. Lipſiæ apud Hæredes Jo. Groſſii, 1700. 4.

Jacobi Tollii Epiſtolæ Itinerariæ ex Auctoris ſchedis poſthumis recenſitæ ſtudio Henrici Chriſtiani Henninii. Amſtel. apud Franc. Halmam, 1700. 4.

Antonii van Dale de Oraculis veterum Ethnicorum. Editio ſecunda, cui accedunt Diſſertatiunculæ de ſtatua Simoni Mago erecta. Amſtelad, apud Henricum & viduam Theodori Boom, 1700. 4.

Obſervations ſur la Maniere de tailler dans les deux ſexes, pour l'extraction de la pierre, pratiquèe par Frere Jacqes. Nouveau Syſteme de la Circulation du Sang par le trou ovale dans le Fœtus humain, avec les Réponſes aux objections &c. Par Jean Mery. Imprimé à Paris, & ſe vend à Amſterdam chez J. L. de Lorme, 1700. 12.

Traité d'Origene contre Celſe. Traduit du Grec par Elie Bouhereau. A Amſterdam, chez Henri Desbordes, 1700. 4.

Joannis Clerici Epiſtolæ Criticæ & Eccleſiaſticæ, in quibus oſtenditur uſus Artis Criticæ, cujus poſſunt haberi volumen tertium. Amſtel. apud G, Gallet, præfectum typographiæ Huguetanorum, 1700. 8.

Le

Digitized by Google

Le Chriſtianiſme eclairci ſur les Differens du Temps, en matiere de Quietisme. A Amſterdam, chez G. Gallet, 1700. 8.

Traité de l' Autorité des Sens contre la Transſubſtantiation, par Jean La Placette. A Amſterdam, chez G. Gallet, 1700. 12.

Memoires du Chevalier de Beaujeu. Contenant ſes divers Voyages. A Amſterdam chez les Heritiers d' A. Schelte, 1700. 12.

Lettres de Monſieur le Chevalier Temple, ecrites durant Son Ambaſſade a La Haye. Traduites de l' Anglois. A la Haye, chez M. Uytwerf, 1700. 12.

L' Idée parfaite du veritable Heros, par M. J. B. della Faille. A Amſterdam, chez Eſtien Roger, 1700. 8.

Traité des Sources de la Corruption qui regne aujourd'huy parmi les Chreſtiens. A Amſterdam, chez Henry Desbordes, 1700. 8.

Franciſci Burmanni Orationes. Trajecti ad Rhenum, apud J. Ribbium, 1700. 4.

Deſcription de la piece d' Ambre Gris, que la Chambre d' Amſterdam a receue des Indes Orientales, peſant 182 livres, avec un petit Traité de ſon origine & de ſa vertu. Par Nicolas Chevalier. A Amſterdam chez l' Auteur, ſur le Rockin, 1700. 4.

Lettre Paſtorale de Mr. l' Archevêque de Paris, aux nouveaux Reunis de ſon Dioceſe, avec des remarques. A Amſterdam chez Dan. Pain, 1700. 4.

Edmundi Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus liber primus, complectens hiſtoricum de diſciplina in Sacramentorum adminiſtratione tractatum. Rotomagi, apud Guil. Behourt, 1700. 4.

Joan. Arrowſmith Tactica ſacra, ſive de Milite Spirituali pugnante, vincente & triumphante Diſſertatio, tribus libris comprehenſa, cum orationum appendice. Editio altera. Amſtelod. apud Engelb. Solmans 1700. 4.

Philoſophus autodidactus, ſive Epiſtola Abi Jaafar, Ebn Tophail de Hai Ebn Yokdhan, in qua oſtenditur, quomodo ex inferiorum contemplatione adſuperiorum notitiam ratio humana aſcendere poſſit. Ex Arabica in Latinam linguam verſa ab Eduardo Pocockio. Editio ſecunda priori emendatior. Oxonii, e theatr. Sheldon, 1700. 4.

Græcorum recentiorum ſententia cum Græcorum veterum placitis brevis collatio, auctore Bened. Pitteto. Amſtel. apud Dan. Pain, 1700. 8.

* * * * * * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Maji, Anno M DCC.

JOHANNIS WALLIS, S. T. D. GEOMETRIÆ PROFESSORIS Saviliani, Operum Mathematicorum Volumen III.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, anno 1699, in folio. Conſtat Alphabet. 13, plagulis 3, figurarum foliis 3.

Quatuor anni elapſi ſunt, ex quo *Operum Mathematicorum* Venerandi *Autoris* hujus, quem merito ſuo inter ſummos ævi noſtri Mathematicos collocamus, *priores* duos tomos recenſuimus. Succedit his jam *tertius*, ſed quod de prioribus etiam illis tum temporis pronunciavimus, bonam partem libros, vel a nobis jamdum recenſitos, vel ante primordia inſtituti noſtri natos, ſaltim ad nos huc usque non perlatos, complexus.

Ad illos ſpectant *Ptolemai Harmonica;* libellus *Ariſtarchi Samii, de magnitudinibus & diſtantiis Solis & Lunæ,* cum *fragmento ſecundi libri collectionum mathematicarum Pappi Alexandrini:* de quibus *Actorum anno 1683, pag. 77; & Supplementorum Tomo I, Sect. XI,* p. 567 retulimus.

Horum primus eſt *Archimedis Arenarius*, & *Dimenſio Circuli*, cum *Eutocii* in hanc *commentario;* quos Græce (a mendis opera longe maxima emaculatos) & Latine anno 1676 publico dedit, notisque illuſtravit celeberrimus *Editor.* Sequuntur miſcellanea varia, non tam mathematica opera, *Autoris* judicio, dicenda, quam viris etiam mathematicis non ingrata futura. Inter hæc ordinem ducit tractatus *de Loquela* Grammatico-Phyſicus, anno 1683 primum editus: quo omnium loquelarium ſonorum mechanica traditur formatio, hoc eſt, quo ſitu, motuque organorum lo-

Digitized by Google

quendi quisque ſonus proferatur; ipſaque adeo tota loquendi œconomia explicatur, cujus ope *Walliſius* noſter aliquot plane ſurdos diſtincte loqui docuit. Jungitur huic *Grammatica linguæ Anglicanæ*, ſimul tunc temporis; & *Inſtitutio Logica*, anno 1687, primum edita. Qua poſteriori Illuſtris *Autor* exercitium Logicæ, ex ſcholarum litigiis, ad uſus vitæ communes tranſtulit: ut tirones videant, non id Logicæ munus eſſe, ut de terminis Logicis in ſchola litigare poſſint; ſed ut inde rectum rationis uſum, in arguendis, judicandis, riteque diſponendis, pro re nata, conceptibus mentis diſcant; & ſyllogiſmorum leges ſtrictiſſimis legibus mathematicis ita fundatas, ut conſequentias habeant irrefragabiles, detegendisque offuciis & fallaciis accommodatas. Sequuntur hanc diſſertationes tres congeneris argumenti: una, *de propoſitionibus ſingularibus, in diſpoſitione ſyllogiſtica ſemper vim univerſalis propoſitionis habentibus*; altera, *de ſyllogiſmis hypotheticis, aliisve compoſitis, ad Ariſtotelicos categoricorum modos referendis*; tertia, *de quantitate a re quanta realiter non diverſa*: quibus rectificare *Autor* ſtuduit quædam παροράματα, a plerisque Logicis ſcriptoribus admiſſa. Excipit has concio *de mentis ſobrietate*, ad ſtudioſos parænetica; *Expoſitio curſoria epiſtolæ Paulinæ ad Titum; quæſtiones Theologicæ*, in Comitiorum veſperiis Oxonii anno 1654 ventilatæ: *an Electio divina dependeat ex prævisione liberi actus creaturæ? an poteſtas Miniſtri Evangelici ad unius tantum Eccleſiæ particularis membra extendatur?* quarum negativam, hic expoſitam & confirmatam, in conflictu *Autor*, reſpondentis munere tum functus, tuitus eſt; *Concio ſuper 1. Cor. 15, 20*, pro aſtruenda reſurrectione mortuorum; de *Melchizedeco, Jobo, & Pſalmorum* titulis tractatus tres; totidemque conciones, *de SS. Trinitate, ſuper Job. 17, 3; Defenſio Sabbati Chriſtiani, die Dominico celebrati*, contra Sabbatarios, pro die Saturni diſputantes; *pro Pædobaptiſmo* diſſertatio, contra Anti-pædo-baptiſtæ cujusdam Epiſtolam, ad *Autorem* noſtrum ſcriptam. Horum autem tractatuum qui Anglice hactenus proſtabant, in Latinum verſos, *Tomus præſens* exhibet.

Præter hos utrosque, nunc primum in lucem prodeunt, *Porphyrii commentarius in Harmonica Ptolemæi*, & *Manuelis Bryennii Harmonica*; qui ſoli adhuc ex veteribus Græcis Muſices ſcriptoribus

ribus

Digitized by Google

ribus edendi reſtabant, e codicibus MSStis Oxonienſibus opera Celeberrimi *Autoris*, deſideriis aliquorum incitati, exſcripti; correctis non vulgari ſtudio mendis, junctaque, ad latus Græci textus, Latina verſione, & ſubnexis, ad calcem paginarum, brevibus notis, emendationem textus ut plurimum ſpectantibus. Quibus accenſenda venit concio, inter opuſcula *hujus tomi* miſcellanea relata, *de fœdere Evangelico*, *ſuper Galat.* 3, 17, ad Academiam Oxonienſem anno 1661 habita: & tandem *Collectio Epiſtolarum* continens non paucas Epiſtolas *Leibnitii* ad *Oldenburgium*, Societatis Regiæ quondam Secretarium, quarum prima ſcripta eſt 15 Julii 1674, & ultima 12 Jul. 1677; itemque cum *Walliſio* commutatas a Decembri 1695, ad Januar. 1699: quibus interſperſæ ſunt quædam *Collinii*, & binæ *Nevvtoni* Epiſtolæ ad *Oldenburgium* pro *Leibnitio*, cum hujus reſponſionibus: omnes tractantes de rebus Mathematicis. Accedit una *Walliſii* ad *Menckenium* de cryptographicis, *Leibnitii* hortatu communicantis duas Epiſtolas ænigmaticas enodatas: *Walliſiana* item nonnulla de Hyperbolæ dimenſione, de Tangentibus, de mutis ſurdisque informandis, ex Transactionibus Anglicanis huc Latine translata ſunt: & poſtremo hic prodit Epiſtola *Joh. Flamſteedii* Mathematici Regii, de parallaxi orbis annui Telluris obſervata.

Nimirum *Walliſius* cum non tantum ipſe multa præclara invenerit, & veterum deperdita obſcuratave reſtituerit explicaritque, ſæpe etiam operam dedit, ut egregiæ virorum doctorum noſtri temporis lucubrationes ab interitu vindicarentur; veluti (quemadmodum ipſe recenſet p. 635) *Brounkeri*, *Wrenni*, *Nelii*, *Hugenii*, *Mercatoris*, *Nevvtoni*, *Caſvvelli*, quibus *Horroccius* addi potuiſſet. Itaque *Leibnitium* etiam humaniſſime compellavit, ut ſuas quasdam veteres literas in Anglia repertas, ſimulque novas quæ inter ipſos tunc reciprocabantur, de rebus Mathematicis, exire pateretur. Hoc ille non ægre indulſit, & tametſi judicaret, a juvene præſertim, tot ante annis ſcripta, lima indigere; neque ipſe vel retinuiſſet apographa, vel reperiret; noluit tamen uti conceſſa emendandi mutandive poteſtate, totamque rem *Walliſii* judicio permiſit, qui ita de illis reſcripſit: *ſunt utique illæ literæ, prout mihi videtur, dignæ, ne pereant, nec inibi habetur quicquam quod te dedeceat. Nec tibi cedet dedecori, quod tam mature rebus hiſce men-*

 tem

rem adhibueris, & tanto cum judicio. Eſtque aliquando gratum (ſed & utile) videre, quomodo ſe res habuerint, dum ſub incude fuerint, necdum prorſus limata, & quibus paſſibus proceſſerint. Diſcimus hic (p. 617) primum ſpecimen Machinæ Arithmeticæ *Leibnitianæ* jam anno 1674 fuiſſe abſolutum: tum quæ jam anno 1675 monuerit de defectibus Philoſophiæ Carteſianæ, quorum nonnulla poſtea explicatius dedit in noſtris *Actis Eruditorum*; & de novo quodam genere Analyſeos, & velut calculi, etiam extra Mathematica porrecti, vid. p. 621, 633. Apparet etiam, jam anno 1676 habuiſſe *Leibnitium* ſua Dynamices novæ fundamenta, cum ait p. 633: *Ego id agere conſtitui, ubi primum otium nactus ero, ut rem omnem Mechanicam reducam ad puram Geometriam; problemataque circa Elateria, & Aquas, & Pendula, & Projecta, & Solidorum Reſiſtentiam, & Frictiones, &c. definiam; quæ hactenus attigit nemo. Credo autem rem omnem nunc eſſe in poteſtate, ex quo circa regulas motuum mihi penitus perfectis demonſtrationibus ſatiſfeci, neque quicquam amplius in eo genere deſidero. Tota autem res, quod mireris, pendet ex Axiomate Metaphyſico pulcherrimo, quod non minoris eſt momenti circa motum, quam hoc, totum eſſe majus ſua parte, circa magnitudinem.* Hæc *Leibnitius* ad *Oldenburgium*. Axioma arbitramur eſſe id, cujus mentionem poſtea in *Actis* noſtris fecit, nempe cauſam plenam effectui integro æquipollere; uti totum omnibus partibus ſimul æquatur. In *Nevvtonianis* multa ſunt egregia de ſeriebus infinitis. Habetur & p. 630 dimenſio lineæ Ciſſoidis a *Nevvtono* data, ex ſuppoſita Hyperbolæ Quadratura: & fundamentum Calculi Differentialis a *Leibnitio* expoſitum p. 648, in literis ad *Oldenburgium* cum *Nevvtono* communicandis, qui teſtatus erat ſe quædam cognata habere; relatum hic occaſione *Nevvtonianæ* methodi, ducendi lineam per data puncta. Et notabile quoque eſt, quod *Huddenius Leibnitio* dixerat, (p. 650) poſſe ſe curvam deſcribere analyticam, ſeu certa æquatione uniformi conſtantem, quæ faciei hominis cujusdam noti lineamenta deſignet. In ipſis quoque *Walliſianis* multa ad Analyſin egregia habentur, ex quibus eminet Epiſtola 30 Jul. 1697 ſcripta, recenſens varias methodos interioris Geometriæ; una cum reſponſione ad eam *Leibnitii* 28 Septemb. 1697; ubi etiam de conſenſu medii Arithmetici, motus compo-

ſiti,

Digitized by Google

ſiti, ac Centri gravitatis; & promotione Centrobarycorum. Plurima paſſim inſperguntur notatu digna, ſed indicare nunc ſolum placet pro Hiſtoria Literaria, obſervante *Wallſio* ex *MSto Oxonienſi* Bibliothecæ *Saviliana* a ſe illato, *Cardinalem de Cuſa* (quod nomen ei datum a patria in Diœceſi Trevirenſi) & poſt eum *Carolum Bovillum*, jam conſideraſſe lineam, quam hodie *Cycloidem* appellamus. Vid. p. 655, 677. *Leibnitius Walliſium* aliquoties hortatus eſt ad aliqua edenda, quibus Ars Cryptolytica augeretur; unde permoveri ſeſe paſſus eſt, ut ſpecimen inſigne daret p. 659, ſeqq. ſed ſuppreſſa indagatione. Itaque eum porro rogat *Leibnitius*, ut licet res certis Artis præceptis comprehendi non poſſit, ipſa tamen inquiſitionis veſtigia in exemplis exhibeat; id enim ſufficere ad lucem aliis præbendam. Tandem Epiſtola Clariſſ. *Flamſteedii* ad *Walliſium* ſcripta 20 Decemb. 1698 collectionem claudit, qua narrat, quomodo per obſervationes ſtellæ Polaris & Sirii, in obſervatorio Regio Grenovicenſi per ſeptem annos continuos factas, tandem deprehenderit, orbis annui parallaxin eſſe ſenſibilem, & quod apparens diameter circuli, quem circa polum deſcribit ea ſtella, major ſit menſibus Septembri & Majo, quam in menſe Decembri, uno minuto circiter. Sed omnia clarius apparitura eſſe edito Catalogo Fixarum, quem præ manibus habeat, & cui ſuppetias expectet; quas ut quamprimum pro nobiliſſimæ ſcientiæ incremento obtineat Vir egregius, ex animo optamus. Quemadmodum & *inclyto Walliſio* vires precamur, ut quartum adhuc Tomum abſolvere, iisque Cryptolyticas indagationes ſane admirandas inſerere poſſit. Subjicimus quosdam errores, in nominibus propriis potiſſimum aliisque nonnullis locis, a deſcriptore Epiſtolarum antiquarum *Leibnitianarum* commiſſos. P. 617, Ep. 2, §. exemplum, pro *laſſam*, lege *Laſſavi*. P. 619, Ep. 4, §. ais, pro *Parium*. l. *Parrium*. P. 620, ead. Epiſt. §. Robervallius, pro *Gererius*. l. *Percrius*. P. eadem, Ep. 5. §. Elementa Robervalliana, pro *Brotius*. l. *Buotius*. Ibid. §. Elementa Mathematica, pro *eritve*, l. *egitve*. P. 621, ead. Epiſt. §. Carteſianis, pro *ſi intelligi poſſit*, l. *ſive intelligi poſſit*. Ibid. §. ſed ut tibi, pro *non invenio*, l. *non multum invenio*. Ibid. pro *longe alias*, l. *longe aliter*. Ibid. pro *inſtituti patebit*, l. *inſpicienti patebit*. P. 622, ibid. pro *recepiſſe*, l. *reperiſſe*. P. 633, ep. 7, fin. pro *Tabellione*, l. *Tabellario*.

Digitized by Google

Videtur & p. 649, Ep. 10, aliquid mendi eſſe in calculo, præſertim §. ſit jam; ſed id corrigere non vacavit, & poſt methodum *Leibnitianam* hodie clarius expoſitam, ab unoquoque ejus intelligente poterit defectus ſuppleri.

G. G. L. RESPONSIO AD DN. NIC. FATII DUILLERII IMPUTAtiones. Acceſſit nova Artis Analyticæ promotio ſpecimine indicata; dum Deſignatione per Numeros aſſumtitios loco literarum, Algebra ex Combinatoria Arte lucem capit.

Cum ad me perveniſſet tractatio Domini Nicolai Fatii Duillierii de Curva breviſſimi deſcenſus, Solidoque minimam (in medio) reſiſtentiam habente, nuper Londini edita; miratus ſum non mediocriter, Virum a me nunquam læſum animi tam male erga me affecti indicia dare. Dubitavi an quicquam reponerem, cum ſemper fuerim a litibus literariis alieniſſimus, putarimque unum eſſe honeſtum certamen inter eruditos, imo inter probos, ſi contendant non verbis, ſed rerum argumentis, uter melius poſſit mereri de re publica. Veritus tamen ſum, ne ſilentium meum in contemtum ſui traheret Vir certe minime contemnendus: deinde publice intereſſe judicavi, moderationis potius quam animi exacerbati ſpecimen dari. Occaſione etiam oblata admonendos putavi viros doctos, ut pravus ille mos ſeſe invicem impetendi dictis mordacibus, qui literas literarumque cultores infamat, paulatim antiquetur. Idque conſilium meum Inclytæ Societati Regiæ Anglicanæ, cujus ſe membrum in ipſo libri titulo profitetur Dominus Duillierius, & in qua idem honor mihi tanto ante fuit delatus, placiturum credidi: nulla enim bene conſtituta Societas probat Socium, præſertim inter ſeniores numeratum, nec ſuo loco habitum indignum, ab alio Socio indigne haberi. Itaque quando factum fieri infectum nequit, ſperavi impoſterum autoritatem Societatis laudatiſſimæ, ſaltem inter ſuos, huic malo obicem ponere poſſe, & laudabile exemplum deinde etiam apud alios pro efficaci ad æquanimitatem exhortatione futurum. Neque eam ſpem irritam eſſe, ex literis Dni. Secretarii Societatis ad amicum ſcriptis intellexi.

Fortaſſe erunt qui ſuſpicabuntur, factum a me aliquid, quo jure irritaretur Dominus Duillierius. Equidem ſi quid tale per incogi-

gitantiam excidiſſet, tantum admonitione opus erat: eo enim animo ſum, ut fuerim emendaturus ultro. Sed ipſa Viri verba oſtendunt, nihil aliud habere, quo ſe læſum putet, quam quod non fuit nominatus inter eos, a quibus ſolutio problematis de linea breviſſimi deſcenſus a Domino Johanne Bernoullio propoſiti data fuit; aut qui ſimilis argumenti ſpeciminibus effecerant, ut judicari poſſet, facile daturos fuiſſe, ſi animum illuc adjeciſſent. Sed qui potuit nominari, cum ipſe ſcribere ſuſtineat, ſe non fuiſſe *dignatum* edere aliquid eorum, quæ in hoc inquiſitionis genere habebat. Ita enim loquitur pag. 5: *Ejusmodi problemata, quamvis a me non ſemel ſoluta, verbi gratia circa catenariam, velariam, barumque linearum identitatem, curvam deſcenſus æquabilis &c. magnopere ſemper averſatus ſum, neque ſolutiones meas publicis ſcriptis unquam dignatus ſum exponere.* Nobis ergo ignoſcenda fuit noſtra de progreſſibus ejus ignorantia.

Videtur deinde publicam cauſam agere velle, accuſatque (dicta pag. 5) nos affectati Principatus in Mathematicis, & tantum non Oſtraciſmum nobis minatur. Sed hic profecto poſſem Apologia ſuperſedere, & judicium lectoribus committere, cum non unus ex viris præclaris, nuperque doctiſſimus Dominus Johannes Chriſtophorus Sturmius, publice modeſtiam meam commendarit: tantum intereſt, quo res animo ſpectentur, tranquillo, an fluctibus quibusdam agitato. Sed argumenta tamen videamus, quibus reus peragor. Duo affert: primum proponendorum problematum, quam vocat luxuriem; deinde exiſtimationis atque ordinis, velut ex ſolio Mathematico, ſingulis Geometris factam diſtributionem. Utrique ſatisfaciam, non tam mea cauſa, quam utilitatis publicæ, ne mos problemata pulchra vel utilia proponendi, & eos, qui labores ſuos præclaros impertiti ſunt, publice laudandi, ſub odioſis nominibus traducatur.

Itaque quod primum attinet, conſtat iis, quibus nota eſt Hiſtoria noſtri temporis literaria, magnam incrementorum ſcientiæ partem problematum propoſitioni deberi: idemque in futurum licet augurari, ſi ſcilicet problemata nondum ſint in poteſtate receptæ analyſeos. Ita enim diſcitur, quæ *deſiderata* ad perfectionem artis ſuperſint, ſimulque ingenia ad *augmenta ſcientiarum* animan-

mantur. Certe ut olim Cycloidem, ita nuper Catenariam plurimum profuiſſe conſtat. Neque ego Catenariam ipſe delegi, ſed ab alio mihi propoſitam & confeſtim ſolvi, & propoſui aliis porro. Nec Dominus Johannes Bernoullius in ſuo problemate lineæ breviſſimi deſcenſus diu laboravit: nempe non caſui, ſed methodo ſucceſſum debuimus.

Alterum accuſationis caput non aliud habet fundamentum, quam quod ſolitus ſum ſtudioſe commemorare merita inſignium virorum in eo argumento quod tracto. Hoc Dominus Duillierius vocat ex ſolio mathematico exiſtimationis atque ordinis diſtributionem: ſed qui amant Hiſtoriam literariam, non aſpernabuntur meam diligentiam ſuum cuique tribuentis: & qui laude digna facere ſtudent, probabunt meritis laudes rependi. Cæterum cum notavi, non niſi ab iis datam ſolutionem curvæ breviſſimi deſcenſus, qui noſtrum calculum aut ei ſimilem tractare norunt, an quicquam dixi falſum? Intereſt ſcilicet eorum, qui ad ſcientiam non vulgarem aſpirant, ut ſciant, qua quidque via pateat. Cumque addidi, quosdam egregios viros idem præſtituros fuiſſe, ſi huc animum adhibuiſſent, nunquam credidiſſem, mente mea in contrarium verſa, quod æquitatis erat, ſuperbiæ adſcriptum iri. Nec tamen omnes (fateor) nominavi, a quibus talia (præſertim poſt noſtra tunc jam edita) exſpectare licuiſſet. Poteram exempli cauſa inſignis rerum difficillimarum enodatoris Walliſii, ut alias, mentionem facere, cui multum omnes debemus. Poteram & ab Hookio & Halæo (poſt viſam unius Theoriam Elaſticam, alterius Ratiocinationem de atmosphæræ expanſione) ſed & a Dn. Craigio in his non parum progreſſo aliquid pulchrum ſperare. Sed ſi quis hic ſe jure poſſet queri præteritum, profecto eſſet non Duillierius, ſed Romerus, Danicæ in re Mathematica laudis conſervator, cujus pulchra interioris Geometriæ ſpecimina tunc, cum ambo Pariſiis verſaremur, pene ſupra illius temporis captum erant, & quem ab eo tempore multa inveniſſe digniſſima, credi par eſt. Hunc quis dubitet egregium aliquid fuiſſe præſtiturum, ſi ad problemata noſtra animum appuliſſet? Ut de Nobiliſſimo Dno de Tſchirnhaus nunc nihil dicam, a quo maxima quæque expectanda ſæpe ſum profeſſus, nec de Domino La Hire, qui utiliter id inter alia agit, ut ſua

ſua alienaque per vias novas inventa ad morem veterum demonſtret, nec de Domino Varignonio, qui & ipſe in his non vulgaria præſtitit. Sed nec omnes contemnuntur, a quibus iſta non exſpectantur: cum ſint qui omnia alia agunt, non minus ingenioſa & egregia, alia tamen. Cæterum nuſpiam dixi, ſolos potuiſſe problema ſolvere, quorum mentionem nominatim feci; ſed tantum ſolos, quibus noſtri calculi myſteria patuerint (quibus ſe computat Dn. Duillierius) ex quibus quosdam præ cæteris honoris cauſa & meritorum hujus generis extantiorum nominavi.

Interea vel nunc apparet, quam utile ſit laudare bene meritos, ut alii quoque ad bene merendum invitentur: & Dominus Duillierius medias inter querelas, Apologiam ipſe meam non animadvertens ſcribit, dum ſcilicet præteritus hoc ipſo ſe ſtimulo excitatum tandem fatetur: *cum videamus* (inquit pag. 4) *ſilentium noſtrum in nos verti* (id eſt, ſua publico impertiri nolentem ob ignota merita non laudari) *quod hac in re præſtitimus*, *exponemus.* Recte atque ordine. Si qua igitur in hoc genere præclara producet, hanc ex aliqua parte mihi (qui ſilendo ne ſileret admonui) debebit ipſe gloriam, Reſpublica fructum. Vellem tamen verſari jam tum maluiſſet in re non præoccupata, & perpendiſſet attentius, edita circa problemata breviſſimi deſcenſus. Ita enim non habuiſſet, cur quereretur, ex Nevvtoniana conſtructione ſolidi minimum medio reſiſtentis nullam ſibi lucem affulgere, ſed viam vidiſſet eodem perveniendi, quemadmodum Dominus Marchio Hoſpitalius & Dn. Joh. Bernoullius præclare oſtenderunt, qui etiam optime animadverterunt, quod ipſe Dominus Duillierius credit, proprietatem Nevvtonianam eſſe perplexiorem, ſuam vero ex conſideratione oſculi vel radii curvitatis ſimpliciorem, id contra eſſe; cum illa conſtructionem per quadraturam hyperbolæ vel logarithmos facile præbeat, hæc vero a differentio-differentialibus pendeat, quæ ſunt, ut nos loquimur, tranſcendentia ſecundi gradus: quod perinde eſt, ac ſi quis problema planum ad ſectiones Conicas, immo altiores referat. Quod ſi det impoſterum Dn. Duillierius, quæ novam lucem præbeant, habebit nos candidos laudum ſuarum deprædicatores. Interim mei mentionem faciens aliis, inquit, diſcipulis glorietur, me certe non poteſt. (pag. 18.) Ex his, qui

Digitized by Google

me non aliunde noverit, hominem valde glorioſum, & valde quidem inepte glorioſum putabit. Ego vero contrario ambitionis genere libenter ipſius me Domini Duillierii diſcipulum gloriarer, id eſt, valde vellem aliquid præclari ab eo doceri; quamvis ille ſe nihil a me didiciſſe prædicet: quod vereor ne in nonnullis paulo ſit verius, quam ipſius interfuiſſet, uti vel hic ipſe libellus ejus oſtendit. Nam niſi noſtra quædam ſpreta prætervidiſſet, animadverſioni prædictæ non fuiſſet locus.

Ait jam anno 1687 proprio ſe Marte inveniſſe fundamenta universa & pleraſque regulas calculi quem nos differentialem vocamus. Credamus ita eſſe, (ſaltem pro parte, nam ne nunc quidem omnia hujus calculi fundamenta ipſi ſatis nota putem; etſi ea fiducia, tanquam cuncta jam effuderimus, promptior ad provocandum factus fuiſſe videatur) jam manifeſtariam tenemus cauſam animi a me alienioris, quam fortaſſe ipſe non ſatis animadvertit: uti in verſu eſt, non amo te, nec poſſum dicere quare. Neque enim mirum eſt odiſſe pronam, quam vocat (pag. 18) ſedulitatem meam, qua mea ejusdem calculi elementa triennio ante, quam ipſi ſuccurrerent, edens, quas ſe meruiſſe putavit laudes, innocenter præoccupavi; quemadmodum quidam Veterum dicebat: pereant qui ante nos noſtra dixere. Ego nihil malignum ipſi imputo, ſed ea tamen eſt naturæ humanæ infirmitas, ut mirandum potius cenſerem, ſi juvenis tunc quidem, & ad præclara tendens, gloriæque cupidus, his ſtimulis non ceſſiſſet. Pauci ad tantam virtutem perveniunt, ut noxiam ſibi virtutem alterius amare poſſint; quanto minus, ſi (ut ipſe de me) ſuſpiciones ſibi fingant (uti certe ſuſpicax eſt averſus animus) non recta via ſed obliquis artibus alium ad laudem eſſe graſſatum. Libenter enim affectum, quo nudo nobis ipſi diſpliceremus, juſtitiæ zelo velamus. Ego vero, quanto magis intelligo hos animorum receſſus, eo minus aliquid humani paſſo iraſcor. Interim minus (credo) feſtinationem meam culpabit, ubi intelliget, ex Horatii præcepto nonum in annum & amplius me meditata preſſiſſe, nec eum aliqua edidi anno 1684, vel gloriam vel invidiam expectaſſe, id fere tunc agentem, ut amicis meis Actorum Lipſienſium curatoribus ſatisfacerem, qui aliquid a me ſubinde poſtulabant: rei famam caſus deinde potius dedit, quam ratio aut ſtudium meum.

Hacte-

Digitized by Google

Hactenus Dominus Duillierius vel ſuam vel publicam, ut putabat, rem egit: nunc vero cum eminentis Geometræ Iſaaci Nevvtoni aliorumque etiam cauſam, tanquam contra me ſuſcipit; ignoſcet mihi, ſi non ad omnia reſpondeo, donec mandatum procuratorium tum a cæteris tum maxime a Domino Nevvtono oſtendat, cum quo nulla mihi ſimultas fuit. Certe Vir egregius aliquoties locutus amicis meis ſemper bene de me ſentire viſus eſt, neque unquam, quod ſciam, querelas jecit: publice autem ita mecum egit, ut iniquus ſim, ſi querar. Ego vero libenter ejus ingentia merita oblatis occaſionibus prædicavi, & ipſe ſcit unus omnium optime, ſatiſque indicavit publice, cum ſua Mathematica Naturæ Principia publicaret anno 1687, nova quædam inventa Geometrica, quæ ipſi communia mecum fuere, neutrum luci ab altero acceptæ, ſed meditationibus quemque ſuis debere, & a me jam decennio ante expoſita fuiſſe. Certe cum Elementa calculi mea edidi anno 1684, ne conſtabat quidem mihi aliud de inventis ejus in hoc genere, quam quod ipſe olim ſignificaverat in literis, poſſe ſe tangentes invenire non ſublatis irrationalibus, quod Hugenius quoque ſe poſſe mihi ſignificavit poſtea, etſi cæterorum iſtius calculi adhuc expers: ſed majora multo conſecutum Nevvtonum, viſo demum libro Principiorum ejus ſatis intellexi. Calculum tamen differentiali tam ſimilem ab eo exerceri, non ante didicimus, quam cum non ita pridem magni Geometræ Johannis Walliſii operum volumina primum & ſecundum prodiere, Hugeniusque curioſitati meæ favens locum inde deſcriptum ad Nevvtonum pertinentem mihi mature transmiſit. Cæterum etſi poſt tanta jam beneficia in publicum collata, iniquum ſit aliquid a Domino Nevvtono exigere, quod novum quærendi laborem poſtulet, non poſſum tamen mihi temperare, quin hac oblata occaſione maximi ingenii Mathematicum publice rogem, ut memor humanorum caſuum, & communis utilitatis, diutius ne premat præclaras reliquas ac jam paratas meditationes ſuas, quibus cum ſcientias mathematicas, tum præſertim naturæ arcana porro illuſtrare poteſt. Quod ſi nulla movet tantarum gloria rerum (quanquam vix quicquam ei, quam nactus eſt, addi poſſit) illud ſaltem cogitet, generoſum animum nihil magis ad ſe pertinere putare, quam ut optime de humano genere mereatur.

Cc 2 Unum

Unum tantum ſupereſt, in quo video Apologia aliqua mihi eſſe opus. Cum Dominus Johannes Bernoullius programma, quo invitabantur Geometræ ad quærendam lineam breviſſimi deſcenſus, ſpeciatim ad Dominum Nevvtonum miſiſſet, ſparſæ ſunt voces in Anglia, Nevvtonum a me fuiſſe provocatum: eaque ſententia etiam Domini Duillierii eſſe videtur, tanquam ego ſuaſor mittendi atque impulſor fuerim. Sed inſcio plane me factum, ipſe Dominus Bernoullius teſtabitur. Quod ſi Domino Duillierio credimus, ægre illud tuliſſe Nevvtonum, (uti certe fatendum, immunitatem ei ab hoc laboris genere pleniſſimam deberi) ſaltem, ut ſpero, me non ægre nunc abſolvet. Itaque nec ad me pertinet, quod queri videtur Dominus Duillierius, invitationem nullam ad ſe perveniſſe, cum ait pag. 4, ſe quoque ſi qua invitatione ſi dignus viſus fuiſſet literis, ſuas dudum ſolutiones fuiſſe exhibiturum. Sed habet nunc quoque campum in quo ſe exerceat, & vero ſi propriis meditationibus tantum ſe profeciſſe perſuaſum cupit omnibus, problemata aggredi poteſt Domini Johannis Bernoullii, de quibus poſt editas jam ſolutiones curvæ breviſſimi deſcenſus in Actis Eruditorum Diarioque Gallico (vid. Journal des Scavans, A. 1697, pag. 395, edit. Paris.) facta mentio eſt, ſed ita, quemadmodum nondum extant ſolutiones: ut ſcilicet pro Parabolis vel pro Ellipſibus ordinatim datis, quarum mentio fit in Diario Gallico loco dicto, intelligantur curvæ quæcunque ordinatim datæ, etiam quæ non ſint ſimiles inter ſe, & ſolutio detur ſaltem ex ſuppoſitis quadraturis: cum in iſta inquiſitione ſit adhuc aliquid, quod noſtra etiam edita tenentem morari poſſit. Quale etiam eſt problema a Domino Joh. Bernoullio propoſitum in Actis Erud. Lipſ. Maji 1697, p. 211, invenire curvam aut ſaltem proprietatem tangentium curvæ, quæ curvas etiam tranſcendentes ordinatim datas ſecet ad angulos rectos. Nam ſi ea tantum producit quorum jam datæ ſunt a nobis methodi, ſatis intelligit, quantum proprio Marte conſequi potuerit, hinc non probari. Si quid in Phyſicis Theoriæ Gravitatis Nevvtonianæ adjecit, uti quidem pag. 18 inſinuat, pariet hoc ipſi alterius generis laudem.

Quod alios quosdam attinet, de quibus me pariter ac de ſe non bene meritum ait Dominus Duillierius pag. 19, nihil ad-

derem

Digitized by Google

derem (cum neminem de me querentem norim) niſi ſpeciatim de Theorematibus quibusdam Domini Moyvræi circa ſeries infinitas mentionem injeciſſet. Equidem talia hunc edidiſſe Theoremata ignorabam, donec nuper amicus ex Anglia redux ſecum attulit volumen poſtremum Transactorum Philoſophicorum. Memini cum alios, tum Dominum Nevvtonum & me quoque, in iſtis ſeriebus ante multos annos verſari, ut in iis hoſpes Domino Duillierio videri non debeam. Interim Domino Moyvræo gratias agendas, quod hunc laborem perutilem & valde ingenioſum velut pro derelicto habitum in ſe ſuſcepit, rogandumque etiam cenſeo, ut in eo genere pergat, ubi multa adhuc reſtant. Diu enim eſt, quod complura Theoremata ampla ſatis ipſe, tam pro *finitis* ſed *indefinitis*, quam pro *infinitis* formulis fabricans conſideravi, ſi proſequerentur hoc ſtudium, qui poſſunt & intelligunt, habituros nos quasdam *Canonum* utiliſſimorum velut *tabulas*, præſtituras *in analyticis* aliquid illis uſibus ſimile, quos in Geometria practica tabulæ ſinuum aliorumve numerorum præbent: ſcilicet ut calculos ſemel factos non ſemper repetere neceſſe ſit, uti defectu Canonum quotidie facimus. Sic optarem haberi generales Canones pro ſublatione irrationalium, itemque pro inventione maximi communis diviſoris ac ſublatione literarum, reductioneque æquationum plurium plures incognitas habentium ad pauciores incognitarum pauciorum, ac denique ad unam unius.

Sed hæc nihil habent commune aut ſimile cum illis Methodis noſtris, quibus problemata catenariæ, aut lineæ breviſſimi deſcenſus, aliaque id genus interioris Geometriæ ſolvimus; ut adeo non poſſim in animum inducere meum, ipſi Domino Moyvræo videri injurioſum, quod nulla ipſius mentio facta eſt, cum de hujusmodi problematibus ageretur, quod tamen Dominus Duillierius inſinuat; qui cum me ignarum in illo ſolio Mathematico collocaſſet, unde, ſi Diis placet, exiſtimationem ſingulis Geometris diſtribuo, hæc pag. 19. ſubjicit: *ſed ignoſcendum viro, ſi minus de me aliisque, ſaltem de Mathematicis rebus optime merito: aliis dico, qua enim æquitate, ut cæteros taceam, lineæ breviſſimi deſcenſus inventio, ſubtilis quidem illa & egregia, opponetur eximiis illis Theorematis uſus prorſus infiniti, quæ Dominus de Moyvre in Transactionibus Philoſophicis*

communicavit? Equidem credo nemini præter Dominum Duillierium in mentem veniſſe, ut opponat inter ſe res toto adeo cœlo diverſas. Interim conſiderandum relinquo, qua ipſe æquitate diſſimulet, aut qua animi præventione obliviſcatur, non hic de problemate aliquo particulari lineæ breviſſimi deſcenſus, ſed de Methodo ſummi momenti valdeque diffuſa circa maxima & minima fuiſſe actum: quam ante Dominum Nevvtonum & me nullus, quod ſciam, Geometra habuit; uti ante hunc maximi nominis Geometram nemo ſpecimine publice dato ſe habere probavit; ante Dominos Bernoullios & me nullus communicavit: cum tamen conſtet, eſſe Methodi de maximis & minimis partem ſublimiorem, & in applicatione Geometriæ ad Mechanicen naturamque ſumme utilem, cum ex omnibus figuris poſſibilibus eligitur ad aliquid præſtandum aptiſſima. Magnum ſane Geometram Huddenium de his jam cogitaſſe apparet; ſed quid conſecutus ſit, non conſtat. Hugenius certe (quamvis & ipſe in Geometria ante detectum a me Calculum recepta ſummus) tamen narrante Domino Duillierio, tale quid fruſtra tentavit: haud dubie quod nondum tunc ſatis uſum noſtrarum artium perſpexiſſet, quem ubi tandem agnovit, mire illis & Methodis, & (quæ Dominus Duillierius adeo averſatur) problematis, eſt delectatus, candideque faſſus, publice ac privatim, jam apertum ad illa aditum, quæ alia ratione vix ſperari poſſe videbantur.

Poſtremo ne vacua ſit hæc Apologia, occaſione Theorematis Moyvreani noſtrum infinities generalius ſubjicere placet; adhibendo *novum deſignationis genus*, cujus magnum in re analytica & combinatoria uſum reperimus, de quo alias fuſius. Nempe modum damus extrahendi radicem ſeu valorem quantitatis cujuscunque ut Z, ex æquatione generaliſſime determinante ipſam Z, per aliam quamcunque, Y. Nempe æquatio data generaliſſima relationis Z ad Y ſic exprimetur, $0 = (01 Y + 02 Y^2 + 03 Y^3 \&c) + (-10 + 11 Y + 12 Y^2 + 13 Y^3 \&c) Z^1 + (20 + 21 Y + 22 Y^2 + 23 Y^3 \&c) Z^2 +$ &c. Ubi ob Calculi commoditatem, ut valores quæſitorum fiant affirmativi, ideo ipſi 10 præfiximus ſignum -. Quæritur jam valor

valor ipſius Z, ſeu quæritur, in æquatione $Z = 101\,Y + 102\,Y^{2} + 103\,Y^{3} + 104\,Y^{4} + 105\,Y^{5} +$ &c, qui ſint valores *numerorum* quæſitorum *aſſumtitiorum* 101, 102, 103, &c. (quos *majuſculos* hic vocabimus) per numeros aſſumtitios æquationis datæ, (quos vocabimus *minuſculos*) nempe per ipſos 01, 02, 03, &c. 10, 11, 12, &c. 20, 21, 23, &c; &c. Dico fore $101 = 01 : 10$. Et $102 = 02 + 11.101 + 20.101^{2}, : 10$. Et $103 = 03 + 11.102 + 12.101 + (2)\,20.101.102 + 21.101^{2} + 30.103^{3}, : 10$. Et $104 = 04 + 11.103 + 12.102 + 13.101 + (2)\,20.101.103 + (2)\,21.101.102 + 22.101^{2} + (3)\,30.101^{2}.102 + 31.101^{3} + 40.101^{4}, : 10$. Eodemque modo habebuntur 105, 106, &c. hac *regula generali*, ut denominator cujusque valoris ſit 10, numerator vero conſtet ex omnibus membris poſſibilibus in unum additis *lege combinationis* ſequenti formatis & multiplicatis reſpective per *numeros tranſpoſitionum* formæ, in membro ex majusculis conflatæ convenientes, qui *numeri* ſunt *veri*, parenthesibus incluſi. Porro in Minuſculis ut 01, 02, 03, 10, 11, 12, 20, 21, 22, &c nota prior ſignificat ad quam potentiam ipſius Z, nota poſterior ad quam potentiam ipſius Y, numerus minuſculus pertineat in æquatione data. In Majuſculis (ut 101, 102, 103, &c) nota prima, (hoc loco 1) nihil aliud eſt quam nota majuſculi; nota vero ultima indicat ad quam Majuſculus pertineat potentiam ipſius Y in æquatione quæſita ſeu valore ipſius Z. Jam *Lex Combinationis* hæc eſt: notæ ultimæ *numerorum ſuppoſititiorum* vel aſſumtitiorum membri cujusque formanto eandem ſummam, æqualem notæ ultimæ majuſculi cujus membra ingrediuntur valorem: & in membro quolibet minuſculus non eſto niſi unicus, majuſculi autem tot, quot nota prior in minuſculo habet unitates: ita ſimul omnia cujusque valoris membra poſſibilia determinantur. Ex hoc jam theoremate habetur non tantum extractio radicis definitæ ex æquatione unius incognitæ finita vel infinita; ſed etiam valor indefinitus, qualis exempli gratia deſideratur, cum quæritur valor generalis ordinatæ ad Curvam aliquam ſive Algebraicam ſive tranſcendentem. Theorema vero Dni Moyvræi hujus noſtri eſt caſus ſpecialis qui prodit, ſi omnes minuſculi ſint æquales nihilo, præter ſolos primi ordinis,

Digitized by Google

dinis, 01,02,03, &c. & 10,20,30 &c. ita ut ſolis curvis applicari id poſſit, in quarum æquatione duæ coordinatæ in ſe invicem non ducuntur. Non tamen dubitem, & ad hæc, & ad alia abſtruſiora eum pervenire potuiſſe, aut poſſe, ſi ut jam rogavimus, pergere in tam utili inquiſitione velit. Videbunt autem intelligentes *novam Analyticæ promotionem* in hac noſtra *deſignatione per Numeros loco literarum*, qui adeo fictitii ſeu ſuppoſititii ſunt, contineri. Nam cum mens noſtra ſæpiſſime pro rebus cogitandis notas adhibere debeat, & *characteriſtica* ſit maximum meditandi ſubſidium, conſequens eſt, tanto utiliores eſſe notas, quanto magis exprimunt rerum relationes. Unde porro ſequitur, literas Algebraicas indiſcriminatim adhibitas non ſatis eſſe utiles, quia ob vagam generalitatem ſuam non admonent mentem relationis, quam ex prima ſuppoſitione ſua habent inter ſe invicem. Hinc ut nonnihil ſuccurramus defectui, ſolemus interdum (inprimis cum multæ adhibendæ ſunt) in ordine earum ſubſidium quærere. Sed ubi magna eſt nec ſimplex varietas, utiliſſimum reperi ad numeros recurri, cum & ipſæ literæ apud multas gentes ordine ſuo numeros ſignificent. Numeros autem intelligo fictitios, pro literis ſtantes, etſi interdum tali arte adhibere liceat, ut ſimul haberi pro veris & examen calculi novenarium vel aliud ſubire poſſint. Hæc autem deſignatio quantæ utilitatis ſit ad Canones novos, utiles, & late fuſos, cum ex præſenti theoremate judicari poteſt, tum progreſſu temporis, ubi eæ, quas opto, *Canonum Analyticorum Tabulæ* condentur, magis apparebit. Atque ita demum per Characteriſticam ex Combinatoria arte, Algebra ei ſubordinata perficitur. Combinatoriam autem (quam animo complexus ſum) ex ea, quam pene puer conſcripſi & anno 1666 edidi, (me inconſulto ante annos aliquot recuſam) nolim æſtimari; tametſi jam tum quaſdam meditationes non pœnitendas nec momenti nullius aſperſerim.

JOH. BERNOULLII, DE SOLIDO ROTUNDO MINIMÆ reſiſtentiæ, addenda iis quæ de eadem materia habentur in actis an. ſuper. Menſ. Novemb.

LÆtus intellexi meam hujus problematis ſolutionem non parum placuiſſe Eruditis, nec eos ſe melius Fatianæ ſolutionis perplexita-

xita-

Digitized by Google

xitatem agnoſcere potuiſſe, quam perſpecta demum meæ brevitate & ſimplicitate. Quandoquidem autem Conſtructionis analyſis (quam tamen in epiſtola expreſſeram) in excerptis fuerat omiſſa: eam rogatus lubentiſſime communicabo, & ne quid minimum ad plenariam hujus curvæ cognitionem deſideretur, unum alterumve annotabo.

Perveneram ad æquationem differentialem primi gradus hanc $YdY^3dX = ads^4$, quam dixi curvæ quæſitæ naturam exprimere; ut igitur ejusdem conſtructionis *rationem* detegam, ſubſtituatur valor ipſius ds, qui eſt $\sqrt{dX^2 + dY^2}$, ut habeatur $YdY^3dX = adX^4 + 2adX^2dY^2 + adY^4$; jam vero cum indeterminatarum differentiæ ſint implicatæ ad ſeparationem inſtituendam, transmutatione quadam opus eſt, quam ſæpe in intricatiſſimis caſibus feliciter adhibeo. Ponatur itaque $dX = mdY : a$ (id eſt mdY diviſum per a, qua diviſionis expreſſione exemplo Celeb. Leibnitii, ad facilitandam Typothetæ operam, nunc iterum & in poſterum utar) quo ſurrogato in æquatione, eaque poſtea diviſa per dY^4, prodibit æquatio algebraica hæc $aamY = m^4 + 2aamm + a^4$, adeoque $Y = (m^3 : aa) + 2m + (aa : m)$ & $dY = (3mmdm : aa) + 2dm - (adm : m)$ ſumtis igitur horum integralibus erit $X = (3m^4 : 4a^3) + (mm : a) - lm$. Sic igitur inventi ſunt valores coordinatarum X & Y expreſſi per duas quantitates unam tantum communem indeterminatam *m* involventes: Unde illa quam dedi in Actis reſultat conſtructio: notandum autem (quamvis ad rem ipſam parum faciat) curvam IK (vide ibid. fig II) male eſſe repræſentatam, ea enim cum recta CE non concurrit, ſed eodem fere modo quo curva HAD poſtquam aliquousque ad CE appropinquavit, ab ea iterum recedit in infinitum, & magis magisque accedit rectæ CM, quæ proinde communis eſt aſymtotos curvarum IK & DAH, hujus ad dextram, illius ad ſiniſtram communis axis CE: animadverſione dignum eſt, duas illas curvas licet diverſiſſimæ naturæ, unam quippe algebraicam, alteram transcendentem, ita tamen inter ſe conſpirare, ut ad axem ſuum communem

Dd CE

CE accedere ſimul deſinant, vel ab eo recedere ſimul incipiant, id eſt ut utriusque curvæ punctum axi CE proximum æqualiter a recta CM diſtet; ſumta enim $CE = a\sqrt{\frac{1}{3}}$ erunt & EK & EH omnium ſuarum reſpective applicatarum minimæ; & quidem minima EH erit $= \frac{16}{9} a\sqrt{3}$; & (poſito a pro unitate, ita ut $la = 0$) erit minima $EK = \frac{5}{12} a - l, a\sqrt{\frac{1}{3}}$, quæ quantitas eſt affirmans, quia logarithmus numeri unitate minoris $l, a\sqrt{\frac{1}{3}}$ eſt quantitas negativa, quæ per conſequens negata vertitur in affirmantem.

Hic ſimultaneus curvarum acceſſus proximus, rationem jam manifeſtat, cur quæ ex illis conſtruitur curva ſolidi rotundi minimæ reſiſtentiæ BN, duas habeat partes convexitates ſibi mutuo obvertentes (quo fere modo ab aſtronomis ſignum arietis vulgo pingitur) & deſinentes in acumen quod punctum *reverſionis* appellare ſoleo (point de *rebrouſſement*) diſtans a CM intervallo, quod eſt æquale minimæ applicatæ EH. Quam curvæ reverſionem eleganter etiam obſervatam video ab Illuſtriſſimo Marchione Hoſpitalio in Actis ejusdem anni menſ. Aug. quanquam ex ejus conſtruendi modo non tam manifeſte ea appareat: Interim noſtræ ſolutiones mirifice conſentiunt: nec aliud in conſtruendi modo diſcrimen eſt, quam quod Illuſtriſſimus Vir ſyntheſi magis uſus fuerit quam analyſi, utpote in animo habens proprietatem curvæ ab Acutiſſimo Nevvtono jam traditam, ad quam collineavit, ut oſtenderet ſuam æquationem (vid. pag. 356 & 357), $m^3 fv : \overline{mm + vv}^2 = n gt^3 : \overline{nn + tt}^2$, reſolvi poſſe in proportionem Nevvtonianam $4AB^2 + AC^2 : BC :: BC : MP$; loco quod ego mere analytice ſine ullius proprietatis ab alio jam præinventæ auxilio ad quæſitum pervenerim.

Cæterum coordinatæ ab Illuſtr. Viro aſſignatæ $(aa : 4Z) + \frac{1}{2}Z + (Z^3 : 4aa)$ & $(ZZ : 4a) + (3Z^4 : 16a^3) - (5a : 48) \pm CN$ ſunt ſimillimæ meis inverſo terminorum ordine $(m^3 : aa) + 2m + (aa : m)$ & $(3m^4 : 4a^3) + (mm : a) - lm$; niſi quod quantitatem conſtantem brevitatis gratia neglexerim, quippe quæ in ipſa curva nihil mutat præter ſitum: ſic ut ſecundum axem ſuum retrorſum antrorſumve ma-

gis

Digitized by Google

gis promoveatur, ea ipſa quantitate conſtante & arbitraria, quæ affirmative vel negative pro lubitu aſſumi poteſt. Præterea quod mihi in expreſſione coordinatarum eſt *a* & *m* id Illuſtr. Marchioni eſt $\frac{1}{4}a$ & $\frac{1}{4}Z$: hoc exinde venit, quod Nevvtoni proportionem $4AB^2 + AC : BC^3 :: BC : MP$ ſecutus, poſuerit $m^3 fv : \overline{mm + vv}^2 = \frac{1}{4}a$, cum tamen ſi feciſſet $AB^2 + AC : BC^3 :: BC : MP$ (quæ proportio non minus convenit curvæ, quam illa cujus primus antecedens, hujus primi quadruplus eſt, imo alius quivis multiplus æque ſatisfaceret) potuiſſet ponere ſimpliciter $m^3 fv : \overline{mm + vv}^2 = a$; quod ſi fuiſſet factum, ad meas omnino perventum fuiſſet expreſſiones, quæ quod careant *iſta inutili* ſubquadruplicitate, quodammodo ſimpliciores ſunt: profecto neſcio cur Vir Illuſtr. vel ante eum ingenioſiſſimus Nevvtonus ſumendo $4AB^2$ potius quam ſimplex AB^2 voluerint entia multiplicare præter neceſſitatem.

Quod porro attinet ad figuram curvæ, elegantiſſime eam delineatam dedit Illuſtr. Hoſpitalius (vid. ejus fig. I) ſciendum tamen eſt, utramque curvæ partem DM & DO, ab utroque axe AL & AK magis ac magis removeri diſtantia quavis data majori, quod notari velim, ne quis putet partem DO prout in ſchemate exhibetur, in infinitum continuatam non niſi ad certum intervallum ab AK diſcedere.

Angulus quem curva DM, DO in puncto reverſionis D facit cum axe conjugato AK, triens eſt anguli recti, adeoque complementum ſeu duo trientes recti erit inclinatio curvæ maxima & minima ad axem AL, nimirum maxima partis AL, minima vero partis DO: quod alicujus uſus eſſe poteſt in re nautica; quod ſi enim navis conſtrueretur ſecundum curvaturam DM, patet utique ambo proræ latera cum axe navis non poſſe majorem angulum capere quam ad ſummum 60 grad. ſi vel tantillo major eſſet, jam non facillime aquam ſulcaret, inter omnes naves quæ ejuſdem eſſent amplitudinis & longitudinis. Monendum hic eſt non tantum convexam ſuperficiem a curvæ parte DM, vel concavam a parte DO,

Digitized by Google

rotatis circa axem AL deſcriptas, minimam pati reſiſtentiam a fluido; ſed etiam perinde eſt ſi illius ſumatur ſuperficies concava & hujus convexa. Illæ enim ſuperficies ſive a P verſus A, ſive ab A verſus P moveantur, fluidum utrovis modo ſimiliter & æquali vi illis reſiſtit.

Veriſſimum eſſe deprehendo, quod Generoſus Marchio dicit, ſpatii ADMP quadraturam citra ullam ab hyperbolæ quadratura dependentiam facile reperiri: at quod idem etiam affirmet de ſolidi ab hoc ipſo ſpatio circa axem rotato deſcripti *cubatura* ſeu potius *cylindratura*, nonnihil feſtinantius pronunciavit; ſi revidere dignetur, comperiet eam citra hyperbolæ quadraturam haberi non poſſe.

In excerptis literarum mearum in fine habentur hæc verba: *Et curva æquatio traſcendens exponentialis erit &c.* ſupple *& curvæ IK* &c. Modum perveniendi ad hanc æquationem exponentialem ſeu ut mihi etiam dicitur *percurrentem* pariter rogatus hic pando:

Quoniam EK (vid. meam fig. II) ſeu CM ſeu $X = (3m^4 : 4a^3) + (nm : a)\ lm$; multiplicata per $4a^3$ & deinde reducta, habebitur $4a^3 lm = 3m^4 + 4aamm - 4a^3 X$, cujus membrum prius $4a^3 lm$ eſt quantitas logarithmica, alterum vero cum ſit quantitas ordinaria, ut pariter logarithmicæ formam induat, multiplico totam æquationem per logarithmum aliquem conſtantem qui uniformitatis literarum gratia ſit la (jam vero pro unitate alia quævis quam *a* ſumenda eſt, alias foret $la = o$) erit itaque $4a^3 la . lm = 3m^4 + 4aamm - 4a^3 X . la$; at cum æqualium logarithmorum æquales ſint numeri, ſumtis hujus æquationis quantitatibus numeralibus ſecundum geneſin & regulas logarithmorum, proveniet hæc æquatio percurrens ſeu exponentialis $m^{4a^3 la} = a^{3m^4 + 4aamm - 4a^3 X}$; prout in Actis habetur pag. 516. Si jam pro la quæ eſt quantitas determinata ponas b, æquatio libera erit a logarithmis, & referri debet in cenſum pure percurrentium, de quibus fuſius egi in Act. an. 1697. m. Martio.

Oc-

Occaſione id ferente, ingratum non erit, ſi heic oſtendero quam latum uſum habeat illa transmutandi methodus, qua ſtatim uſus ſum pro conſtructione æquationis differentialis $YdY^3dX = ads^4$ ſeu $YdY^3dX = adX^4 + 2dX^2dY^2 + adY^4$; ne quis itaque arbitretur, eam pro hoc ſpeciali exemplo tantum ſuccedere, neve temere me dixiſſe, in intricatioribus feliciter eam poſſe adhiberi: Dico, omnis æquatio differentialis in qua alterutra indeterminatarum deficit, hac methodo conſtruibilis eſt, nec refert qualicunque modo differentiales dX, dY & altera indeterminata X vel Y earumque poteſtates quot & quotæcunque inter ſe fuerint implicatæ: quo ſane neſcio an unquam generalius quid fuerit traditum in hoc abſtruſo differentialium implicatarum ſeparationis negotio, quod unicum eſt adhuc, cujus perfectio pro univerſali hujusmodi æquationum conſtructione deſideratur. Methodus, autem, de qua ſermo, ita habet: ſi ex gr. deficiat X, ponatur $dX = mdY : a$, quo ſubſtituto in æquatione propoſita loco dX, manifeſtum eſt, æquationem inde ortam diviſibilem fore per aliquam poteſtatem ipſius dY, ita ut præter quantitates ordinarias in æquatione nihil habeatur; unde inter *m* & *Y* proveniet æquatio pure algebraica, exprimens naturam alicujus curvæ pariter algebraicæ, cujus abſciſſæ Y, & ſpatia curvæ iſtis reſpondentia (ſmdY) diviſa per conſtantem *a*, dabunt coordinatas curvæ quæſitæ pro conſtructione æquationis differentialis propoſitæ. Ut rem exemplo illuſtrem, eſto hæc æquatio $Y^3dX^5 + aaYdXdY^4 = a^3dY^5$, quæritur conſtructio curvæ æquationi reſpondentis: Fiat $dX = mdY : a$, quod ſurrogetur in æquatione, & habebitur $(Y^3m^5dY^5 : a^5) + (Ym^4dY^5 : aa) = a^3dY^5$; & diviſa per $dY^5 : a^5$ proveniet æquatio algebraica $Y^3m^5 + a^3Ym^4 = a^8$: Facta itaque huic æquationi convenienter curva algebraica IK (vid. fig. meam II ex Actis citatam) in qua CM, Y; MK, m; fiat MN æqualis ſpatio CMKI diviſo per conſtantem *a*, vel ſimpliciter fiat MN ubique in ratione ſpatii CMKI, dico punctum N fore in curva optata. Alias quæ mihi

hi ſunt, regulas pro perfectione methodi tangentium inverſæ, cum ſint extra inſtitutum hic omitto, partim jam alibi datas, partim forte adhuc dandas.

HISTOIRE DES CINQ PROPOSITIONS DE Janſenius &c.

i. e.

HISTORIA QUINQUE PROPOSITIONUM JANSENII.

Leodii apud Dan. Moumal, 1699. 12. Alph. 1. pl. 6.

INter controverſias, quæ hocce ſeculo Romanis Pontificibus plurimum faceſſivere negotii, magnisque animorum motibus fuerunt agitatæ, eas, quæ Janſeniſtis interceſſerunt cum ſuis adverſariis, vel primum obtinere locum, nemo diffitebitur, niſi qui de iſtis certaminibus nihil unquam inaudivit. Celebritas, doctrina, & facundia Auctorum utrinque pugnantium, ſcriptorum ab illis editorum copia, Pontificum decreta tanta ſeveritate ſancita, tam callide rurſus eluſa, Regum maximorum in hiſce litibus fruſtra conſumpta opera, facile unicuique cupiditatem paulo accuratius horum certaminum hiſtoriam cognoſcendi injiciunt. Accedit ad hæc, ſi Auctori credimus, quod non de re quapiam levi, & quæ tuto ab omnibus ignorari queat, ſed tali, quæ maximum trahat momentum, Eccleſiæ ſcilicet ipſius infallibilitate, acriter hic fuerit diſputatum. Si enim fallantur, qui eam aſſerunt, ab idololatriæ crimine eos neutiquam poſſe liberari: nec minori tamen crimine ſe obſtringere, qui eam in dubium vocent, ſi ea Eccleſia gaudeat, cum a ſummo ſcelere parum abſit, Eccleſiam medio divinitus ad hæreſes compeſcendas illi conceſſo privare velle. Ita quidem Auctor hac de re pronuntiat, qui & vel hoc nomine ad hiſtoriam hujus controverſiæ contexendam ſe adductum profitetur, quod nemo hactenus hoc munere ea, qua par ſit, induſtria functus ſit. Ludovicum quidem de S. Amore dediſſe Diarium, in quo conſignaverit, quæ A. 1662 Romæ in cauſa Janſeniſtica acta ſint; at ſummam hujus hiſtoriæ eum neutiquam attingere, imo ea tantum, quæ a deputatis a Janſeniſtis Romam miſſis, quorum in numero & ipſe fuerit, ita

Digitized by Google

ita enarrare, ut nec a ſuperfluis & ad rem nihil facientibus ſibi temperet. Extare & ſcripta alia a Janſeniſtis edita, quæ huc facere videantur, ut *Hiſtoriam formulæ* (*l'Hiſtoire du Formulaire*) itemque *Hiſtoriam Pacis Eccleſiaſticæ* (*l'Hiſtoire de la Paix de l' Egliſe*) & denique *Synopſin Hiſtoriæ Janſeniſmi* (*l' Hiſtoire abregée du Janſeniſme*:) aſt Synopſin quidem iſtam cuidam Præſuli, cenſuram in *Expoſitionem fidei de prædeſtinatione & gratia* ſtringenti oppoſitam eſſe; reliqua autem ſcripta & imperfecta eſſe, nec ad leges hiſtoriæ ulla ratione accommodata. Sic & quæ ab adverſariis Janſenii in lucem emiſſa ſint publicam, vel hoc nomine in cenſum hic non venire, quod odium in Janſeniſtas aperte præ ſe ferant, id quod tamen itidem hiſtoriæ legibus repugnet. Huc refert libros ſequentes: *Janſeniſme foudroyé*, item *Prejugez legitimes contre le Janſeniſme avec une hiſtoire abregée de cette erreur depuis le commencement des troubles que Janſenius & Mr. Arnauld ont causé dans le monde jusqu' à leur pacification, &c.* Auctor autem non tantum a partium ſtudio quam maxime alienum ſe eſſe, animumque amoris æque ac odii vacuum ad hanc hiſtoriam ſcribendam ſe attuliſſe teſtatur, ſed etiam nihil eorum, quæ ad accuratam rerum in hoc certamine geſtarum notitiam comparandam pertinent, ſe prætermiſiſſe, aſſerit. In Janſeniſtarum itaque mente exponenda, ſe præcipuos illorum ſcriptores, Arnaldum, Nicolium, Bourzeyſium Abbatem, Paſcalium, Dn. de la Lane, Ludovicum de S. Amore, Dionyſium Raymundum, Quesnellium &c: in ſententia autem Anti-Janſeniſtarum ediſſerenda, præter decreta Sorbonæ, Chamillardum & Grandinum Doctores Sorbonicos, Nicolaum, Guyartum & Baronium ex Dominicanorum familia, Petavium, Annatum, & Dechampium ex Jeſuitarum ordine, Amelottum & Thomaſſinum ex ordine Congregationis Oratorii, Habertum denique Vabrenſem & Abellyum Segodunenſem (de Rhodes) Epiſcopos, aliosque ſe ſecutum eſſe profitetur.

Ceterum certos quoque limites Auctor hic ſibi conſtituit, nec totam Janſeniſmi hiſtoriam exhibet, ſed ea tantum, quæ circa quinque propoſitiones Romæ atque in Gallia ab A. 1643 usque ad 1669 geſta ſunt, exponit. Et cum opus hocce in ſex libros diviſum ſit, in primo quidem Auctor ea, quæ ab origine hujus certaminis ad *Bullæ*, qua Innocentius X quinque illis propoſitionibus hæreſeos no- Lib. I.

Digitized by Google

notam inuſſit, promulgationem contigerunt, exponit, ſed judicia tamen ſimul Janſeniſtarum de hacce Pontificis bulla, & quam viam ingreſſi ſint ad vim ejus eludendam, ediſſerit. Michaelem itaque Bajum in Academia Lovanienſi A. 1552 primum doctrinam Auguſtini receptæ Scholaſticorum Theologiæ opponere aggreſſum, occaſionem variis certaminibus in Belgio præbuiſſe refert; ſed fuiſſe ejus doctrinam primo A. 1560 ab Academia Pariſienſi cenſura notatam, & A. 1567 a Pio V Pontifice condemnatam, quam condemnationem A. 1579 confirmaverit Gregorius XIII. Succeſſorem Baji in eadem Academia fuiſſe Cornelium Janſenium, qui & telam a Bajo exorſam pertexere in *Auguſtino* ſuo allaboraverit, qui tandem poſt ejus obitum A. 1640 lucem adſpexerit publicam. In Academia Pariſienſi ſtatim quosdam defenſores doctrinam Janſenii nactam fuiſſe, quibus cum alii ſe opponerent, editisque ſcriptis hi in certamina mutua exardeſcerent, Janſeniſtarum atque Moliniſtarum audita fuiſſe nomina. Janſenii quidem opus ab Urbano VIII Pontifice fuiſſe condemnatum: Habertum autem, tum quidem adhuc Doctorem Sorbonicum, edito ſcripto primum palam Janſenii doctrinam impugnaſſe, cui Arnoldus tres apologias oppoſuerit. Gliſcentibus hunc in modum iſtis diſcordiis, Facultatem Theologicam Pariſienſem, inſtituta deliberatione, quinque iſtas famoſiſſimas propoſitiones ex Janſenii opere excerpſiſſe, & ceu erroneas cenſura notaſſe; qua cum ad motus hoſce ſopiendos parum ſe proficere intelligeret, ad Romanum Pontificem eam illos miſiſſe, & ut ab eo ceu hæreticæ damnarentur, petiiſſe. Hoc Facultatis Theologicæ judicium Epiſcopi *Galliæ* numero octoginta & octo approbaverant, a quibus undecim diſſenſerant: utrique autem deputatos ſuos Romam ad cauſam hanc coram Pontifice diſceptandam miſerunt. Quid Romæ actum ſit, prolixe Auctor commemorat, & aliunde quoque ſatis notum eſt. Nos id *ſaltem* ex Auctore obſervamus, fuiſſe in Congregatione, cui hoc officium a Pontifice demandatum fuit, nonnullos, qui propoſitiones, de quibus lis erat, in ſe, nullo habito ad Janſenium reſpectu, conſiderandas cenſerent: ſed prævaluiſſe tandem illorum ſententiam, qui eas ex mente Janſenii & contextu orationis, in qua apud eum reperiebantur, dijudicandas eſſe contendebant: quibus Decanus Congregatio-

gationis Cardinalis Spada acceſſit, & Theologis ad propoſitiones illas examinandas evocatis, ut eas ita conſiderarent, injunxit. Ceterum ſuffragia Theologorum, quibus examen dictarum propoſitionum demandatum fuit, impreſſa fuerunt cura Janſeniſtarum A. 1657, ſed minus accurate, ut Auctor docet. Vizzanum enim, qui hanc ſuffragiorum editionem cum exemplo primo & præcipuo contulerit, teſtari, in ſex ſuffragiis circa primam propoſitionem latis, hæc verba: *in ſenſu Janſenii & erronea, aut hæretica, aut hæreſi proxima*, omiſſa eſſe; id quod tamen caſu potius quam data opera aut fraude Janſeniſtarum factum eſſe, arbitratur. Innocentium X, licet benevolum quoque erga Janſeniſtarum Deputatos animum declaraverit, tandem tamen, cum ipſe accuratiori cauſæ hujus diſcuſſioni interfuiſſet, & ad eam cognoſcendam nihil feciſſet reliqui, promulgata Bulla, propoſitiones iſtas atro notaſſe lapillo. Janſeniſtas autem in Gallia degentes, quod Pontificis decreto ſe ſubmitterent, videri voluiſſe, adeoque non ſemel declaraſſe, eas propoſitiones, in iſto ſenſu, quo a Pontifice damnatæ ſint, acceptas, a ſe quoque pro hæreticis & erroneis haberi; ſed longe aliam ſententiam ſub pectore illos clauſam habuiſſe, Auctori certiſſimum eſt, idque productis ex variis Janſeniſtarum libris teſtimoniis, aliis quoque perſuadere annititur. Imo refert, aperte deinceps eos Bullam Pontificis aggreſſos, valdeque conqueſtos eſſe, primo quod varii, quos propoſitiones iſtæ admittant, ſenſus in Bulla Pontificis non fuerint indicati, nec declaratum, in quo demum ſenſu, ceu hæreticæ & erroneæ rejiciantur: deinde quod iſtæ propoſitiones Janſenio tribuantur, cum tamen neque quoad verba, neque quoad ſenſum hæreticum & erroneum, in Janſenii opere reperiantur, quippe qui tantum doctrinam Auguſtini expoſuerit defenderitque. Sed quid ad utrumque Anti-Janſeniani regeſſerint, Auctor non prætermittit. Cumprimis autem obſervat, celebrem iſtam contentionem, ſive, uti vocant, quæſtionem facti, hinc enatam eſſe, cujus ratio in quo conſiſtat, paulo enucleatius ediſſerit. Nimirum non de eo quæri, an Janſenius ſit hæreticus, nec etiam de eo, an eum ſenſum propoſitionum iſtarum, cum eas ſcriberet, in mente habuerit, quem Romanus Pontifex damnavit; ſed an iſta loca libri Janſeniani, in quibus de quæſtionibus in dictis propoſitionibus

comprehenſis agit, eum habeant ſenſum, quem Romanus Pontifex ceu erroneum & hæreticum damnavit. Sic & quando quæritur, an Eccleſia in quæſtionibus facti dijudicandis errare poſſit atque falli, neutiquam de quibuslibet factis hoc eſſe intelligendum, ſed illis quæ cum doctrina quodammodo connexa ſint atque conjuncta, quæve adeo doctrinalia ſive dogmatica vocantur; verbi cauſa, ſi de ſenſu libri doctrinam ſacram tractantis quæratur. Rectius equidem & accuratius eos loqui, qui has quæſtiones juris quæſtiones dicant; ſed cum uſu receptum ſit, eas quæſtiones facti vocare, hactenus illud admitti poſſe, modo non negetur, eas revera eſſe quæſtiones juris. Adeoque & eam, quæ de libro Janſenii mota eſt, quæſtionem certo ſenſu facti eſſe, alio autem juris quæſtionem: facti quidem, ſi quæratur, quis ſenſus ſit propoſitionis in libro Janſenii contentæ, habita & antecedentium & conſequentium, & verborum, quibus concepta eſt, ratione; juris autem, ſi conſideretur, non de facto mere perſonali, ut loqui amant, hanc litem eſſe: interim quod ad rem ipſam attinet, parum referre Auctor putat, ſive pro juris, ſive pro facti quæſtione habeatur. Ceterum in ipſis propoſitionibus, de quibus lis mota fuit, aut verba aut ſenſum ſpectari poſſe. De verbis nullam fuiſſe unquam controverſiam, cum Janſeniani fateantur, primam propoſitionem, ſi verba ſpectes, in opere Janſenii contineri; reliquas autem non contineri, haud diffiteantur Anti-Janſeniani. Præterea in eo convenire utrosque, ſenſum, in quo a Pontifice damnatæ ſint iſtæ propoſitiones, eſſe proprium, naturalem, & ex vocum ſignificatione ſua ſponte fluentem; ut adeo tota controverſia huc tandem redeat, an ſenſus primæ propoſitionis, quem per ſe fundit, ille ipſe ſit, quem admittit eadem propoſitio, prout in Janſenii opere extat, & quod ad reliquas propoſitiones attinet, an loca in Janſenio occurrant ejusmodi ſenſum admittentia, qualis eſt dictarum propoſitionum proprius, *naturalis* & genuinus ſenſus. Negare utrumque Janſeniſtas: affirmare autem illorum adverſarios. Nec ſufficit Auctori, controverſiæ illius genuinam faciem hunc in modum exhibuiſſe, ſed rationes etiam, quibus Anti-Janſeniani ſuam ſententiam ſtabiliant, ſubjicit. Inter eas præcipuæ ſunt, quod ex Theologis, quibus examen dictarum propoſitionum demandatum fuit, illi, qui partibus Janſeniſtarum fue-

fuerunt addicti, eundem plane propoſitionum iſtarum defendere aut excuſare voluerint ſenſum, qui poſtea a Pontifice ſit damnatus: itemque quod ipſi Janſeniſtæ, ante condemnationem Pontificis, has propoſitiones in proprio, genuino & naturali illarum ſenſu defenderint, manifeſto argumento, in eodem ſenſu & apud Janſenium eos reperiri, cum ipſorum doctrina a ſententia Janſenii diverſa eſſe nequeat.

Cum itaque nondum conquieſcerent Janſeniſtæ, proſcriptis licet Pontificis Bulla iſtis propoſitionibus, Cleri Gallicani A. 1654 ſolennis inſtituta fuit congregatio, in qua, quo pacto de ratione cogendi diſſentientes ad obſequium decreto Pontificis præſtandum, deliberatum fuerit, prolixius Auctor enarrat. Sequenti autem anno, cum Cleri conſiliis eventus nondum reſponderet, Arnaldum Janſeniſtarum tum principem, 40 annos natum, denuo in aciem prodiiſſe refert, edita epiſtola, in qua approbaverit quidem cenſuram Pontificis quinque iſtis propoſitionibus inuſtam, ſed ſimul a Janſenio ſimile quid unquam profectum ſtrenue negaverit, cum ejus doctrina a ſententia Auguſtini neutiquam differret. Novæ hinc enatæ ſunt turbæ. Facultas enim Theologica Pariſienſis non tantum hanc epiſtolam vocavit ſub examen, & acriter licet reſiſtentibus Janſeniſtis, & nihil non pro Arnaldo moventibus, ſtrinxit in eam cenſuram, ac tandem ſolenni decreto ex Facultate Arnaldum ejecit; cui quidem, ut eo majorem vim nanciſceretur, omnes deinceps, quotquot recipi in iſtam Facultatem voluerint, ſubſcribere neceſſe fuerit. Arnaldo tamen nec animum, nec ingenium hocce Facultatis iſtius decretum impugnandi, defuiſſe teſtatur. Fuiſſe namque dicit Arnaldum virum excellenti & acri ingenio præditum, eumque Theologiæ, Philoſophiæ & Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiæ haud vulgari facultatem eleganter & copioſe, præſertim in lingua Gallica, dicendi ſcribendique adjunxiſſe. Prolixe autem more ſuo Auctor exponit, quid in Facultatis Theologicæ decreto reprehenderit Arnaldus, quidve illi oppoſitum ſit; quæ hic repetere non neceſſe erit. Laboranti ita, & tantum non ob adverſariorum multitudinem ſuccumbenti Arnaldo ſuppetias tulit, uti Auctor porro commemorat, Blaſius Paſchalis, qui ſeriam iſtam triſtemque has controverſias per ſe ſatis ſpinoſas tractandi rationem, editis fa-

Lib. II.

Digitized by Google

moſiſſimis illis epiſtolis ad Provincialem, jocoſo quodam & amœno ſcribendi genere temperavit, & hoc ipſo multorum promeruit calculum. Sed obſervat tamen Auctor, Paſchalem hunc non tantum ſibi non ſatis conſtitiſſe, eo quod ſuam ſententiam in quæſtione facti, tum quod ad Janſenium, tum quod ad Janſeniſtas attinet, mutarit, unde inter illum ceterosque Janſeniſtas novæ enatæ ſint lites, ſed & in factis recenſendis parum accuratum eſſe, ut adeo ejus relationibus neutiquam adhibenda ſit fides. Id quod ne fruſtra dixiſſe videatur, ex Auctore quodam Anti-Janſeniſtico exempla quædam affert. Sic objeciſſe eum Anti-Janſeniſtis, quod callide ex reliquis Janſeniſtarum ſcriptis, ſecundam Arnaldi epiſtolam, quam cenſuris ſuis configerent, elegerint, cum tamen hæc epiſtola poſt propoſitiones a Pontifice damnatas prodierit, adeoque ſola cenſuram promeruerit: quod enim ad ſcripta ante Pontificis *Bullam* edita attinet, in ea cenſuram non potuiſſe illos vibrare, cum ante Pontificis definitionem ejusmodi dogmata non haberi queant pro erroneis. Præterea eundem Paſchalem objeciſſe Anti-Janſeniſtis, quod nunquam quinque iſtas propoſitiones in opere Janſenii demonſtrare voluerint, & quod Arnaldi ſententiam de quæſtione facti atro notaverint lapillo, priusquam eam vocaverint ſub examen, verane eſſet an falſa: id quod tamen rurſus aperte falſum ſit. Sed cetera cujusmodi ſint, ex dictis facile colligitur.

Lib. III. Atque ea quidem quæ hactenus de Arnaldo & Paſchali retulimus, in ſecundo libro ab Auctore exponuntur. In tertio autem refert, in nova congregatione Cleri Gallicani A. 1656 inſtituta, cauſam Janſeniſticam denuo pertractatam fuiſſe, tandemque decretum factum de formula quadam concinnanda, cui omnes omnino Clerici ſubſcribere tenerentur, & qua elabendi rima Janſeniſtis obturaretur. Peracta quoque hæc ſunt hunc in modum, & a Rege ipſo comprobata, ſancitumque quam ſeveriſſime fuit, ne cui *fas eſſet* ſubſcriptionem iſtam detrectare. Janſeniſtis non poterant non hæc perquam moleſta eſſe, adeoque initio de ſubſcriptione *iſta inter* Arnaldum atque Pavillonium Epiſcopum Alectenſem (*d' Alet*) diſputatum fuit. Sed cum Janſeniſtæ animadverterent, in eo jam ſtatu res ſuas eſſe, ut ſubſcriptionem ſine manifeſto periculo declinare non poſſent, de modo ſubſcribendi huic *formulæ* inter ſe diſ-
ſen-

Digitized by Google

ſentire cœperunt, ſciſſique ſunt in partes. Nonnulli autumabant, etſi aliquis exiſtimaret, iſtas propoſitiones non eſſe Janſenii, poſſe tamen eum formulæ ſubſcribere, ut in iis quidem, quæ juris eſſent, mentem haberet cum formula conſentientem: at in factis non neceſſe eſſe, ut illorum ſententia cum formula conſentiret, cum in his ſufficeret, honoris & obſequii erga Pontificem & Epiſcopos teſtandi gratia, verbis non diſſentire, licet aliud quid animo ſit perſuaſum. Alii autem aſſerebant, ſi quis perſuaſus eſſet, has propoſitiones non eſſe Janſenii, eum non poſſe huic formulæ ſine quadam explicatione aut reſtrictione ſubſcribere. Tertia ſententia fuit Paſchalis, qui cum primum aſſeruiſſet acriterque contendiſſet, diſcernendam a juris quæſtione eſſe quæſtionem facti, & non in illa, ſed in hac Pontificem erraſſe, mox in contrariam dilapſus eſt ſententiam, aſſeruitque, conjunctam cum quæſtione facti eſſe quæſtionem juris, Pontificemque in ipſa quæſtione juris definienda erraſſe, ut nemo adeo, qui conſcientiæ ſuæ habere rationem velit, formulæ dictæ poſſit ſubſcribere. Quid igitur hac in re non tantum inter Anti-Janſeniſtas, ſed Janſeniſtas ipſos atque Paſchalem diſputatum ſit, fuſius Auctor ediſſerit.

Hæc, quæ ad ductum Auctoris hactenus commemoravimus, ad A. 1661 usque in cauſa Janſeniſtica geſta ſunt. Nunc cetera ſummatim ſaltem indicabimus, cum ex dictis, quam Auctor teneat tractandi rationem, ſatis conſtet. In quarto itaque libro ediſſerit, Lib. IV. qua ratione colloquium inter Ferrerium Jeſuitam & Janſeniſtas quosdam, ad lites haſce finiendas, fuerit inſtitutum, eo quidem eventu, ut acrioribus odiis utraque pars inflammata, editis variis libellis, priores controverſias novarum acceſſione auxerit. Namque cum non eſſent publica auctoritate conſtituti, qui dicta utriusque calamo exciperent, utraque pars ea, quæ in hiſce colloquiis geſta erant, ita in publicis ſcriptis enarravit, prout commodis ſuis hoc expedire arbitrata eſt. Equidem in quibusdam concedere aliquid adverſariis ſuis Janſeniſtæ viſi ſunt, ut ipſe Pontifex Alexander VII, ſcriptis ad Clerum Gallicanum litteris, eo hæc interpretaretur, ac ſi Janſeniſtæ quidam bona fide Pontificum decretis ſe ſubmiſerint; ſed vero, præterquam quod Arnaldus ſe illis, qui in has pacis conditiones conſenſerant, neutiquam accedere profeſſus eſt, declara-

Digitized by Google

tio iſta Clero Gallicano tandem nondum ſufficere viſa eſt, unde omnis concordiæ ſpes rurſus evanuit. Ceterum Alexander VII Pontifex, in litteris antea memoratis, Clero Gallicano facultatem diſſentientes quovis modo ad obſequium redigendi conceſſerat, ſimulque ſignificaverat, implorandum eſſe brachium ſeculare, ſi alia ratione ad ſubſcribendum formulæ adduci non poſſent. In id ergo
Lib. V. Anti-Janſeniſtæ A. 1664 & 65 ſedulo incumbebant, ut facultate ad opprimendos adverſarios ſuos ſibi conceſſa ſtrenue uterentur. Atque hoc quinto hujus operis libro pluribus Auctor ediſſerit. Nec tamen ſibi defuerunt Janſeniſtæ. Hominibus admodum ingenioſis facile fuit, contra hanc quoque Pontificis Bullam, quæ jugulum ipſorum petere videbatur, excogitare exceptionem. Fatebantur, conſtitutum eſſe in hacce Bulla quovis modo adigere Janſeniſtas, ut decretis Pontificum obedirent, neutiquam autem, ut formulæ a Clero Gallicano concinnatæ ſubſcriberent. Rex itaque Galliæ, ut tandem omnes vias elabendi Janſeniſtis eriperet, ad Pontificem Alexandrum ſcripſit, petiitque ab eo, ut ipſe formulam, quam omnes calculo ſuo probare neceſſe haberent, præſcriberet. Id quod haud difficulter obtinuit. Interim Nicolius, Vir præcipuæ inter Janſeniſtas auctoritatis, editis epiſtolis de hæreſi imaginaria, Janſeniſtarum agebat cauſam, atque præſertim epiſtola quinta, contra excommunicationem Pontificis, quæ illis imminere videbatur, ut intrepido eam exciperent pectore, ſuorum præparare animos annitebatur. Idem porro inſtitutum ſuum, cum jam formula a Pontifice præſcripta adveniſſet, Nicolius proſecutus eſt, atque probare aggreſſus, omnium Theologorum ſententiæ, ipſis fidei principiis, Reipublicæque ſecuritati repugnare hanc ſententiam, quæ in factis quoque Romano Pontifici ſupremum judicium deferat. Et tum ſane litem iſtam de auctoritate Eccleſiæ in factis dijudicandis maximopere recruduiſſe, editisque ſcriptis, quorum præcipua ab Auctore indicantur, fuiſſe agitatam memorat. Summam quoque hujus diſputationis argumentorumque, quibus utrinque pugnatum fuit, apud Auctorem legere licet, quam hic repetere non neceſſe erit.

Lib. VI. Dum hæc inter utramque partem diſputabantur, Anti-Janſeniſtæ nihil faciebant reliqui, ut omnes diſſentientes ad ſubſcribendum formulæ a Pontifice tranſmiſſæ cogerent. Aſt reluctaban-

bantur inter ipſos Epiſcopos Galliæ, Apamienſis, Andegavenſis, Bellovacenſis & Alectenſis. In hiſce compeſcendis dum & Rex & Pontifex laborant, nova Janſeniſtis enata eſt diſputandi occaſio. Namque Janſeniſtæ aſſerunt, eo tandem rem deductam eſſe, ut Clemens IX Pontifex illis conceſſerit, adhibita diſtinctione facti & juris, formulæ ſubſcribere, ut quod ad factum attinet, ea crederent quidem quæ veritati conſentanea ducerent, ſed ad obſequium tamen erga Pontificem demonſtrandum, ſacro ſilentio ſententiam ſuam involverent. Negant vero hoc Anti-Janſeniſtæ, aſſerentes, coactos fuiſſe Antiſtites ſimpliciter, & nulla adhibita ejusmodi diſtinctione, formulæ ſubſcribere. Rationes utrinque allatas in toto libro ſexto prolixe Auctor recenſet, & in ipſa hiſtoria hujus negotii cumprimis nititur *relatione Cardinalis Roſpiglioſii, de eo quod in cauſa Janſeniſtica actum eſt.* Id tamen diſſimulare non poſſumus, tum hic, tum alibi, Auctorem, quantumvis a ſtudio partium plane alienus videri velit, ita ſe gerere, ut haud obſcure pateat, propenſo admodum in Anti-Janſenianos eum eſſe animo. Ceterum ne diſputationes ad hiſtoriam hanc ſpectantes, prolixiores tamen, inſerendo, filum hiſtoriæ interrumperet Auctor, eas de præcipuis argumentis tractantes titulo Declarationum operi huic ſubjecit. In prima itaque diſquirit, an Janſeniſtæ circa ſenſum quinque propoſitionum, ante illarum condemnationem, cum adverſariis ſuis conſenſerint: in ſecunda, de ſcripto quod deputati Janſeniſtarum de ſenſu harum propoſitionum die 19 Maji 1653 Romano Pontifici exhibuerunt: in tertia, de cenſura propoſitioni Arnaldi, quod gratia ad omnes actiones bonas neceſſaria deſtituerit Petrum peccantem, inuſta: in quarta, de variatione ſententiarum Janſeniſtis a Paſchali & Thomiſtis quibusdam objecta: in quinta, quid Epiſcopi Galliæ de facto Janſenii exiſtimaverint, & in ſexta denique de conditionibus, quibus quatuor Epiſcopi ſupra memorati in gratiam a Clemente IX Pontifice ſint recepti.

CONSILIORUM TUBINGENSIUM VOLUMEN VI. QUOD, potiſſimum partem, nomine Ampliſſimæ Facultatis Juridicæ in Per-antiqua Eberhardiana conſcripſit FERDINAND-CHRISTOPHORUS HARPRECHT U. J. D. & Anteceſſor.

Tubingæ, impenſis Johann. Georgii Cottæ, 1699 in fol. 3. alph 18. plag.

Con-

COnſiliis LXXXII, quæ quinque prioribus utiliſſimi hujus operis voluminibus, quæ jam recenſuimus, comprehenduntur, nunc octodecim alia Illuſtris Auctor adjecit; e quibus, ſpeciminis loco, pauca delibabimus. In Conſilio 85 proponitur quæſtio, an parentes in teſtamento ſuo liberis remittere poſſint neceſſitatem juramento, vel, quæ ei apud Wurtembergenſes quodammodo æquipollet, aſſeveratione, ſtipulata manu facta, (Ablegung der Hand-Treu) indicandi ea, quæ ab ipſis acceperant; quo medio alioquin ad inveniendam hæreditatis quantitatem, diviſionemque æqualiter inſtituendam, opus videbatur? quam Noſter affirmative decidit: cum enim certum ſit, quod parentes liberis neceſſitatem conferendi remittere poſſint, modo hi in Legitima non *lædantur*, inde utique affirmativa quæſtionis propoſitæ deciſio ſequitur; neque enim juramenti memorati eique ſurrogatæ aſſeverationis remiſſio aliud eſt, quam tacita a neceſſitate a parentibus accepta conferendi liberatio; læſionem autem in Legitima, iſta remiſſione eſſe futuram, in caſu noſtro non apparebat. In Conſilio 86 dederat aliquis ſacculum ducentis florenis repletum tabellario equiti gratis transportandum: hic eum anteriori ephippii parti, ſine ulla religatione negligenter repoſuit, ac in itinere, ut cauſabatur, amiſit. Conſultus hac de re Noſter pronunciavit, tabellarium ad reſtitutionem pecuniæ amiſſæ eſſe obſtrictum, dummodo *læſus* juramento ſuo quantitatem illam aſſerat: nam verum hic ſubfuit mandatum, in quo mandatarius ad culpæ etiam leviſſimæ præſtationem obligatur, hic vero maximam commiſerat; præterea nec hoc tabellario in excuſationem prodeſſe poterat, quod ſomno ſe in itinere obrutum diceret, cum & hic ipſius culpa concurrerit; imo ne quidem ille amiſſionem pecuniæ probabiliter aſſerere potuit, ſed furtivæ potius ſuppreſſionis ſuſpectus non immerito habebatur. *In* Conſilio 88 proponitur incendium, culpa ancillæ in ſtabulo excitatum, circa quod oſtendit Noſter, culpam domini, maxime ſi alias de ejus diligentia ſatis conſtet, non præſumi, ſed probandam eſſe ab allegantibus, contra quod multi interpretes nituntur; deinde examinat rationes, quibus culpam domino imputabant adverſarii. Cauſabantur illi primo, dominum ſine præſcitu Magiſtratus, horreum in ſtabulum mutaſſe; ſed hanc rationem in facto non eſſe

eſſe fundatam oſtendit, cum ex actis & depoſitione conſtet, dudum locum illum ejusdem fuiſſe conditionis: addit, quod ſi omnino aliqua culpa domini heic ſubfuerit, illa merito cum culpa adverſariorum, qualitatem loci ſcientium & nihilominus tacentium, compenſari debuerit. Deinde hoc domino imputabant, quod ſtabulum omni lumine (aller Hellung) privaverit, adeo ut accenſis faculis ſemper fuerit adeundum; ſed nec hanc imputationem veritati eſſe conſentaneam, ex teſtium effatis Noſter demonſtrat. Tertia imputatio erat, quod dominus machinamenti ſeu contignationis (eines Gerüſtes/) ſtramine & fœno deinceps onerandæ erectione, debitam ſtabuli altitudinem imminuerit; verum & hoc inſcio domino eſſe factum, & nihil iſta exſtructione legitimæ ſtabuli altitudini deceſſiſſe, ſuffragantibus oculari inſpectione & teſtium effatis, reſpondet, atque ita eum a culpa abſolvit Noſter. Gravior adhuc erat inculpatio quarta, ancillam aperto lumine ſtabulum adiiſſe, ac dominum hujus rei conſcium in famulatu eam nihilominus retinuiſſe; aſt utrumque in facto eſſe dubium, nec ſatis ab adverſariis ad liquidum deductum, Noſter excipit, atque ita dominum a neceſſitate damnum reſarciendi immunem pronunciat. Conſilium 89 pecuniæ luſtricæ deſtinatum eſt. Promiſerat avus nepti ſuæ 4000 imperiales loco pecuniæ luſtricæ; poſtea in transactione quadam, cum liberis ſuis inita, quoad executionem promiſſionis, donator ille mortis ſuæ fecerat mentionem: hinc enaſcebatur dubium, utrum donatio illa luſtrica pro donatione inter vivos, an mortis cauſa haberi debeat? quorum prius in dicto Conſilio aſſeritur.

RERUM IN SERENISSIMORUM DUCUM SAXONIÆ DICASteriis Jenenſibus Deciſarum Centuriæ Quinque, ex Regeſtis & Cura Præſidis eorundem Ordinarii Dn. NICOLAI CHRISTOPHORI DE LYNCKER, Conſiliarii Status Ducalis Sax. Vinarienſis Intimi.

Jenæ apud Joh. Bielkium, 1700. in 4to.
2. alph. plag. 11.

QVibus ſeria ſolidaque legum cognitio curæ eſt, illi rebus ſuis non melius conſulere poſſe videntur, quam ſi, jactis fundamentis, rerum in dicaſteriis juridicis deciſarum autoritatem dili-

Digitized by Google

genter ſectentur. Nam uti magna veritatis præſumtio pro iis militat, ita quæ facta, opem Jurisprudentiæ deſiderantia, in vita communi evenire ſoleant, tum quid ex tam vario jure iis applicandum ſit, aut quid ſpeciatim in hoc aut illo territorio valeat, una opera exinde licet addiſcere. Agnovere dubio procul inſtituti hujus utilitatem Coleri, Richteri, Berlichii, Carpzovii, Mevii, illuſtria JCtorum noſtratium nomina, alios plures ut nunc taceamus, dum in emolumentum eorum, quibus in ſcholis vel foro jura tractanda ſunt, res in curiis juridicis deciſas vulgarunt. Atque hujus ſententiæ, niſi fallimur, etiam fuit Perilluſtris Autor noſter, & munerum amplitudine, & acquiſitæ dignitatis ſplendore, & inexhauſto omnigenæ eruditionis apparatu JCtus celebratiſſimus, dum pro eo, quo publicam rem proſequitur, affectu, benigne annuit, ut Bibliopola induſtrius juvandæque rei literariæ impenſe deditus, ex ipſius Regeſtis Deciſionum ſelectiorum Centurias quinque typis exſcriberet. Brevitate ſua imprimis eas eſſe lectoribus placituras arbitremur: nihil enim, niſi rei nervus, factum ſcilicet ejusque deciſio, additis ſubinde quibusdam decidendi rationibus, exhibetur. Omnium ſummam heic exhibere nobis, brevitati deditis, haud licet: quamobrem more in hujus generis ſcriptis hactenus adhiberi ſolito, exempla quædam ſaltem adjiciemus. Matrem in foro Saxonico, quoad bona feudalia, tutela fungi non poſſe, Deciſ. 5 pronunciatur. Patrem binubum bona materna prioris matrimonii liberis ex ſecundo natis concedere poſſe, ſi modo liberi priores neque in legitima paterna neque materna lædantur, ipſisque per compenſationem proſpiciatur, Deciſ. 9 oſtenditur. Si inter dominum ſubditosque ratione graminis ſecandi (wegen Gras abhauens) lis vertatur, dominusque, pendente ea, ſervitium illud poſtulet, ac reluctantes per pignorationem cogat, tum attentatum committitur, illudque, rebus reſtitutis, illico revocandūm eſt, ceu deciditur Dec. 10. In Falcidiam de fidei commiſſis univerſalibus, poſt heredis mortem reſtituendis, deducendam imputari fructus tempore intermedio perceptos, certi juris eſt; idem quoad Falcidiam de legatis detrahendam obtinere, Dec. 17 docetur. Fuſtigationem in inceſtu cum ſororis marito, in multam pecuniariam v. gr. 20 thalerorum converti poſſe, oſtenditur Dec. 23. Obtinuerat quis privilegium immu-

Digitized by Google

munitatis ab omnibus oneribus ordinariis & extraordinariis, ſed vicini iniquiores ab eodem extuderant, ut una & altera vice ad metata conferret; orta deinceps lite, privilegiatus ab obligatione amplius quid ſolvendi Deciſ. 24 abſolvitur, dum ſolam ſolutionem tollendo privilegio non ſufficere, ſed lapſum temporis ac præſcriptionem inſuper requiri exiſtimatur. Si concurſus creditorum in certo aliquo foro oriatur, ac quis arreſtum in bona debitoris immobilia alibi ſita impetret, tum in loco arreſti proceſſum inſtitui ac eousque debitum peti poſſe, ut documenta a reo recognoſci & ſententia deſuper ferri debeant, poſtea vero cauſa demum ad forum concurſus remittenda ſit, Dec. 26 aſſeritur. Juramentum purgatorium inculpati de adulterio, indicia adverſus fœminam, quæ ex carcere, cum realiter terrenda eſſet, aufugerat, eatenus infirmare, ut ea, cum expenſis, abſolvi queat, Deciſ. 32 docetur. Dominum feudi, invitis ſimultanee inveſtitis, mente captum ad ſucceſſionem feudalem admittere poſſe, cum excluſio ſolum domini favorem reſpiciat, deciditur Dec. 34. Conf. Deciſ. 136. Si maritus cum fœmina ſoluta adulterium committat ac aufugiat, nec ei uxor ignoſcat, ille vero aliam inſuper ducat uxorem, tum eum ſolum ut adulterum, non etiam ut bigamum, puniendum eſſe, ea ratione Deciſ. 39 defenditur, quod prima uxor ultro velut marito aufugienti renunciaverit, eidemque ſecundæ nuptiæ, ſi petiiſſet, haud fuiſſent denegatæ. Reum urphedam jurare, ac e territorio migrare recuſantem, eo modo compelli poſſe Dec. 53 oſtenditur, ſi ejus loco urphedam juret apparitor, ipſe vero currui impoſitus per vim finibus ejiciatur, addita comminatione, quod reverſo, non ſecus ac ſi proprium juramentum violaſſet, duo digiti ſint amputandi, aliaque gravior pœna imponenda; add Deciſ. 295. Inquiſitus, cui pœna capitis in fuſtigationem convertitur, ab expenſis liber eſt, ſed qui loco fuſtigationis, multam ſentit pecuniariam, expenſas ſolvere tenetur, docente Deciſ. 55. Poſſeſſionem non civiliſſimam, ut loquuntur, ſeu fictam, ſed realem & veram, moribus Germaniæ in heredes quosvis ipſo jure ſine prævia apprehenſione tranſire, Deciſ. 57 oſtenditur, cum alias mores Germaniæ a ſcitis Romani juris non differrent. Divortium ob alias etiam cauſas, quæ adulterio & malitioſæ deſertioni ſimiles ſunt, v. gr. ob inſidias vi-

Digitized by Google

tæ aut virilitati ſtructas, ob abortus procurationem, ob urgentem adulterii præſumtionem, locum habet; prout deciſum eſt, accedente Theologicæ Facultatis ſuffragio, Deciſ. 71. Commendatarius Ordinis Teutonici de fructibus commendæ nihil donare poteſt, cum Equites illi, dum Ordinem aſſumunt, jurati promittunt, ſe ſine proprietate vivere velle, decernente ita Deciſ. 73. Stupra a fœminis in ſomno admiſſa dari & impunia eſſe, Deciſ. 80 aſſeritur. Tutorem forenſem in loco domicilii pupilli, in cauſis ad tutelæ adminiſtrationem relatis, quamvis delicti privati, v. gr. injuriarum fuerint, ſtare teneri, deciditur Deciſ. 88. Non eſſe reſtituendum ſpoliatum, licet ſuperioris juſſu poſſeſſionem v. gr. des Vier-einleges / cepiſſet, quando de non jure ejus ex actis conſtat, Deciſ. 109 habetur. Carnifici curationem ægrorum, ex vulnere cumprimis, permitti poſſe a domino territoriali, docetur Deciſ. 110. Incolæ Saxones actione perſonali in loco rei ſitæ conveniri non poſſunt, cum quoad exteros ſolum bona forum generale in curiis tribuant, prout decretum Deciſ 226. Nobilis, ſi arripientem gladium, a quo alapam acceperat, præveniendo transfodit, abſolvitur, adeo ut ne quidem pœna extraordinaria afficiatur, ſi certum ſit, quod occiſus poſt impactam alapam, prius etiam gladium ſtrinxerit, ceu docetur Deciſ. 142. Reus confeſſionem in tortura factam & deinde repetitam, fruſtra poſtea revocat, quod ex Ord. Crim. art. 19 probatur Deciſ. 155; conf. Deciſ. 245. Patronus Eccleſiæ jubere nequit, ut ob recuperatam ſanitatem, τὸ *Te Deum laudamus* canatur, cum ordinatio precum ad Epiſcopum ſpectet, uti pronunciatum in Deciſ. 165. Pœnam corporis afflictivam ac ſpeciatim fuſtigationem regulariter, obtenta in id ſententia Prudentum; in multam pecuniariam eum, qui merum habet imperium, mutare poſſe, defenditur Deciſ. 255. Ad fidei commiſſum ſub conditione des Wohlverhaltens relictum, commiſſo ſtupro, fidei commiſſarius non admittitur, ex decreto Deciſ. 258. Boetho, qui ſe ipſum ex petulantia & malitia ſuſpendit, & tyroni, qui laqueo abſciſſo, ipſum ſibi reſtituit, id apud collegium haud officere, deciditur Deciſ. 299. Laudemia, quæ emptor præſtitit de bonis tempore poſſeſſionis ſuæ, venditorem ſub pacto retrovenditionis ea reluiturum, emptori refundere non teneri, decretum Deciſ. 311. Per liberos Legata-

Digitized by Google

gatarii non venire nepotes ejus, ſi ipſum ante teſtatorem mori contigerit, docetur Deciſ. 318. Caupones cereviſiarios (Schenck-Wirthe) de recepto non teneri, Deciſ. 331 docetur. Actio ad palinodiam cum criminali ad fuſtigationem cumulari poteſt, juxta pronunciatum Deciſ. 370. Non tenetur Magiſtratus oppidanus ad reparationem lithoſtroti in illa platea, per quam via publica dirigitur (des Pflaſters der Gaſſe/ wodurch die Straſſe gehet) ſed dominus vectigalis, ex deciſo Deciſ. 387. Pluribus centenam habentibus, unoque ex condominis in extraneum delinquente, cæterorum imperio & jurisdictioni delinquens ſubjicitur, juxta doctrinam Deciſ. 392. Syndicus ob dignitatem majorem, in urbe etiam, præcedentiam habet præ Conſule, ex ſententia Deciſ. 419. Vidua, mortuo marito, ſtatim alii nupſerat, poſt ſeptem menſes parit filium; is pro filio prioris mariti in Deciſ. 426 habetur. Mendici in ſenio defuncti divitiæ, ceu validi mendicantis, confiſcari non poſſunt, juxta Deciſ. 457. Opifex injuriatus (ein geſcholtener Meiſter) ſi actionem injuriarum omiſerit, opificio ejicitur, ex decreto Deciſ. 500 & 323. Illud tandem reticendum hic non eſt, quod Deciſionibus ampliſſimus index, quo & uſus uberrimus earum ſimul ac doctrinarum juris, & non minus intellectus Deciſionum exponitur, ſit ſubjectus.

PHILIBERTI BRUSSELII, JCTI ET CONSILIARII REGIS Hiſpaniæ celeberrimi, Tractatus inſignis ac utiliſſimus de Conditionibus Teſtamentorum, Contractuum & Pactorum: nec non Paulus Duran Epiſcopus Urgellenſis de Conditionibus & Modis impoſſibilibus ac jure probibitis, Contractibus & Teſtamentis adſcriptis. Nunc uterque denuo excuſus & a multis priorum editionum erratis expurgatus, cum indicibus capitum, rerum ac verborum locupletiſſimis.

Francofurti & Lipſiæ, ſumtibus Wolffgangi Michaelis, 1700. 4. alph. 3. plag. 10.

INter materias difficiles intricatasque, quibus jus Romanum abundat, ſuo merito etiam referri conditiones & modos, variis actibus humanis adjici ſolitos, multis exemplis oſtendi poſſet, ſi hac

de re commentari nobis nunc eſſet propoſitum. Bene igitur merentur de jurisprudentia, qui materiam iſtam ſibi excolendam ſumunt; quo nomine dudum inclaruerunt Bruſſelius & Duranus, eo fine nobis jam nominandi, ut eorum conjunctionem, opera non inutili factam, eruditis indicaremus: nam a neceſſitate eos excerpendi, inſtitutum noſtrum, libris novis ſolum dicatum, nos abſolvit.

DIONYSII PETAVII DOGMATA THEOLOGICA in ſex Tomos diſtributa.

Antverpiæ, apud G. Gallet, A. 1700. fol. Alphab. 29.

UT neminem Eruditorum fore nobis plane perſuademus, qui profundum Dionyſii Petavii ingenium, diffuſiſſimamque, cui totus incubuit, Patrum antiquorum lectionem, & congeſtos hinc uberrimos doctrinæ theſauros, inque doctrinæ Pontificiæ defenſionem (quam recte ſemper, alii judicent) rurſus erogatos, ignoret: ſic dudum per orbem nota literarium fuerunt Dogmata, quæ divulgavit ille quondam, Theologica, vaſtum opus atque eruditum, in quo ad bibliothecarum ſelectiſſimarum ornamentum comparando certarunt velut plurimi, usque adeo, ut iſtud in librariis officinis jam pridem diſparuerit, alibi vero obvium inſigni ſemper fuerit redemtum pretio. Quamobrem optime meritos arbitramur, qui de eo recudendo, nitoreque haud minori, ac qualem in Pariſina olim editione idem præ ſe tulerat, induendo cogitarunt, advocata in ſubſidium Jo. Clerici diligentia, qui ſub aſſumto, poſt tot alia, Theophili Alethini nomine prodire nunc in publicum geſtiit. Vindicandum vero is peculiari in Præfatione ante omnia Petavium exiſtimavit adverſus Chriſtophori Sandii conatus, quibus Arianiſmi notam inurere ei *hic in* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Nucleo allaboravit, arrepta quidem *occaſione* ex iis, quæ ille in ſecundi voluminis libro primo de *ſacroſancta* Trinitate docuerat, Patres nempe, qui ante Nicænam *Synodum* vixerunt, a Catholica regula, ſaltem loquendi uſu, *diſcrepaſſe*. Aſt uti hoc negandum minime venire Clericus affirmat, ita nihilo ſecius Petavium libris ſecundo tertioque ejusdem operis & alibi omnes intendiſſe reſpondet ingenii nervos, ut illorum tamen Patrum Catho-

Digitized by Google

Catholicam mentem fuiſſe oſtenderet, & præterea paſſim per totum opus in Arianos, ubicunque tulerit occaſio, graviſſime invectum, firmis eos rationibus, cum ex antiquitate, tum ex ſuo ipſius penu depromtis, confutaſſe innuit. Hinc monet porro, quam falſa ſit conjectura iſta Sandii, ex ipſis Petavii ſcriptis non immerito judicaſſe in proœmio Defenſionis fidei Nicænæ celeberrimum Eccleſiæ Anglicanæ Presbyterum, Georgium Bullum, ſed qui viciſſim audaciam ac temeritatem in ſanctis Patribus cenſendis & notandis, eamque ſolitam, Petavio male imputarit. Id quod ſane non poſſit non mirum valde videri his, qui legerint vel Prolegomena tomi primi & ſecundi, in quibus a diſſidentibus ab Eccleſia Catholica perhibeatur multo plus, quam par eſt, Patribus tribuiſſe: imo hoc toto opere abunde ipſum oſtendiſſe ait, quanti eos faceret, quippe quos perpetuo teſtes & autores allegarit, agnoveritque judices in rebus Theologicis, maxima inſuper cum reverentia locutus de iisdem fuerit, nec ab iis unquam diſceſſerit, niſi poſt impenſam fruſtra omnem diligentiam, qua Catholicam ex eorum verbis mentem exſculpere valeret. Neque tamen ſola eſt præfatio, qua novam hanc Petavianorum Dogmatum editionem augere Alethinus ſtuduit, ſed moris ſui non ſemel hactenus obſervati tenax, notulas inſuper paginarum oræ extremæ, teſtimoniis Græcis ab Autore deſtinatæ, ſubinde annexuit, quas trium ipſe monet eſſe generum. Nam in nonnullis clarius explicari & confirmari, quod habeat Petavius; in aliis quidpiam inventis ejus addi; in aliis denique pauca quædam, in quibus lapſus ille videatur, confutari. Inſuper omnia alia opuſcula Petavii Theologica conquiſivit, ut, quatenus liceret, ſupplerentur, quæ ipſe, niſi mors interveniſſet, procul dubio fuiſſet additurus. Hunc etenim in finem tractatus quoſdam, ſeparatim antea vulgatos, ſuo quemque loco congrue inſeruit, eſtque inter eos primus de *Interpretatione Concilii Tridentini & S. Auguſtini doctrina*, quem iſto tempore condidit Petavius, quo a Janſenio ex variis Auguſtini ſententiis hinc inde excerptis ingrata Pontificiis de Gratia opinio invecta fuerat. Claudit ille tomum quartum, proximumque a libro de Pelagianorum & Semi-Pelagianorum hæreſi locum occupat, tribus de Hierarchia libris, qui in editione priori volumen tertium finiebant, in quartum rejectis; ubi duos eadem de re,

qui

Digitized by Google

qui antea ad calcem quinti voluminis comparebant, comites indepti ſunt. Hos ſequuntur duo *libri Diſſertationum Eccleſiaſticarum contra Claudium Salmaſium*, itidem in prima horum operum editione haud reperiundi. Cum enim hic in Diſſertatione de Fœnore Trapezitico id probare ſategiſſet, nullum ab origine prima vetuſtisque & Apoſtolicis Eccleſiæ temporibus, ac deinceps diu, fuisſe diſcrimen Epiſcopos inter & Presbyteros; male iſtud Petavium habuit, ac proinde calamum adverſus ipſum ſtrinxit, inſimulque alia quædam in iſta Diſſertatione occurrentia redarguit. Ulterius inter ea, quæ huic editioni acceſſere, *Diatriba* comparet, *de poteſtate conſecrandi & ſacrificandi Sacerdotibus a Deo conceſſa*, qua jam A. 1638 Hugoni Grotio (cujus tamen nomini in titulo tunc pepercit,) qui ſacramentum conſecrandi offerendique poteſtatem laicis quoque vindicare annilus erat, Petavius ſe oppoſuit. Denique erudita *de Pœnitentia publica & præparatione ad Communionem Diſſertatio*, Antonii Arnaldi librum de Frequenti Communione oppugnans, ſubnectitur, quam Gallico quondam idiomate conſcripſit Petavius, eo quidem nitore atque ornatu ſermonis, Henrico Valeſio ſi fides adhibenda, ut mirum videatur, hominem Græcæ, Latinæ, Hebraicæque linguæ tanta peritia inſtructum, vernacula etiam tam diſerte & compte ſcribere potuiſſe. E Gallico tamen ſermone in Latinum nunc translata comparet, ſummamque in ea vertenda curam atque diligentiam adhibitam fuiſſe, Alethinus in præfatione ſuperius commemorata aſſerit.

JOHANNIS JACOBI RAU RESPONSIO

ad qualemcunque Defenſionem Frederici Ruyſchii.


Amſtelædami, apud Ianſſonio-Waesbergios, 1700. in 4. plagul. 4.

Siſtitur hic ab *Autore Clariſſimo*, una cum *Epiſtola de Inventoribus ſepti ſcroti*, *Reſponſio* ad Apologiam eam, quam *Nobiliſſimum Ruyſchium* ſub calcem *Epiſtolæ Problematicæ duodecimæ* oppoſuiſſe *Noſtro*, in *Actis ſuperioris anni*, *menſe Novembri p. 519* ex parte commemoravimus. Quemadmodum vero nec omnem litis iſtius Anatomicæ originem, nec ſingula controverſiæ agitatæ momenta, in præſenti lubet exhibere: ita in Lectoris unice gratiam Bartiſchianum

Digitized by Google

A:1700.
.233.

fig. 2.



Digitized by Google

num inſtrumentum correctum in phalangoſi rite adhibendi modum, veramque, quam tunicæ ſcroti muſculoſæ *Autor* detexit, conformationem indigitaſſe, ac figuris dilucidaſſe ſufficiat. Scilicet, cum in phalangoſis, ſive palpebræ ſuperioris relaxatæ medela, quæ Chirurgi manu peragenda, imprimis portiuncula palpebræ reſcindi, vulnerisque labia ſuturæ adminiculo invicem conjungi debeant, inſtrumentum autem ferreum, quod Georgius Bartiſch in Ὀφθαλμοδȣλίᾳ Germanica p. 300 commendat, ſatis imaginarium videatur, *Noſtro* ad eam potius faciem, qua *Tab. IV. Fig. I.* apparet, redigere illud, talique ratione palpebræ relaxatæ adaptare viſum fuit, ut utrumque inter brachium cupreum palpebræ tantum, quantum reſecandum, ante omnia comprimeret, mox per inſtrumenti cochlea firmati foramina incurvatam acum cum filo trajiceret, filumque trajectum ad trium digitorum latitudinem utrinque relinqueret, hinc propendentem palpebram ipſam ad inſtrumentum cultello acuto reſcinderet, ac inſtrumento denique caute remoto, extremitates filorum eum in modum, quo in ſutura interſciſſa alias fieri conſuevit, absque multo dolore ſanguinisque profluvio, inter ſe connecteret. Homini autem non unum ſcrotum eſſe, ſed duo cuti involuta, i. e. carnoſam ſcroti membranam, communem hactenus falſo vocatam, ab utroque latere penis in duos ſacculos ſphæroideos circa binos teſticulos comprehenſos expandi, expanſorumque parietes contingentes facili negotio a ſe invicem divelli, ubi ea cutis portio ſeparata fuerit, quæ illorum conjunctionis rimam obtegendo ſuturam vulgo dictam conſtituit, exacte pariter obſervatur, atque *figuris* 2 & 3 (quemadmodum teſticulus proceſſu adhuc vaginali obvolutus *figura* 4) illuſtratur: ad quarum ſingularum quoque explicationem, ipſis Autoris verbis inſtituendam, recto nunc pede licebit progredi.

Tab. IV. FIG. I. TAB. IV.

Inſtrumentum indicat, quo in operatione, quam inſtituo in phalangoſi, utor, ex duabus cupreis lamellis conflatum tenuiſſimis, ſed tamen eo usque rigidis, ne facile flectantur. Applicatur palpebræ ſuperiori relaxatæ adeo, ut excavatio palpebram, cochlea canthum oculi minorem reſpiciat. Genuinam habet magnitudinem, ad figuram palpebræ appro-

Digitized by Google

priatam, tamen debet vel minus, vel majus fieri reſpectu palpebræ relaxatæ.

A. B. Duo inſtrumenti brachia cuprea.

C. Brachiorum junctura.

D. D. D. Tria foramina in ſuperiore lamella, quorum circumferentia ſpiratim excavata, cochleæ ſpiris reſpondere debet.

E. Unum foramen in brachio inferiore, quod nulla ſpirali excavatione indiget.

F. Cochlea.

G.G.G. G.G.G. Foramina in utroque brachio ſibi invicem ex directo ſuperpoſita.

H. H. Filum abſciſſum, per duo foramina utriusque lamellæ traductum, ope acus; quam K. K. indicat.

I. Filum per acus foramen pendens, quod longius eſſe debet, quam hic repræſentatur.

K K. Acus per utriusque lamellæ foramen trajecta, leviter curvata, ne oſſis frontalis eminentia, quæ orbitæ partem ſuperiorem, & exteriorem, conſtituit, impedimento ſit ejus traductioni.

FIG. II.

Scrotum humanum pubeſcentis mediocriter inflatum, & ligatum repræſentat.

A. Penis flaccidus, ad poſteriora reflexus.

B Cutis ſurſum reflexa, & in illa ſcroti parte ſeparata, quæ ſuturam inſculptam habet.

C. C. C. C. Cutis, ab membrana ſubjacente carnoſa, magis lateraliter ſeparata, & reflexa.

D. D. D. D. Cutis, quæ adhuc membranæ carnoſæ, duos ſacculos efformanti, adhæreſcit.

E. Arteriarum & venarum in cute ſcroti congeries, quaſi rete exhibens, quatenus in hoc ſcroto ſe viſui absque ulla prævia præparatione exhibebat.

. Cutis, ſuturam ſcroti oculis ſubjiciens, quæ a flatu, ſimul cum ſacculis pauliſper explicata, adeo translucet,

lucet, ut ſacculorum duorum hiatus, per hanc cutis partem, clare conſpiciatur.

G. G. Duo ſcrota ſeu ſacculi, ex membrana carnoſa formati, quatenus ſe, dempta cute, offerunt.

H. Fibræ ſiniſtri ſacculi carnoſæ, ad penem excurrentes.

I. Rima ſeu hiatus, ubi duo ſacculorum interni parietes concurrunt, perperam mediaſtini nomine deſcriptus.

K. Faſciculus vaſorum, per interſtitium duorum ſacculorum pullulans, quæ varie diſſeminata vaſa membranæ carnoſæ & cuti, (nam inter hanc & illam excurrunt) proſpiciunt.

L. Vaſculoſum rete in ſacculo ſiniſtro ex arteriis & venis conflatum, quatenus illud oculis conſpici a depictore potuit: nam in aliis præterea locis, ubi ſe æque viſui offerebat, non curavi ut depingeretur; quandoquidem non opus eſſe judicavi.

FIG. III.

Duos fere ſphœroideos, ex membrana carnoſa formatos ſacculos ab invicem ſeparatos exhibet, & leviter inflatos.

A. Penis flaccidus & reflexus ſurſum, & ad poſteriora.

B. Cutis, ut in præcedente Figura II litera B. notatur.

C. C. C. C. Cutis, ut in præcedente Figura II adhuc carnoſis ſacculis adhæreſcens notatur.

D. Teſticulus dexter in vaginali ſuo proceſſu adhuc involutus, & per hunc dexterum ſacculum quaſi per umbram viſus.

E. E. Duo ſacculi ſeu ſcrota ex membrana δαρτοῦ formata, ab invicem ſeparati.

F. F. Cutis ſeparata a ſacculis carnoſis, & reflexa, ut in Fig. II, C. C. C. C. notatur.

FIG. IV.

Teſticulum ſiniſtrum in ſuo adhuc proceſſu peritonei, vaginali dicto hærentem demonſtrat.

A. Teſticulus ex ſiniſtro ſcroto, Fig. III exemptus, ſuo adhuc proceſſu vaginali obvolutus.

Digitized by Google

B. Idem vaginalis proceſſus inflatus, & lig[illegible].

C. Vaſa teſticuli ſpermatica, hujus proceſſus ſuperficiei internæ adhærentia, & per membranam tranſparentia.

THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONUM PHILOLOgicarum & Hiſtoricarum Pars ſeptima.

Lugduni Batavorum, apud Abrah. van der Myn, 1700. in 8. Plag. 16.

DUm ad ſeptenarium jam perduxit Animadverſionum ſuarum numerum eruditiſſimus Crenius, tantum abeſt, ut in decerpendis ex iisdem floribus elegantioribus (quanquam nihil ſit in iis, quod ab elegantia ſe haud commendet,) tædio affici nos ſentiamus, ut partes etiam plures, quas poſthac ſuperadditum iri perſuaſum nobis eſt, avide admodum expectemus. Comparet autem in fronte ſtatim hujus partis ſagaciſſimus naturæ indagator Plinius, cujus varias editiones p. 1. ſqq. recenſet Autor, & ex iſtis ſplendidam illam in Delphini uſum a Jo. Harduino adornatam imprimis celebrat, eamque inter libros, qui in uſum Delphini prodierunt, reliquos, potiſſimum abs ſe æſtimari, p. 12. ſ. innuit. De Plinii vero Junioris Epiſtolis pauca quædam p. 24. ſ. commentatur, & p. 26. de Sexti Julii Frontini Στρατηγηματικῶν, ſive de ſolertibus Ducum factis & dictis libris quatuor, quam optime præter alios Samuelem Tennulium meritum affirmat. Quæ ſint Eruditorum de Petri Ravanelli Bibliotheca Sacra cenſuræ & judicia, p. 31. ſ. exponit, ſimilique induſtria, quid de Adriano Turnebo diverſis viſum fuerit, p. 64. ſ. oſtendit. Admiſſos a Rich. Simonio in Critica Veteris Teſtamenti lapſus quosdam, & fœdos maxime circa Sunniam & Fretelam errores, p. 40. ſ. explodit, quanquam nec Andream Rivetum de his recte ſtatuiſſe p. 42. innuat. Joannis Vitrarii prolixiſſimum elogium ex Eraſmo p. 150. ſ. repetit, ac Jo. Hoornbeekium taxat, quod nonnulla ab Eraſmo de Vitrario hoc dicta ad Jo. Coletum retulerit. Juſti Lipſii aliquoties meminit, dum modo, an per plagium Mureto quædam in ſuis ad Tacitum annotatis ſurripuerit, p. 4[illegible]. ſ. diſquirit; modo in ejus apoſtaſiam p. 54. invehitur; modo de Maria ejus Hallenſi p. 15. diſſerit. Plagium autem dum nominamus, non abs re fuerit, hoc loco ſimul indicare, quod ab iſto crimine

Digitized by Google

mine Conr. Ritterſhuſium p. 50, Joſephum Scaligerum p. 54, Eraſmum Roterodamum p. 209. ſ. Crenius noſter abſolvat. Num Lapide Philoſophico gaviſus ſit Jo. Arndius, p. 137. diſputat, ibidemque & paulo ante, ut Alchimiæ vanitatem palam oſtendat, valde operoſum ſe gerit. Andreæ Lancelotti determinationem Theologicam de decimis, p. 122. ſ. ſub examen revocat. Quanta cum paupertate colluctatus primum, ſed ea non obſtante ad maxima quæque graſſatus fuerit Wolfgangus Muſculus, p. 156. ſ. enarrat. Nec inficeta ſunt, quæ de decoro & generatim ſpectato, p. 94. ſ. & ſigillatim de oratorio, p. 100 ſ. in medium adducit. Statuas olim in clarorum virorum memoriam erigi intra Bibliothecarum ſplendidiorum cancellos ſueviſſe, contra Jo. Pricæum id negantem p. 154. ſ. contendit. Allegoriarum uſum & abuſum p. 188. ſ. pandit. Artem quandam manuariam ab his, qui Miniſterio ſacro ſe parant, addiſcendam, p. 201 haud diſſuadet, occaſione quidem epiſtolæ, qua Jo. Everhardi Geſteranus, perſecutionis metu adactus, ad iſtam confugere ſe velle anchoram Jo. Coddæo ſignificat, quamque non minus ac plures alias nondum hactenus vulgatas, pro more ſuo, in lucem prodire jubet. Sunt & in his ſequentes, quas lectu præ cæteris digniores exiſtimamus: Eccleſiarum Scholarumque quatuor Civitatum Helveticarum, Tigurinæ, Bernenſis, Baſileenſis & Schaphuſianæ, nec non Genevenſis, Paſtorum atque Profeſſorum ad Doctores & Profeſſores Academiæ Lugdunenſis Batavæ, qua & Arminianiſmum extirpandum ſuadent, & erigendam Amſtelodami novam Academiam diſſuadent, p. 172. ſ. Tychonis Brahe ad Joach. Camerarium juniorem, ædes Philoſophicas in inſula Huena ſumtibus haud exiguis erigendas intimans, p. 212. T. Jordani ad Carolum Cluſium, de Dudaim, p. 229. Ludovici de Dieu ad Jo. Chriſtoph. Hübnerum, qua ſuum erga Uſſerium affectum teſtatur, p. 223. Fauſti Socini ad Jo. Krzeſſium, æris, in quod aqua Scepuſii ferrum immiſſum convertat, libras aliquot expetens, p. 217. Conradi Vorſtii ad Hugonem Bruchtonum, qua hujus ille de ſignificatione vocis ᾅδης, deque deſcenſu Chriſti ad inferos ſententiam declarari ſibi cupit, p. 221. ſ. Rudolphi Capelli ad Stanislaum Lubienitzkium, in qua is Mithradates, non Mithridates, ſcribendum venire opinatur, p. 224. ſ.

Digitized by Google

LIBRI NOVI.

The Oceana of James Harrington, and his other Works; ſom vvherof are now firſt publiſh'd from his own Manuſcripts. The whole collected, methodiz'd, and review'd, with an exact Account of his Life prefix'd, by John Toland. London, printed and are to be ſold by the Bookſellers of London and Weſtminſter, 1700. fol.

Fables ancient and modern; translated into Verſe, from Homer, Ovid, Boccace, & Chaucer: with Original Poems. By Mr. Dryden. London, printed for Jacob Tonſon, 1700. fol.

A Paraphraſe on the Book of Job: as likewiſe on the Songs of Moſes, Deborah, David: on four ſelect Pſalms &c. By Sir Richard Blackmore. London, printed for Awnsham and John Churchill, 1700. fol.

Orang-Outang, ſive Homo Sylveſtris: Or, the Anatomy of a Pygmie compared with that of a Monkey, an Ape, and a Man. To which is added a Philological Eſſay concerning the Pygmies, the Cynocephali, the Satyrs, and Sphinges of the Ancients. By Edward Tyſon. London, printed for Tho. Bennet, 1699. 4.

Johannis Gravii, olim Aſtronomiæ in Academia Oxonienſi Profeſſoris Saviliani, Vita. Scriptore Thoma Smitho. Londini 1699. 4.

Memoirs of the moſt material Tranſactions in England, for the laſt hundred Years preceding the Revolution in 1688. By James Welwood. London printed for T. Goodwin, 1700. 8.

The Vanities of Philoſophy and Phyſick. By Gideon Harvey. London, printed for W. Turner, 1700. 8.

An Eſſay concerning Self-Murther. Wherein is endeavour'd to prove, that it is unlawful according to Natural Principles. By J. Adams. London, printed for Tho. Bennet, 1700. 8.

An Account of the Court of Portugal, under the Reign of the preſent King Dom Petro II. with ſome Diſcourſes on the Intereſts of Portugal, with Regard to other Sovereigns. London, printed for Tho. Bennet, 1700. 8.

An Abridgment of Sir Walter Raleigh's Hiſtory of the World, in five Books. Publiſh'd by Philip Raleigh, Eſquire, the only Grandſon to Sir Walter. London, printed for M. Gillyflower, 1700. 8.

An Account of the Islands of Orkney. To which is added an Eſſay con-

Digitized by Google

concerning the Thule of the Ancients. London, printed for Jacob Tonſon, 1700. 8.

A Demonſtration of the Meſſias. In which the Truth of the Chriſtian Religion is defended, eſpecially againſt the Jews. Part III. By the Right Rev. Father in God, Richard, Lord Biſhop of Bath and Wells. London, printed for W. Rogers, 1700. 8.

Henrici Dodwelli Chronologia Xenophontea. Oxoniæ e theatro Sheldoniano, 1700. 8.

The Rights, Powers, and Priviledges, of an Engliſh Convocation, ſtated and vindicated, in Anſwer to a late Book of Dr. Wake's, entituled, The Authority of Chriſtian Princes over their Eccleſiaſtical Synods aſſerted &c. *London, printed for Tho. Bennet, 1700. 8.*

Campania Felix. Or, a Diſcourſe of the Benefits and Improvements of Husbandry. London, printed for Tho. Bennet, 1700. 8.

The wiſe and ingenious Companion, French and Engliſh: or, a Collection of the Wit of the Illuſtrius Perſons, both Ancient and Modern. By Mr. Boyer, Author of the Royal Dictionary. London printed for Tho. Newborough, 1700. 8.

A Collection of original Voyages: publiſhed by Capt. William Hacke. London, printed for James Knapton, 1699. 8.

A Defenſe of a Book intituled, The Snake in the Graſſ. *In Reply to ſeveral Anſwers put out to it by George Whitbead, Joſeph Wyeth &c. London, printed for C. Brome &c. 1700. 8.*

Catalogus univerſalis Librorum in omni Facultate Linguaque inſignium & rariſſimorum. Londini apud Jo. Hartley, 1699. 8.

Letters written by Sir W. Temple, and other Miniſters of State, both at Home and Abroad. Containing an Account of the moſt important Transactions that paſs'd in Chriſtendom from 1665 to 1672. Review'd by Sir W. Temple ſometime before his Death: and publiſhed by Jonathan Swift. London, printed for J. Tonſon &c. 1700. 8.

A compleat Hiſtory or Survey of all the Diſpenſations and Methods of Religion, from the beginning of the World to the Conſummation of all things. By John Edwards. London, printed for Daniel Brown &c. 1699. 8.

The Royal Dictionary, in two Parts. Firſt French and Engliſh. Secondly Engliſh and French. By Mr. Boyer. London, printed for R. Clavel, &c. 1699. 4.

The

The Royal Dictionary abridged. By Mr. Boyer. London, printed for R. Clavel &c. 1700. 8.

Jo. Schilteri de Pace Religioſa Liber ſingularis. Acceſſerunt Acta, Conſilia, Reſponſa & ſimilia hoc argumentum illuſtrantia. Argentorati, ſumptibus Jo. Reinh. Dulſſeckeri, 1700. 8.

Johann Sebaſtian Müllers Annales des Chur-und Furſtlichen Hauſes Sachſen. Weimar, in Verlegung J. L. Gleditſch, 1700. fol.

Nicolai Parthenii Giannettaſii S. J. Bellica. Neapoli apud Jac. Raillard, 1699. 12.

Procli Philoſophi Platonici Vita, ſcriptore Marino Neapolitano, quam nunc demum integram edidit Jo. Albertus Fabricius. Hamburgi apud Godofr. Liebezeit, 1700. 4.

Georgii Wolffgangi VVedelii Exercitationes Semiotico-Pathologicæ. Jenæ, apud Jo. Bielkium, 1700. 4.

Metamorphoſis naturalis, ſive Inſectorum Hiſtoria, ubi quam diligentiſſime eorum natura, dotes & varia metamorphoſes aperiuntur a Jo. Goedart. Amſtelod. apud G. Gallet, 1700. 8.

Antiquitates Meierianæ, ſive de Meieris Diſſertatio: auctore Joachimo Meiero. Gottingæ, typis Josquini VVoyken, 1700. 8.

B. Adami Tribbechovii Hiſtoria Naturaliſmi. Jenæ, apud Jo. Bielckium, 1700. 4.

Flora Noribergenſis, ſive Catalogus Plantarum in Agro Noribergenſi tam ſponte naſcentium quam exoticarum &c. Auctore Joh. Georgio Volckamero. Noribergæ, ſumptibus Michaellianis, 1700. 4.

Joh. Dieterici Lectiones Quotidianæ, ſive Millenarius Obſervationum Singularium. Lipſiæ, ſumptibus Henr. Boye, 1700. 8.

Jo. Jacobi Schudt Compendium Hiſtoriæ Judaicæ. Francof. ad Mœnum, apud Frid. Knochium, 1700. 8.

Otthonis Sperlingii de Nummorum bracteatorum & cavorum origine & progreſſu. Lubecæ ſumptibus Petri Böckmanni, 1700. 4.

Juſtini Martyris cum Tryphone Judæo Dialogus, ſecundum regulas criticas examinatus & falſitatis convictus, opera Chriſtiani Gottlieb Koch. Kiloni, ſumptibus J. S. Riechelii, 1700. 8.

Alberti a Felde Epiſtola ad Ch. G. Koch de Dialogo Juſtini Martyris cum Tryphone Judæo. Sleswici, impenſis Autoris, 1700. 8.

Joachimi Hildebrandi Antiquitates ex univerſa Scriptura S. ſelecta. Helmſtadii, apud G. VV. Hammium, 1700. 4.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Junii, Anno M DCC.

MAGNUM OECUMENICUM CONSTANTIENSE CONCILIUM de Univerſali Eccleſiæ Reformatione, Unione & Fide, VI Tomis comprehenſum. Sereniſſimi Brunſvicenſium Ducis RUDOLPHI AUGUSTI auſpiciis, ex ingenti antiquiſſimorum & fide digniſſimorum MSCtorum mole diligentiſſime erutum ac recenſitum, multisque figuris aneis exornatum, opera & labore Hermanni von der Hardt/ *Cænobii Mariabergenſis Præpoſiti & Academiæ Juliæ Profeſſoris.*

Francofurti & Lipſiæ in officina Chriſtiani Genſchii, 1700. fol.

Conſtat 38 circiter alphabetis, & figurarum æneárum alphab. 1. plag. 7.

R*Egum* ac *Principum* hæc præ ceteris decora, qui non ſolum *armis* rem ſacram & civilem tueantur, ſed & *literis* utramque illuſtrent & propagent. Quanquam enim in quolibet foro conſtituerint viros rerum gerendarum peritos; ſine Principum tamen celſiſſima manu penetrantiſſimoque nutu nonnulla momenta illi verſare atque efficere non auſint vel ſuſtineant: quod ipſe interdum majeſtatis autoritatisque fulgor, Principis propenſio & voluntas, viam detegere ac commeantibus animum addere, ſumptuum denique nervus fortiſſimo debeat eſſe præſidio. Beata Europa Chriſtiana his Principibus, qui publicam ſalutem non armis duntaxat munire, ſed & literarum monumentis ſartam tectam conſervare, integramque poſteritati committere allaborant. In quo auguſto Principum Euro-

Digitized by Google

pæ conſeſſu, *SERENISSIMUM BRUNSVICENSIUM AC LUNÆBURGENSIUM DUCEM*, *RUDOLPHUM AUGUSTUM*, orbis literatus ſereno plauſu hoc quoque nomine veneratur, quod non duntaxat literatos foveat, largis illos beneficiis afficere ſuetus, literariamque ſupellectilem magno ſumptu componat, ſed &, quod præcipuum, *ex reconditis ac oblivione ſepultis antiquis monumentis publicæ rei*, ſacræ & civili, *ornamenta ac præſidia parare* poſteriſque ſuggerere, magno animo & felici ſucceſſu contendat. Ut alia mittamus, in *Actis* ſuo loco memorata, vel unum, ſed grande atque illuſtre *Opus Conſtantienſis Concilii*, quod orbi jam dedit literato, abunde docebit, quanta ſollicitudine, Principe digna, non *Germaniæ* ſolum, *Imperiique Romano-Germanici*, *Cæſaris* ac *Principum* ſub hoc cœlo, ſed & univerſi *Orbis Chriſtiani*, Regumque cunctorum, fines etiam Europæ tenentium, *autoritatem*, *jura*, *ſalutem* & *tranquillitatem*, præclaris Majorum argumentis illuſtrare ac *corroborare* ſit anniſus. Profecto, non fuit hominis privati, hoc Opus moliri, profundis merſum tenebris, nec viri vel ſagaciſſimi, fontes perſpicere, unde hæc publicæ rei adjumenta atque decora promenda. Intererat Germanicæ gentis, exacte ſcire, quid pro publica ſalute Conſtantiæ quondam confeciſſet aut apparaſſet Imperator Auguſtiſſimus. Intererat cunctorum Principum Regumque, curatius noſſe, quid & ipſi in œcumenica hac Synodo pro publicæ rei commodis monuiſſent vel inſtruxiſſent, aut quæ tanti moliminis fata illa tempeſtate extitiſſent. Quippe quæ Majorum, Principumve, ſapientiam, dignitatem, virtutem, valde commendent, ac vel æmulandi viam monſtrent, vel cavendi materiam ſubminiſtrent. Vidit autem laudatiſſimus Princeps, has *Conſtantiæ Germanorum* proditas Principum, Magnatum ac Virorum eruditorum res geſtas, minima ex parte tot ſeculis expoſitas & in lucem eſſe productas. Quare, quo in publica commoda fertur amore, quo in Cæſaris Imperiique dignitatem ducitur ſtudio, quo in Regum Principumque res fortiter geſtas rapitur affectu, nil Sibi intermittendum putavit, modo ex latebris produceret, ex tenebris erueret, ex genuinis & antiquis *MSCtis codicibus*, in reconditis Europæ tabulis latentibus, *magni illius Concilii facta & fata* tanquam ex ruderibus eruderaret. Factumque adeo, ut *Auguſtiſſimus Imperator* noſter LEOPOL-

Digitized by Google

POLDUS MAGNUS, impenſæ huic Ducis in Imperii ſalutem affectioni indefeſſæque curæ clementiſſime annueret, atque ex *auguſtiſſima Sua Cæſarea Vindobonenſi Bibliotheca*, *incomparabili MSCtorum theſauro*, ingentem inæſtimabilium MSCtorum huc facientium apparatum gratioſiſſimo nutu commodaret. Maxime, quod intelligeret, omnem recenſum integerrimum futurum, quo nullius dignitas vellicaretur, & res a Cæſare & Principibus quondam geſtas ſincere & dilucide, absque omni cenſura, expoſitum & declaratum iri. Neque diſſimulabimus, potiora atque illuſtriora monumenta, Conſtantiæ in Concilii luce ab illuſtribus viris edita, tenebris hactenus preſſa, admirabili fato ex *vere aureis* iſtis *MSCtis Cæſareis* fuiſſe derivata. Neque deſtitere Principes alii, ex ſuis quoque ſanctioribus tabulis illa antiqua *MSCtorum volumina* Duci ſuppeditare, quæ ad augendam hanc Majorum gloriam factura videbantur. Liberæ quoque Imperii civitates, aliæque urbes, his opibus literariis abundantes, ſimiliter & nobiliſſimæ Academiæ, in Germania, Gallia & Anglia, peregregia Duci ſubmiſere antiquæ hujus rei argumenta, codices MSStos præclariſſimos. Ex hoc igitur *ingenti MSCtorum cumulo* & pretioſiſſimo apparatu hauſta *Magni* illius & *in Germania primi Univerſalis Concilii*, *Conſtantiæ ad Rhenum* magnificentiſſime *celebrati*, *Acta publica*, ſex Tomis comprehenſa, maxima ex parte hactenus *inedita*. Quæ *decenti ordine* ita ſunt diſtributa, ut integra rarioraque magnorum virorum monumenta, illa ætate Conſtantiæ in Concilii flore orbi exhibita, quibus *Eccleſiaſticæ diſciplinæ emendationem ac reformationem univerſalem* vel poſtularent, vel deſcriberent, vel formarent, magno numero, juxta rei geſtæ ſeriem & nexum, in principio ſint recenſita. Tantoque ſollicitius hæc ex abſtruſis latebris eruta, quanto minus de *arduo* iſthoc *Concilii Conſtantienſis argumento*, primo certe ac potiſſimo, publice in hunc usque diem conſtitiſſe, cum Spondano faſſi Hiſtorici ſolertiores. Atque hæc quidem integrum *primum* abſolvunt *Tomum*. Deinde, publicæ pacis & tranquillitatis argumentum, ex *tribus Pontificibus*, illo tempore in Eccleſia exiſtentibus, *ſede motis*, ex ſuis *Tomo ſecundo* detectum originibus. Poſthæc, quibus ultro citroque ſcriptis, in Concilio publicatis, *variæ religionis momenta* viri eruditi ventilarint, ex genuinis ſuis fontibus

Tomo tertio enarratum. *Tomus quartus* vaſtum comprehendit *Corpus Conſultationum & Decretorum*, Seſſionibus XLV Congregationibus publicis & nationalibus millenis abſolutum, ex autenticis permultis codicibus MSCtis diffuſo labore derivatum. *Tomus quintus* præclarum Concilii *apparatum*, & admirabilem *pompam*, ampliſſimumque rerum agendarum *ordinem* MSCtorum ope explicuit. *Tomus ſextus de autoritate & fatis hujus Concilii*, teſtibus Concilii patribus allectis, diſſeruit. Quod perdifficile negotium a literatiſſimo Principe commiſſum illuſtri remotæque antiquitatis amanti & publicæ ſalutis cupido Viro Hermanno van der Hardt, Academiæ ſuæ Juliæ Profeſſori celeberrimo: qui omni ſtudio, integro quinquennio, in id incubuit, ut ex centenis laudatis MSCtis, res tantas tanquam ex profundis ſepulcris ex voto Principis effoderet, ſuo loco omni fide recenſeret, ac pro fatis ornatas publico conſpectui exhiberet. Decor etiam quæſitus ex *figuris æneis*, per ſuos quibusque Tomos diſtributis, ad conſervandam illarum quoque Urbium & Academiarum memoriam, ex quibus rara MSCtorum præſidia eſſent ſuggeſta & ſubminiſtrata, ſedulo compoſitis. Habebit poſteritas in tanto Principe, quod æmuletur; habebit emolumentum publicum, quod ſibi gratuletur. Faxit Deus, vivat *Heros Septuagenario major*, ut quæ ſecundæ luculentiori magni Operis editioni ex aliis MSCtorum reliquiis jam parat, aliudque non minoris molis Opus, Baſileenſis Concilii Acta complexum, multis Tomis diſtribuendum, MSCtorum ſubſidio, ut ſerio molitur, pari fortuna ex denſa antiquitatis caligine liberaliſſime ac munificentiſſime producat.

THE ENGLISH HISTORICAL LIBRARY &c.

ſive

BIBLIOTHECÆ HISTORICÆ ANGLICANÆ PARS III.

Siſtens recenſum Tabularum publicarum, Librorum Juris municipalis, ac Nummorum, ab invaſione Normannorum usque ad deceſſum Eliſabethæ Reginæ celebrium, quatenus hiſtoriæ inſervire poſſunt.

Autore GULIELMO NICOLSON A. M. Archi-Diacono Carleolenſi.

Londini, apud Timoth. Childe, 1699. 8. plag. 22.

Di-

DIgniſſimum patriæ ſuæ civem rerumque Albionenſium ſtrenuum adſertorem ut ſeſe præſtaret Celeberrimus Autor, nihil intentatum omittere voluit, quod abſolutionem muneris penſique adeo glorioſi ullo modo maturare poſſet. Quapropter non contentus inſtructiſſima ſupellectile hiſtorica, quam e monumentis vel profanis vel eccleſiaſticis jam adornaverat, cujusque duo priores tomi, quorum primum menſe Januario A. 1697, alterum ſectione ſexta tomi III Supplementorum recenſuimus, eruditis indicium fecerunt; cum ſubodoraretur, quamplurima adhuc in legum voluminibus, commentariis publicis, ac nummis paulo antiquioribus recondi, quæ neglecta hiſtoriam Anglicam magna ſplendoris ſui parte mutilarent, de tertio tomo in lucem evulgando conſilia ſecum iniit, eique ceu horreo reſiduas ſpicas hinc inde collectas concredidit. In præfatione ergo civium ſuorum ſtudia ad detegendas legum ac jurium, quibus utuntur, origines gravi paræneſi excitat, Polydorum Vergilium inſtar omnium in ſcenam producens, qui cum hoſpes eſſet in Hiſtoria legum Anglicarum, a creberrima ceſpitatione ſibi cavere non valuit. Hinc Camdenum quoque, Cottonum, aliosque Viros cordatos, qui initio hujus ſeculi Londini Societatem illam Antiquariorum conciliare ſtuduerunt, hanc imprimis operam ſubire voluiſſe refert, ut domeſticarum legum antiquitates ex inveteratis fabularum ſordibus in clariorem lucem protraherent. Pernicioſa enim ſocordia detinebantur Leguleji fere omnes, ut quoties vocem vel conſuetudinem paulo antiquiorem obſervarent, cujus origo in impreſſis ſtatutis, commentariis aut manualibus ipſis enodata non exhiberetur, eam confeſtim ſub rubricam Juris communis compingerent, præclare ſecum agi rati, quod exſtructo tam opportuno ignorantiæ ſuæ aſylo, ab ulteriore indagatione ſibi otioſis eſſe liceret. Nimirum Jus iſtud commune, ac ſi cum Palladio Trojano cœlitus delapſum fuiſſet, non eandem cum reliquis rebus conditionem induiſſe, ſed inconcuſſum ſemper manſiſſe comminiſcebantur, adeo ut nec Romani, nec Saxones, nec Dani, vel Normanni, animadverſa ejus æquitate ſumma, & dictamini rectæ rationis per omnia congruente, quicquam circa illud immutare, aliasque leges ſubrogare, ſibi integrum putaverint. Nonnulli vero, quibus delirare non conceſſum, appellationem Juris communis illi

rhapſodiæ, quam e legibus prædeceſſorum ſuorum Eduardus Confeſſor compilavit, ac Gulielmus Conqueſtor enixis Anglorum precibus permotus, inſperſis feudalibus legibus, poſtea confirmavit, tributum eſſe arbitrantur. His æternitatem vel immutabilitatem ſi quis vendicare non erubeſcat, humanæ profecto ſorti eas prorſus eximeret, atque ad divinam originem nimis temere referret. Ut ut enim inter omnes in confeſſo ſit, ſingulas fere gentes a principiis ſanæ rationis, quæ nullam mutationem agnoſcunt, & divinarum legum partem conſtituunt, plurima præcepta mutuatas eſſe, ipſum tamen Syſtema Juris municipalis cujusvis populi, iisdem converſionibus ac deliquiis cum ſtatu politico ſubjacuiſſe, negari pariter nequit. Tantas igitur legum vices ſi quis attente luſtraverit, ad cauſas earum ſagacem narem ſubinde adplicans, optimam demum atque utiliſſimam hiſtoriæ partem ſuppeditaverit. Idem quoque emolumenti in patriam brevi derivatum iri conjicit Autor, reviviſcente nunc inter populares antiquitatum Britannicarum amore, genioque eruditorum magis prono ad fontes legum vernacularum indagandos, quibus & ſpeciminis & incitamenti loco, opulentam rerum hujus farinæ materiem in ſeptem capita congeſtam obtulit. *Primum* quidem de Proclamationibus, Mandatis Concilii ſanctioris, aliisque Inſtrumentis publicis intra ambitum Curiæ Regiæ Palatiique Regalis; *Secundum* de Actis, Decretis, Diariis &c. utriusque Parlamenti; *Tertium* de Tabulis publicis Judiciorum Regalium, quæ Weſtmonaſterii habentur; *Quartum* de Comitiorum Provincialium, ac Seſſionum, quæ ab Irenarchis ſeu Judicibus criminalibus celebrantur, aliorumque Judiciorum inferiorum in Anglia & Wallia Commentariis; *Quintum* de Compilatoribus Legum, Annalibus ac Relationibus; *Sextum* de Judiciis Eccleſiaſticis illorumque Commentariis; *Septimum* de Inſtrumentis alienationis, Syngraphis aliisque Teſtimoniis, quæ ſub privatorum cuſtodia deliteſcunt, inſcribitur. Nobis in præſenti miſſis iis, quæ indigenarum curioſitatem magis expoſcunt, nonnulla e tanto apparatu libare animus eſt, quæ Lectoris, quantumvis extra orbem Britannicum conſtituti, palato apta noverimus.

Pag. 2. ſeqq. oſtendit, antiquos Reges ſigillis, quibus Diplomata firmarunt, ſuam effigiem ab uno latere ſolio,

ab

ab altero equo inſidentem ſemper exhibuiſſe, donec Richardus I inſignibus armorum gentilitiorum, duobus ſcilicet leonibus primus uti cœpit; quibus cum paulo poſt Johannes, jure Ducatus Aquitaniæ, tertium ſuperaddidiſſet, reliquos Reges ad unum omnes imitatores nactus eſt. Eduardus III, anno tertio ſupra decimum regiminis, avito δείγματι lilia Francica ſociavit, duas areolas illis in quadripartito ſcuto aſſignans, totumque interdum lemmate Equitum periſcelidis, *Honi ſoit* &c. circumdans: illud quippe ſupremæ poteſtatis inſigne, *Dieu & mon Droit*, Richardus jam adſumſerat; ſed neutri ante tempora Henrici VIII in ſignaculo majori locus conceſſus fuit. Plus diverſitatis in titulis regiis interceſſiſſe notat, ſiquidem Wilhelmi ambo, Conqueſtor & Rufus, Henricus I item ac Stephanus, *Reges Anglorum*, vel tantum, vel adjectis interdum verbis *Dei gratia*, ſeſe ſcripſerunt: Henricus vero II *Rex Angliæ Dux Normanniæ & Aquitaniæ & Comes Andegaviæ* inſigniri voluit; quem titulum Johannes elogio *Domini Hiberniæ* auctiorem reddidit, ſed rurſus mutilavit Henricus III anno quadrageſimo quarto regni, ita ut tantum *Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ & Dux Aquitaniæ* ſcriberetur. Obtinuit quoque hic titulus usque ad annum decimum tertium Edoardi III, quo ejusdem tenor hic fere fuit: *Eduardus Dei Gratia Rex Angliæ & Franciæ & Dominus Hiberniæ.* Richardus II poſtmodum, ac Henricus IV inverſo ordine *Reges Franciæ & Angliæ;* ac demum Henricus V *Rex Angliæ, Hæres & Regens Franciæ* dici maluerunt. Novum regalibus titulis incrementum adjecit Henricus VIII, cum ob cauſam Papalem ſcriptis contra Lutherum propugnatam a Leone X encomio *Defenſoris fidei* mactaretur, licet non deſint, qui iſtud jam ante ab aliis Regibus uſurpatum fuiſſe contendant. Idem Henricus *Supremum* quoque *Caput Eccleſiæ Anglicanæ*, aſſenſu Curiæ utriusque, vocari cœpit, quem honorem Eduardus IV agnovit, nec Maria, utut Pontificis majeſtatem revereri adſueta, regni ſui primordio averſata eſt, Eliſabetha autem ſemper repudiavit. Pluralem numerum & vocem *Nos* in epiſtolis primus introduxit Johannes, ejusque Succeſſores conſtanter retinuerunt. Pag. 16, ubi Acta Legationum diligenter inſpicienda commendat, in Bibliotheca Cottoniana quadraginta tria volumina ſe vidiſſe narrat Autor, quibus tantum pacta & conventiones inter Anglos, Scotos, & Gallos initæ contineantur. Pag. 35, priusquam *Charta magna*

Digitized by Google

magnæ ſic dictæ, quam Spelmannus *Auguſtiſſimum Libertatum Anglicarum Diploma & Sacram Anchoram appellat*, mentionem injiciat, e Joh. Sarisberienſis lib. 8. c. 22. de Nugis Curialium meminit, ætate Stephani Regis, adeo exoſum fuiſſe in Anglia legum Romanarum nomen, ut cum domus Theobaldi Britanniarum Primatis ex Italia eas adſciviſſet, regio edicto fuerit prohibitum, ne a quoquam leges illæ retinerentur. Huc quadrant, quæ probata antiquitate Curiæ Cancellariæ, priſcis Saxonum temporibus jam notæ, p. 84. de *Regiſtro de Cancellaria*, prout vulgo audit, diſcurrit, ex cujus præclari monimenti inſpectione evidentiſſimum argumentum emanare putat, Jus Commune ſeu Municipale Anglicum minime conflatum eſſe ex Romano, cum in illo vix unicam dictionem eo ſignificatu acceptam reperias, ac quidem in Jure Romano occurrat. Notatu digniſſima ſunt, quæ pag. 88 ſeqq. de Curia Fiſci regii (*Exchequer*) & pag. 96. ſequ. de libro Cenſuali totius Angliæ, quem *Domesday Book* vernacula lingua vocant, in medium affert. Hunc quippe venerandæ vetuſtatis librum duobus voluminibus diſtinctum, & antiquis literarum ductibus ac ſiglis exaratum, Guilielmus Conqueſtor, poſtquam ablegati ejus quatuor (vel ut alii volunt ſex) annos integros periegeſi ditionum præcipuarum impendiſſent, anno vigeſimo regiminis ſui confici, inque illum non modo nomina omnium urbium, oppidorum ac pagorum Angliæ, (exceptis quatuor Comitatibus Septentrionalibus, Dunelmenſi, Northumbrico, Cumbrenſi & Veſmarienſi) recenſum item Baronatuum, Feudorum equeſtrium arvorumque ſingulorum, ſed etiam numerum familiarum, vaſallorum, militum, agricolarum, ſervorum ac pecudum, & quantos reditus, quot prata, paſcua, ſaltus, compaſcua, paludes, planities &c. unusquisque poſſederit, exacte referri juſſit. Quin & tanta hodienum pollere autoritate a Noſtro aſſeritur, ut in litibus aliisque negotiis dirimendis ſententiam decretoriam, a qua partibus diſcedere haud licet, ſuppeditet. Sub triplici autem ſera eum cuſtodiri, & quoties quis eundem ſui inſtruendi cauſa conſulere velit, toties honorarii nomine ſex ſolidos cum octo denariis, & pro cujusvis lineæ transſcriptione quatuor denarios exſolvere debere. Ad p. 212. ſeqq. innuit, cauſas teſtamentarias apud Normannos olim ad forum Eccleſiaſticum pertinuiſſe, tabu-

Digitized by Google

tabulasque ultimarum voluntatum in præſentia parochi vel vicarii parochiæ, in qua teſtator vixit, ac notarii Apoſtolici fuiſſe apertas, iſtaque ſolemnitate plenum probandi robur accepiſſe. Pag. 225 ſeqq. de ſigillis privatorum prolixe non minus quam ingenioſe tractat, multosque in ea verſari opinione docet, quod facultas propriis ſigillis utendi, ante tempora Eduardi III, non promiſcue omnibus competierit, Regis utpote Pariumque Regni prærogativis accenſita. Alii ſtatuerunt, neminem, qui militares annos nondum attigiſſet, aut militari balteo nondum fuiſſet cinctus, peculiare ſigillum habuiſſe, ſed neceſſitate exigente patrem, matrem, vel tutorem ſuum appoſuiſſe, iſtudque provide ita fuiſſe ſancitum, ne quis judicii atque ætatis fragilitate ſeductus, ſigillo in rei familiaris diſpendium uteretur. Sed Autor contrariam ſententiam, quod nimirum ſigillorum uſus generalis, & mature ſtatim poſt irruptionem Normannorum receptus fuerit, firmiori talo inniti, pluribus oſtendit, illamque teſtimoniis Ingulphi, Granvilli aliorumque Hiſtoricorum ſatis evinci putat, hoc inſuper addens, quod ubi quis nudum ſigillum tantum in judicio antiquitus recognoverit, tum omnino conventione in chirographo expreſſa ſtare debuerit, querela amiſſionis ſigilli vel fraudulosæ interceptionis nequicquam juvante; ſuæ enim negligentiæ tum imputare debuiſſe damnum, culpa ſigilli male cuſtoditi contractum. Sed noſtri non eſt inſtituti tam referta granaria prorſus evacuare, inprimis cum *octavum* ſeu ultimum caput, in quo de moneta ac numiſmatibus Anglicis diſtincte agitur, uberrimam adhuc meſſem oſtendat. Autor enim perſuaſus, ſupellectilem nummariam bibliothecarum ornamentis non modo, verum etiam maxime utilibus ac neceſſariis appendicibus, noſtro ævo accenſeri, nec præſentem, publico uſui apertam, exacta rei nummariæ pertractatione carere ſuſtinuit. Memoratis ergo ſcriptoribus tam editis quam ineditis, qui in hac arena diu ante deſudarunt, ſuoque judicio de illorum laboribus, nimis perfunctoriis, ſtrictim expoſito, laudat ingenioſiſſimi Evelyni ſagacitatem circa numiſmata ſolemnia conquirenda; duo tamen, ſub Eliſabetha percuſſa, ejus induſtriam effugiſſe indicat. Unum quidem exhibet caput Reginæ corona cinctum, additis verbis, *QUID NOS SINE TE*; in averſa autem illius parte caſtellum globo innitens

Digitized by Google

cum epigrapha, *QUID HOC SINE ARMIS*: alterum vero figuras viri, mulieris & duorum puerulorum geſtu precantium refert, numero anni 1588 ſubſcripto, impreſſaque ſententia, *HOMO PROPONIT, DEUS DISPONIT*; in altera facie navigium fluctibus agitatum exhibet, cum verbis, *HISPANI FUGIUNT ET PEREUNT NEMINE SEQUENTE*. Inde progreſſus ad monetam, in commercio Anglis uſurpari ſolitam, per ſingulas ætates, filum conſuetæ epochæ ſequens, eandem examinat, aſtruens argentum, quod ambo Guilielmi, Conqueſtor & Rufus, ſignari fecerunt, valore & figuræ exilitate ab illo, quod Reges Saxonici introduxerunt, minime diſcrepaſſe, obverſamque faciem Regis, dextra crucem, læva ſceptrum tenentis, diademate unionibus dictincto, ac lemniſcis ab utraque aure pendentibus, arcu inſuper caput ejus obliquante, ceu nummis Imperatorum Orientis familiare eſt, oſtendiſſe, verbis circum ſcriptis, WILLEM. REX. ANGLO. vel WILLEM. II. REX, vel etiam LE REY WILAM: averſum vero latus repræſentaſſe crucem floridam cum quatuor bacillis ſeſe decuſſantibus, ac nomine urbis, quæ officina monetali inclaruit. Cæterum in tanta denariorum exilitate, majores ſummas non numeratas, ſed appenſas, ac juxta pondus libræ, marcæ &c. ſolutas fuiſſe, Noſter probat. Henrici I denariis, ut ut non diſparis cælaturæ ac moduli, hanc inſcriptionem tribuit, HENRIC. REX. & LEFPARD. ON. SV+: cumque dicto Principi ſtudium pecuniam integre conſervandi apprime cordi fuerit, hinc ſeveras in ejus adulteratores pœnas eum promulgaſſe ait. Ita namque uſus increbuerat, ut Regiæ officinæ monetariæ a cæteris, quæ in provinciis paſſim erectæ erant, pro ſingulis formis vel cuneis cenſus determinatus ſolveretur, quod *Monetagium commune* appellarunt; officinatoribus autem ad pecuniam corrumpendam converſis, Henricus graſſantem in dies nequitiam refrænaturus, maleferiatis iſtis hominibus inferiores corporis partes, manusque dextras præſcindi juſſit. Hac occaſione Cl. Autor illos quoque ſcrupulis liberaturus, qui in tanta Regum ſerie, quibus Eduardi vel Henrici nomen præfulſit, difficulter admodum aut nullo modo eorum nummos diſtingui poſſe conqueruntur, vel coronarum figuras, vel lemniſcos & titulos, vel temperamentum metalli nummique modulum conſiderare jubet, atque exinde diverſitatem abunde deprehenſum iri, affir-

affirmat. Regnante Stephano, magnam argenti vim ſignatam fuiſſe, hariolatur ex verbis Gulielmi Neubrigenſis, eo quod tum temporis *tot quodammodo Reges vel potius Tyranni* extiterunt, *quot Domini caſtellorum, habentes ſinguli percuſſuram proprii numiſmatis & poteſtatem ſubditis regio more dicendi jus.* Imo peregrina quoque pecunia in commercium adoptari meruit, præſertim Byzantina ex auro & argento fabricata, cujus valorem hic Autor expendit. Poſthinc de Henrici II nummis dicturus, in denominatione monetæ Sterlingicæ eruenda operoſus eſt, atque ex Kenneto obſervat, vocem Sterilenſis jam Orderici Vitalis ævo, qui ejusdem in geſtis anni 1082 mentionem facit, tritam fuiſſe, ac juxta ejus opinionem, ob exactam temperaturam ac bonitatem pecuniæ, a Saxonicis vocibus *Steor* vel *Steoran*, quæ *Regulam* & *Regulare* ſignificant, derivari. Spelmanno vero aliisque potius placuit ab *Eſterling*, ſpecie normæ mercatoribus ex Orientalibus plagis in Angliam appellentibus uſitata, vel ab ipſis primis monetæ cuſoribus, qui ex Orientalibus oris forte fuerint, vocabuli radices deducere. Verum enim vero his opinionibus quo minus calculum adjiciat Autor, fecit, quod in plurimis inſtrumentis invenerit, Sterlingum idem denotare ac denarium, atque utrumque vocabulum promiſcue applicari monetæ parvæ, quam priſci Reges cudi juſſerunt, adeoque in ſtellulis, (*Stars*) in averſa ejus facie conſpicuis, appellationis cauſam quærendam exiſtimat. In Richardi I & Johannis nummis vix aliam præter nominis mutationem obſervat, niſi quod prior ob expeditionem inanem in Terram Sanctam, atque enorme lytrum, in reditu perſolutum, pecuniam potius adulteravit quam auxit. Regnum Henrici III peſſimum genus hominum produxit, qui monetam ita, ut literarum ectypi prorſus delerentur, radere auſi ſunt, in quos pœnarum rigore fuit animadverſum, mercatoribusque, ut ponderis rationem inirent in ſolutione, ſevere injunctum. Eduardus I, ut multa alia a patre ſuo incepta laudabiliter perfecit, ita monetæ quoque anno tertio, poſtquam ſceptra capeſſerat, certam juſtamque normam dedit, juſſitque uti inpoſterum as monetæ undecim unciis, duobus denariis & ſemiobulo argenti bracteati puri, & ſeptendecim denariis obuloque cum ſemiſſe temperamenti conſtaret: hujusmodi libra e duodecim unciis compoſita viginti ſoli-

Digitized by Google

dorum triumque denariorum valorem haberet, quælibet vero uncia viginti denarios, & quivis denarius viginti quatuor grana cum dimidio penderet. Circa exoticam pecuniam copioſe in Angliam affluentem ſapientiſſime providit, ut adulterina penitus e commercio exularet, quædam cum moderamine toleraretur. Num ejus autoritate Groſſorum uſus acpercuſſio invaluerit, Autor diſputat, pariterque ambigit, an Eduardus II unquam pecuniam ſignari curaverit. Verum Eduardus III Regum ingenio & imperii gloria ſua ætate clariſſimus, avi ſui veſtigia premens ſevere prohibuit, ne fallax exterarum regionum pecunia ad defraudandos ſubditos ſuos inventa importaretur. Groſſi ejus, quibus valor quatuor denariorum inhæſit, faciem ejus obverſam coronatamque oſtendunt, cum inſcriptione, *EDVVARD. D. GRA. REX. ANGL. ET FRAN. D. HYB*: averſum vero latus ſymbolum, quod omnibus quoque ſucceſſoribus usque ad Regnorum unionem arriſit, in majori circulo gerit, *POSUI DEUM ADJUTOREM MEUM*; in minori exhibet verba, *CIVITAS LONDON.* vel *CIVITAS EBORACI.* Poteſtatem autem minutæ pecuniæ feriendæ Abbatibus aliisque regni Proceribus fuiſſe indultam, diploma Regis in teſtimonium adducit, in quo *Abbati & Monachis de Radyng tres Cuneos de duro & competenti metallo, unum pro ſterlingis, alium pro obolis, & tertium pro ferlingis* conceſſiſſe legitur. Hic quoque primus aurum ſignari atque exinde Florenos & nummos Roſatos conflari fecit, in quarum vocum origines Autor pro more inquirit, ac priores quidem in conventione, quæ inter Petrum Arragoniæ Regem atque Eduardum, de ſtipendio exercitui Anglicano exſolvendo, anno 1365 fuit inita, deſcriptos legi notat *Cugnos de Florentia boni auri & legitimi ponderis.* De moneta Richardi II, quæ ſymbolum, *AUXILIUM MEUM A DOMINO*, inſcriptum habuit, nec non de nummis Henricorum IV & V fuſius agit, atque ab hoc novum numiſma aureum excogitatum fuiſſe obſervat, in quo Angelus Beatam Virginem ſalutans conſpiciebatur, illi quidem inſignibus Angliæ, huic Franciæ appoſitis, cum elogio Regis, verbisque in averſa facie rutilantibus: *CHRISTUS VINCIT. CHRISTUS REGNAT. CHRISTUS IMPERAT.* quæ inſcriptio in aureis Ludovici Magni apparet, ac Cangio judice una cum charactere Franciæ ſoli vindicanda.

canda. Reliqua, quæ de ſequentium Regum nummis, tam aureis quam argenteis, eorumque valore atque bonitate retulit Autor, ſingulatim enarrare ſuperſedemus, veriti, ne nimia rerum copia Lectorem oneraſſe videamur. Liceat modo ad memorabiles epigraphas Eduardi VI, quibus monetam ſuam condecorare voluit, pedem pauliſper figere: *TIMOR DOMINI EST FONS VITÆ; INIMICOS EJUS INDUAM CONFUSIONE: SCUTUM FIDEI PROTEGET EUM.* Nec præterire fas erit inſcriptiones, quæ in aureis numiſmatibus Mariæ R, ejus ſororis reſplendent: *A DNO. FACTUM EST ISTUD, ET EST MIRABILE IN OCULIS NRIS.* Sed antequam prorſus abrumpamus, adhuc monendos arbitramur literati orbis cives, a perinduſtrio atque ornatiſſimo juvene Wantlejo, cui vetuſtam ſcribendi rationem, ductusque literarum ſuperioribus ſeculis familiares ex antiquis codicibus inveſtigare ac digerere in deliciis fuit, *Rem Angliæ Diplomaticam* incredibili ſolertia parari, quam, ubi auras aſpexerit, Autori ſuo non minores applauſus excitaturam, quam Clariſſimum hujus Bibliothecæ Conditorem promeruiſſe conſtat, plane ſperamus. Lectores vero noſtros admonitos cupimus, in recenſenda Nicolſonii noſtri Bibliotheca Hiſtorica nos more noſtro verſatos ſic fuiſſe, ut bona fide, quæ ab ipſo tradita ſunt, propoſuerimus, examine ſingulorum & cenſura aliis relicta. Nam, ſi vel unicum hoc annotare hic licet, non diſſimulamus, quoad ea quæ de ſigillis Regum Angliæ ſupra ex Autore memoravimus, non de omnium conſenſu fidejubere nos poſſe. Certe ſi cui volupe fuerit, Franciſci Sandfordii Hiſtoriam Genealogicam Regum Angliæ, Londini A. 1683 editam, & a nobis in Actis A. 1684 primo ſtatim loco recenſitam, evolvere, non poterit non in nonnullis diſcrepantiam aliquam animadvertere. Noſter enim, ut ſupra diximus, tradit, Richardum I duos leones in ſigillo expreſſiſſe, quibus tertium Ducatus Aquitaniæ nomine Johannes adjecerit. Aſt apud Sandfordium pag. 55 ipſius Richardi ſigillum comparet, tres leones, nec non titulum Ducis Aquitaniæ exhibens. Noſter docet, Eduardum III titulum uſurpaſſe *Regis Angliæ & Franciæ*, Richardum II vero & Henricum IV inverſo ordine *Reges Franciæ & Angliæ* dictos. Aſt apud Sandfordium pag. 124 Eduardus etiam III *Rex Franciæ & Angliæ* in ſigillo vocatur. Docet

cet

Digitized by Google

cet Noſter, Henricum V *Regem Angliæ*, *Hæredem & Regentem Franciæ* dici maluiſſe, & (quod quidem ſupra non obſervavimus) toto regiminis ſui tempore titulum hunc retinuiſſe. Apud Sandfordium nihilominus pag. 239 ſigillum Henrici V conſpicitur, quo *Rex Angliæ & Franciæ* ſalutatur, Sed de his talibus Anglorum eſto judicium.

D. VITI RIEDLINI, *MEDICI AUGUSTANI*, *LINEARUM Medicarum Annus Quintus.*

Auguſtæ Vindel. apud Kronigerum & Hæredes Gœbelii. A. 1700. in 8. Alph. 4.

QUintus hic Linearum Medicarum ab Experientiſſimo Autore ſiſtitur Annus, Hydram morborum oppugnaturos non minus egregie, ac Anni præcedanei, adjuvans, adeoque & eadem methodo, qua hoſce in Actis A. 1696. p. 474. A. 1698. p. 192. & A. 1699. p. 283. e Menſibus ſingulis unicam Lineam excerpendo recenſuimus, nunc indigitandus. Inter travmatica videlicet, in Januarii Obſervatione XIX, non ultimus locus Hyoſciami conceditur ſucco, quod talis feſto Johannis Evangeliſtæ in olla integra, (in quam ab herba laudata recenti, ſub Johannis Baptiſtæ feſtum decerpta & ſufficienter inciſa, per aliam ollam hinc inde perforatam, atque cum priori exacte munitam, in cella deſtillavit,) ſub Olei S. Johannis titulo collectus, antiqua ulcera curet certiſſime. Quanto avidius autem mercatoris Veneti filiolus novem annorum, in Linea XXI Februarii, ipſarum variolarum ſine noxa deglutivit cruſtulas; tanto minus quidam Jure-Conſultus, cum morbo chronico diu conflictatus, a remedio alio, quam a Leviſtico in vino generoſo decocto, ſecundum Martii Hiſtoriam XVII, appetitum recepit. Trepanum poſt tres demum a læſo cranio hebdomadas, feliciter applicatum, ſanguinisque nondum corrupti notabilem tunc quantitatem remotam fuiſſe, rariſſimum eſt Aprilis VIII exemplum; neque adeo frequens, quod Empyematicus, propter venæſectionem in Peripneumonia omiſſam, ex duplici tandem pectoris perforatione ſanitatem in Linea XXX Maji recuperavit. Equidem Seleri radicem in acetariis alias habent in deliciis; a recenti tamen in taleolas diviſa mammæ cancroſæ dolores inſigniter mitigari, in Hiſtoria XIV Junii traditur;

tur; quemadmodum Bellidis virtus humores incraſſatos reſolvendi & antiquo ſuo fluori reſtituendi, Obſervatione XX Julii confirmatur præſentanea. Remedia inter, quæ Colicis doloribus brevi demulcendis omnium paratu exiſtant facillima, tam pulveriſata fiſtula, qua Nicotianæ fumus aliquamdiu hauſtus, quam Spiritus vini vel frumenti, cui contuſum allium infuſum, in Auguſti Linea XXV commendatur. Quemadmodum ex Obſervatione III Septembris facile intelligitur, quam peſſime plerumque calidiora in Fiſtula ani, quam ſalutariter vero ſepiæ oſſa calcinata & in pulverem redacta, adhibeantur: ita & Febri ex ani fiſtula ſubortæ ipſam Chinam Chinæ exoptato mederi, in Hiſtoria XXI Octobris annotatur. Tandem, quæ in puero decem annorum ſomnolentia præternaturalis nullis diſcuti valuit remediis, præeunte Linea XXIX Novembris, ſoli ceſſit terrori, aliquando a fœtore, qualis e mortuis alias exhalare ſolet, incuſſo; quæ Præfectum autem quendam lecto affixum tenuit Arthritis, innuente Hiſtoria I Decembris, per vehementiorem iram, occaſione verberum eum in finem a lanione inflictorum, expugnata fuit.

DESCRIPTIO DUARUM GLANDULARUM UNA CUM DUCTIBUS excretoriis in corpore humano haud ita pridem a GUILIELMO COWPERO, Societatis Regiæ Socio, detectarum, in Philoſophicis Actis Anglicanis Menſ. Novemb. A. 1699 N. 258 exhibita, hicque Latine reddita.

ETſi præſenti ſeculo Anatome a multis egregio ſucceſſu fuit exculta, nullum tamen dubium, quin plura poſthac invenienda, variaque etiam utilia & œconomiæ animali recte intelligendæ apprime neceſſaria organa ſuperſint detegenda, quorum cognitionem nos delituiſſe poſteri æque admirabuntur, ac permirum nobis videtur, quod obſervationum noſtrarum noſtri anteceſſores nullam notitiam habuerint. Exemplum ejusmodi inventi eo præſtantius duæ nunc præbeant glandulæ, a nemine adhuc, quantum novimus, in ſubjecto humano annotatæ, quo magis in tali eædem reperiuntur parte, quam non ſolum alii exacte deſcripſerunt, ſed & egomet ipſe ſæpe ac ſolicite examinavi, antequam perſpicere ipſas licuerit. Id quod animum nobis addet, ne vel deſperemus, ubi cuncta

ℓta indagando ne quicquam invenimus, vel nimium etiam nobis arrogemus, ſi in re aliqua eruenda liceat eſſe felicioribus. Infortunio quippe culpa tribuenda, quod Viri nobis diligentiores ac ſolertiores exoptato interdum deſtituantur eventu.

Tab. V. Ad quartam circiter pollicis partem ſub Proſtatis (*Fig. I.* E.) glandulis duas alias minores reperiebam glandulas, (GG.) utrinque ad urethram (F.) paulo ſupra ſpongioſi corporis bulbum (I.) locatas. Glandulæ hæ depreſſa erant figura ovali, neque magnitudinem phaſeoli parvi excedebant. Separata videlicet ea Muſculi Acceleratoris (LL.) parte, quæ dictas glandulas transcendit, deprehendes easdem, inſtar duorum corporum durorum, utrinque ad urethram ſitas. Proſtatarum more ad flaveſcentem vergunt colorem. Excretorii eorum ductus in ſuperficie interna (*Fig. 2.* A b.) prope internam urethræ (*Fig. 2.* C.) membranam apparent, ad longitudinem dimidii pollicis inde deſcendentes, priusquam attenuati membranam hanc oſculis (D.) intra urethram hiantibus ac ſecretum liquorem eructantibus, oblique perforent. Superiori namque urethræ parte ad penis dorſum inciſa, ejusque membrana expanſa, ubi glandulas ejusmodi compreſſeris, humorem earundem valde transparentem ac tenacem per duo diſtincta egredi orificia notabis, intra urethram, præciſe infra hujus flexuram, ſub oſſibus pubis in perinæo patentia.

Stupendum certe Naturæ artificium, dum talem memoratis glandulis earumque canaliculis excretoriis aſſignavit ſitum, ut in penis erectione, bulbique ſpongioſi urethræ corporis diſtenſione, neceſſario ſimul comprimantur, ſicque liquor ductibus excretoriis comprehenſus, per duo oſcula in urethræ cavitatem urgeatur; compreſſionem tamen ea acceleratoris muſculi portione, quam glandulas ipſas ſupergredi modo indigitavi, multum adjuvante. Qualis agentium in comprimendo conſpiratio requiri omnino *videtur*, quod liquor ab iisdem ſecretus tenaciſſimus & ſit, & neceſſario propter uſus, quibus impenditur, eſſe debeat.

Primario nempe, propter magnum generationis opus, deſcriptas glandulas a Natura fuiſſe efformatas, evidentius e ſimilium organorum in aliis animantibus eluceſcet examine. In gliribus glandulæ tales inſignes ac ita locatæ habentur, ut penis, dum erigitur, tur-

Digitized by Google

Digitized by Google

Tab

Digitized by Google

turgeſcentia & ad oſſa pubis appoſitione intermedia comprimantur; quale & in brutis aliis, ſpeciatim in erinaceis, poterit obſervari.

Apris eædem glandulæ perquam ſunt magnæ, ac materia ab ipſis ſecreta multo tenacior, non tamen ita tranſparens, ac in reliquis animalibus a me examinatis; in conformatione autem earum aliquid ſingulare obtinet, dum quælibet glandula peculiari muſculo, ingluviei nonnullarum avium haud abſimili, tegitur; qualis mechanismus videtur inventus, ut tanto vehementius comprimantur ad tenaciſſima contenta, non coitus tantummodo, ſed & alio tempore quocunque, in urethram excernenda; id quod ſingularius in creaturis iſtis requiri videtur, quoniam urinæ canalem habent longiſſimum, ideoque copioſiori ejusmodi materia glutinoſa etiam oblinendum, ut ab urinæ ſalium defendatur injuriis. Quemadmodum enim diverſorum animalium urina pungentibus ſalibus magis minusve imprægnatur, ita glandularum quoque harum proportio non ſecus ac ratione diverſæ longitudinis urethræ diſcrepat. Notatu dignum, tales in fœminis haud potuiſſe a nobis deprehendi glandulas, quæ cum illis virorum convenirent, quamvis analogis quodammodo gaudeant, in mulieribus a Graffio proſtatarum mulierum titulo deſcriptis; nihilominus cum hæ excretoriorum ductuum oſculis ad egreſſum urethræ pateant, non niſi Nymphis ac Pudendi labiis ab urinoſis ſalibus tuendis inſerviunt, liquoremque ſecretum in coitu emittunt, prout alibi a me traditum; univerſa interim urethra ita brevi in mulieribus exiſtente, ut ſphincteris veſicæ contractio quibusvis urinæ reliquiis ex eadem expellendis ſufficiat. Uſus glandularum in præſenti exhibitarum duplex occurrit: primum, penis dum erigitur, tantum liquoris in urethram ab iis deponitur, quantum omnibus urinæ reliquiis ejiciendis harumque cum ſemine commixtioni præcavendæ ſufficit; deinde vero, quæ alio tempore liquoris ab ipſis in urethram jugiter emittitur portio, canalem hunc ab urinæ ſalibus defendit. Similis namque exſudatio continua, nec a proſtatarum, nec a veſicularum ſeminalium ductibus excretoriis valet proficiſci, quia liquoris per priorum oſcula exitum interna urethræ membrana, a vicino ſphinctere admodum coarctata, ſeminis autem e poſterioribus ſive ſe-

Digitized by Google

minalibus veſiculis emiſſionem præpoſita caruncula ſeu caput gallinaginis arceat, eaque propter diaphragmatis, muſculorum, abdominis ac levatorum ani adjumento partes iſtæ veniant comprimendæ, quo contenta ſecernant.

Probabilitate haud caret, glutinoſam eam materiam, quæ ſub finem curationis Venereæ luis exſtillat, a noſtris glandulis, non autem a proſtatis vel veſiculis ſeminalibus, ex hypotheſi ordinaria, promanare, adeoque injectionem in talibus caſibus egregie conferre, tametſi earum loco nonnulli Practicorum ægrotos ſuos catharticis draſticis onerare, magnaque adſtringentium farragine infarcire malint. Prompte licebit concipere, quomodo ejusmodi glutinis excretio aliquando pertinaciſſima, ſi non penitus incurabilis, evadat, modo ab ulcere tunc ipſa ejusmodi ductuum excretoriorum oſcula ſupponamus corroſa.

FIG. I.

AA. Portio veſicæ urinariæ.

BB. Ureterum portio.

CC. Vaſorum deferentium portio.

DD. Veſiculæ ſeminales diſtentæ quodammodo aëre, per vaſa deferentia intruſo.

a a. Vaſa ſanguifera veſicularum ſeminalium.

E. Glandulæ Proſtatæ.

F. Urethra expanſa, poſtquam ſuperior & anterior ejus portio inciſa fuit, quo ductuum excretoriorum ſequentium glandularum oſcula pateſcerent.

GG. Duæ glandulæ ſuperius deſcriptæ, a liquore, quem ſecernunt, Glandulæ mucoſæ appellitandæ.

h. Alterius glandularum memoratarum ductus excretorius, priusquam ſub bulbo cavernoſi corporis urethræ pergat.

J. Bulbus ſpongioſi urethræ corporis, ex parte aëre diſtentus, ac a muſculo acceleratore denudatus, ut externa ejus membrana tenuiſſima appareat; qua ratione muſculus modo nominatus tanto æqualius bulbum comprimit, ſanguinemque contentum verſus glandem, dum erigitur penis, propellit.

K,

Digitized by Google

K. Tertium par muſculorum penis.

LL. Muſculus accelerator quoad mediam ejus commiſſuram in bulbo diviſus, atque ab hoc poſtmodum ſeparatus & expanſus.

ll. Superior hujus muſculi portio, quæ glandulas mucoſas immediate tranſſcendit.

MM. Muſculi directores penis.

NN. Spongioſa corpora penis.

O. Spongioſum corpus urethræ.

P. Vinculum injectum, ne aër e ſpongioſo urethræ corpore, ejusque bulbo egrediatur.

Q. Foramen, per quod flatus fuit immiſſus.

FIG. II.

Altera mucoſarum glandularum, poſtquam in aqua macerata, ejusque canalis excretorius mercurio vivo repletus fuit.

A. Glandula mucoſa quodammodo diſtenta.

b. Ductus ejus excretorius.

C. Portio internæ membranæ urethræ expanſæ.

D. Oſtiolum ductus excretorii modo indigitati.

JAC. BERNOULLI SOLUTIO PROPRIA
Problematis Iſoperimetrici
Propoſiti in Actis Lipſ. m. Majo 1697, p. 214.

CUm genuina ſolutio hujus Problematis nondum a quoquam fuerit exhibita, eam hic, donec ſuo tempore ſequatur analyſis, curioſo Lectori in ſequente Tabella contemplandam ſiſto, in qua literas *a* & *b* pono deſignare quantitates conſtantes, *x* & *y* coordinatas curvæ quæſitæ, *t* ipſam curvam, *p* quantitatem quamcunque datam per *x*, & *q* quantitatem datam per *t*:

1. Si $dy \propto p\,dx : \sqrt{aa-pp}$, quantitas $\int p\,dy$ erit *Maximum.*
& $\int dt:p$ - - *Minimum.*

2. - $dy \propto \overline{a-p}\,dx : \sqrt{2ap-pp}$ - - $\int p\,dy$ - - *Min.*

3. - $dy \propto ap\,dx : \sqrt{\overline{bb-aa},pp-2aabp+a^4}$, $\int dt:p$ - - *Max.*

Digitized by Google

4. - $dy = a\,dx : \sqrt{pp - aa}$ - - $\int dy:p$ - - *Max.*
& $\int p\,dt$ - - *Min.*

5. - $dy = \overline{p-a}\,dx : \sqrt{2ap - aa}$ - - $\int dy:p$ - - *Min.*

6. - $dy = a\,dx : \sqrt{bb - 2bp + pp - aa}$ - $\int p\,dt$ - *Max.*

7. - $dy = q\,dt : \sqrt{aa + qq}$ - - $\int q\,dy$ - *Max.*
& $\int y\,dq$ - *Min.* vel *Max.*

8. - $dy = \overline{a-q}\,dt : \sqrt{bb - 2aq + qq}$ - $\int q\,dy$ - *Min.*
& $\int y\,dq$. - *Max.* vel *Min.*

9. - $dy = a\,dt : \sqrt{aa + qq}$ - - $\int dy:q$ - *Max.*
& $\int x\,dq$ - *Min.* vel *Max.*

10. - $dy = \overline{aq - bb}\,dt : b\sqrt{bb - 2aq + qq}$ - $\int dy:q$ - *Min.*

11. - $dy = a\,dt : \sqrt{aa + bb - 2bq + qq}$ - $\int x\,dq$ - *Max.* vel *Min.*

Ut ſolutiones reddantur generaliſſimæ, obſervandum, in omnibus iſtis æquationibus lit. p & q augeri minuive poſſe quantitate quacunque conſtante c, eaque ratione id effici, ut curva inventa non tantum conditioni præſcriptæ ſatisfaciat, ſed datæ quoque fiat longitudinis: ex. gr. loco primæ æquationis $dy = p\,dx : \sqrt{aa - pp}$ ſubſtitui poteſt $dy = \overline{p+c}\,dx : \sqrt{aa - pp - 2cp - cc}$, vel etiam iſta, $dy = \overline{p-c}\,dx : \sqrt{aa - pp + 2cp - cc}$; quibus curvæ denotantur, quæ *Maximum* $\int p\,dy$ comprehendunt, inſuperque determinatam longitudinem, eamque pro quantitate literæ c majorem minoremve, obtinent.

Sciendum etiam eſt, reperiri poſſe æquationes curvarum, quarum $\int p\,dy$, $\int q\,dy$, &c. eſt *Maximum Minimumve*, cum quantitates, quæ literis p & q deſignantur, non tantum ſimpliciter datæ ſunt per x vel t, ſed etiam promiſcue ex x & y, vel t & y compoſitæ. Hoc fini ſumo differentiale ipſius p (conſiderando y inſtar conſtantis) quod voco $m\,dx$, facioque $r = \int m\,dx$, & denique $dy = r\,dx : \sqrt{aa - rr}$; quo pacto habebo æquationem curvæ, cujus $\int p\,dy$ eſt *Maximum*. Similiter ſi differentiale ipſius q (ſumta ſemper y conſtante) vocetur $n\,dt$, fiatque $v = \int n\,dt$, ac $dy = v\,dt : \sqrt{aa + vv}$, prodibit curva, cujus $\int q\,dy$ eſt *Maximum*: Eſto ex. gr. $p = \sqrt{xx + yy}$, hoc eſt, ſupponendum

dum ſit in fig. applicatam PZ vel GH æquari chordæ BF, erit dif- *V. fig.*
ferentia ipſius p, $xdx : \sqrt{xx+yy}$: Curva igitur, cujus $\int dy \sqrt{xx+yy}$ eſt *Journ. de Sç. 1698. p. 357.*
Maximum, fit $dy \infty (rdx : \sqrt{aa-rr} \infty) dx \int \frac{xdx}{\sqrt{xx+yy}} : \sqrt{aa - \square}$
$\int \frac{xdx}{\sqrt{xx+yy}}$; nihilque ad omnimodam Problematis reſolutionem deeſt, præter artificium ſeparandi quantitates indeterminatas a ſe invicem, quod proſequi inſtituti noſtri non eſt. Dantur vero etiam caſus, ubi nec opus eſt ſeparatione, nempe cum lit. y non amplius ingreditur differentiale ipſius p; velut ſi ponatur $p \infty \overline{xx+yy} : a$, vel $\infty \overline{xx+yy-by} : a$, &c. hoc enim in caſu æquatio curvæ non erit diverſa ab ipſa $dy \infty xxdx : \sqrt{a4 - x4}$; ſic ut hinc concludamus, eandem curvam BTN Problemati ſatisfacere, ſive applicatam PZ quadrato applicatæ PF, ſive quadrato chordæ BE, aut infinitis aliis modis proportionari ſupponamus; pariterque etiam in aliis. Obiter hic noto, quod Frater mentione hujus curvæ facta in Ephem. Gall. aſſerit, *illam eſſe, quam refert linteum a pondere liquidi expanſum, quam ego quoque meæ Elaſticæ attribuam.* Dicendum potius fuiſſet, *eſſe Elaſticam, quam ego quoque aſſeram figuræ lintei*; quandoquidem poſt demonſtrationem a me in Actis Lipſ. exhibitam de Elaſtica nemo dubitare poſſit, cum contra de figura lintei id aliter hucusque non conſtiterit, niſi quod illud ſæpenumero affirmaverim in Actis, eo jam tempore, quo Frater adhuc longe diverſum ſentiebat. Sed gaudeo, Geometris veritatem aſſerti mei paulatim agnoſci.

Journ. d. Sç. 1697. 2. Dec. p. 461.

Act. Lipſ. 1695. m. Dec. p. 538. V. loc. cit. p. 546. 547.

Quod *Minima* concernit, quæ Tabulæ inſerui, hoc noto peculiare; quod quanquam eadem ſit curva, quæ *Maximum* $\int pdy$ & *Minimum* $\int dt : p$ ſuppeditat, iſta tamen curva priore prærogativa in genere duntaxat figurarum Iſoperimetrarum, altera vero in ordine ad omnes omnino curvas potitur. Secus ſe res habet cum *Minimo* $\int pdy$ & *Maximo* $\int dt : p$; præterquam enim quod non datur *Maximum* $\int dt : p$, quod tale ſit in ordine ad omnes curvas, hoc quod tale tantum eſt inter figuras Iſoperimetras, eidem curvæ non competit, cui *Minimum* quadrat $\int pdy$, ut ex Tabella liquet. Quemadmo-

admodum etiam non exiſtimandum eſt, curvam illam, quæ uno in ſitu *Minimum* $\int pdy$ ſubminiſtrat, in alio exhibere *Maximum*, ſive, duas priores Tabulæ hujus æquationes deſignare poſitiones tantum diverſas unius ejuſdemque curvæ; quanquam in caſu $p = x$ utraque conveniat Circulo: Ratio eſt, quod ſi per p potentia quædam intelligitur ipſius x, pro exponente habens fractionem, cujus numerator eſt unitas, denominator numerus quilibet n, curva æquationis $dy = \overline{1-p}\,dx : \sqrt{2p-pp}$ perpetuo mechanica eſt & a quadratura Circuli dependet (ſolo quem dixi caſu excepto ubi $n = 1$) cum obſervante Fratre illa, quæ æquationi $dy = pdx : \sqrt{1-pp}$ reſpondet, ſit alternatim algebraica: reperio enim, ſi $n = 2$, applicatam y alterius curvæ fore $= \overline{p+1}\sqrt{2p-pp} - \int dp : \sqrt{2p-pp}$; ſi $n = 3$, y fore $\overline{pp+p+3}\sqrt{2p-pp} - \int 3dp : \sqrt{2p-pp}$; ſi $n = 4$, $y = \overline{p^3+pp+\frac{5}{2}p+\frac{15}{2}} : \sqrt{2p-pp} - \int \frac{15}{2} dp : \sqrt{2p-pp}$; & generaliter $y = \overline{p^{n-1}+p^{n-2}+ap^{n-3}+bp^{n-4}+cp^{n-5}\ \&c.\ \text{uſq; ad} + e}\sqrt{2p-pp} - \int e\,dp : \sqrt{2p-pp}$, ſumendo nempe $a = \frac{2n-3}{n-2}$, $b = \frac{2n-3.\,2n-5}{n-2.\,n-3}$, $c = \frac{2n-3.\,2n-5.\,2n-7.}{n-2.\,n-3.\,n-4.}$, & $e = \frac{2n-3.\,2n-5.\,2n-7\ldots\ldots3}{n-2.\,n-3.\,n-4\ldots\ldots1}$.

Inſtituta jam collocatione inter æquationem $dy = dx\int\frac{pdx}{x} : \sqrt{1-\square\int\frac{pdx}{x}}$ a Fratre m. Dec. 1697 exhibitam, & meam $dy = pdx : \sqrt{1-pp}$ hic traditam, facile eſt animadvertere, utrique convenire non poſſe, niſi cum p ſimplicem poteſtatem denotat ipſius x, qui quidem ipſiſſimus ille caſus eſt, quem ego initio propoſueram: adeo ut ſi ejus ſolutione Fater acquieviſſet, neque extendere Problema latius voluiſſet, cæteraque diſſimulaſſet, quod concernit arcum *BF*, ſive *Maximum* $\int qdy$, nunquam certe in paralogiſmi ſuſpicionem apud me incidiſſet; quandoquidem ſolo hoc ſuperpondio, quo ſuam ſolutionem generaliorem efficere voluit, vitium methodi ſuæ mihi prodidit, ſicque etiam iis, quæ in ſe alias proba erant, pretium ademit.

Journ. de Sç. 1697 *p.* 462, *l.* 7.

Di-

Dico diſſimulandam fuiſſe omnino partem Problematis, quæ ſpectat arcum *DF*, quippe quæ de illa profert, generaliter fallunt, neque æquatio legitima huc pertinens eſt $dy \infty dx \int \frac{qdx}{x}, \sqrt{1 - \Box \int \frac{qdx}{x}}$, uti per verba ſua: *D'où il eſt evident, &c.* innuere velle videtur; nec etiam $dy \infty qdx : \sqrt{1 - qq}$; ſed potius juxta Tabulam p. 462. l. 2. æq. 7. $dy \infty qdt : \sqrt{1 \pm qq}$, quæ ab illis non modo plane diverſa eſt, etiam quando per q ſimplex denotatur poteſtas ipſius t, verum quoque curvas repræſentat, quæ primam mechanicarum claſſem nunquam excedunt, qualiscunque ſtatuatur relatio algebraica inter t & q; præterquam quod omnes rectificationem admittunt, tangensque anguli, quem ipſæ cum ſuis applicatis conſtituunt, quantitati q ſemper proportionatur. In ſpecie obſervare poſſumus, ſi q potentiam denotat ipſius t, cujus index eſt fractio, pro numeratore habens unitatem, & pro denominatore quemvis numerum n, conſtructionem curvæ ope ſolius Logarithmicæ perfici poſſe, una coordinatarum x & y ſemper exiſtente algebraica & altera mechanica, idque alternatim juxta ordinem numerorum 1, 2, 3, 4 &c. quos lit. n ſignificare poteſt. Reperio enim, ſi hæc denotet numerum imparem, fore $y \infty \overline{q^{n-1} - aq^{n-3} \pm bq^{n-5} - cq^{n-7}}$ &c: uſque ad ȣ $e\sqrt{1 \pm qq}$; & ſi parem, $y \infty \overline{q^{n-1} - aq^{n-3} \pm bq^{n-5} - cq^{n-7} \cdots ȣ\, eq}\sqrt{1 \pm qq}$ ȣ $\int eqd : \sqrt{1 \pm qq}$, ſumtis $a \infty \frac{n-1}{n-2}$, $b \infty \frac{n-1.\,n-3}{n-2.\,n-4}$, $c \infty \frac{n-1.\,n-3.\,n-5}{n-2.\,n-4.\,n-6}$, & $e \infty \frac{n-1.\,n-3.\,n-5 \ldots 2}{n-2.\,n-4.\,n-6 \ldots 1}$ pro priore hypotheſi, vel $e \infty \frac{n-1.\,n-3.\,n-5 \ldots 3}{n-2.\,n-4.\,n-6 \ldots 2}$ pro poſteriore; ne quid dicam de altera coordinatarum x, quæ eodem modo per q definietur. Sumta igitur recta quadam indeterminata, quæ vocetur q, perſpicuum eſt inveniri per illam poſſe x & y, unam algebraice & per logarithmos alteram, longitudinemque curvæ t ſemper fore ∞q^n.

Me-

Memoratu porro digna ſunt, ut alia prætercam, Quod una eademque curva eſt, quæ (in diverſis poſitionibus) ſimul & *Max. ſqdy* & *Max. ſdy : q* ſuppeditat: Quod eadem quoque exhibet *Minimum Maximumve ſydq* vel *ſxdq* (*Minimum*, ſi creſcentibus x, y & t creſcit q; *Maximum*, ſi decreſcit): & Quod denique *Catenaria* privilegio inter alia non comtemnendo plura comprehendit *Maxima Minimaque*; nempe *Maxima ſdy : x*, *ſtdy*, *ſdy : t*, *ſydt*, *ſxdt*; *Minima ſtdy*, *ſxdt*, *ſydt*, prout ex æquationibus 4, 7, 8, 9, 11 elucet, quæ omnes in caſu $p = x$, & $q = t$ curvæ huic conveniunt.

Journ. d. Sç. 1697, 2. Dec. p. 462. l. 15. ſeqq.

Cæterum non poſſum quin moneam, ſuperfluam Fratrem operam impendiſſe quærendis radiis curvaturæ ſeu oſculi ſuarum curvarum; quippe quod jam dudum in Actis Lipſ. a me factum fuerat; exſcribenda tantum fuiſſent quæ habentur m. Jan. p. 4. p. 267 ſeq. cum hæ curvæ nil ſint niſi totidem diverſæ ſpecies mearum Elaſticarum.

Journ. d. Sç. 1698. p 172. ſeqq.

Hæc ad priorem ſolutionem fraternam, quæ m. Dec. 1697 comparuit, notanda fuerunt. Quod alteram ſolutionem ſeu prioris potius correctionem m. Apr. 1698 inſertam concernit, notum me rogaſſe fratrem, ut illam iteratæ reviſioni ſubjiceret, ipſum vero in hunc usque diem nondum exorari ſe paſſum. Quapropter ejus hic vices ſuppleo, Lectoresque noſtros moneo, conjecturas has ſecundas quoad *Maximum ſpdy*, recte quidem at haud æque feliciter quantum ad *Maximum ſqdy* ceſſiſſe, locoque æquationis dq (vocando q quod ipſi eſt v) $= ddy : dt^2 - dy^2$ ſcribendum fuiſſe $dq = addy : dx$, ſumpto elemento non ipſius curvæ dt, ſed ordinatæ dx pro conſtanti; quod ex æquatione 7ma Tabulæ meæ facile oſtenditur: Æquatio eſt $dy = qdt : \sqrt{aa + qq}$; hinc fit dx $(\sqrt{dt^2 - dy^2})$ $= adt : \sqrt{aa + qq}$; adeoque $dy . dx :: q . a$, hoc eſt $ady = qdx$, & differentiando $addy = dqdx$, ſive $dq = addy : dx$. Q. E. D.

JOH. BERNOULLI AD NOVAS SPATIORUM CYCLOIDALIum quadraturas, in Actis 1699, m. Jul. exhibitas Augmentum; & de centro gravitatis quædam.

MOmenti alicujus, & nobile ſatis inventum eſſe, quod in *Actis* exhibui, quadraturæ infinitorum ſpatiorum, præſertim vero ſegmentorum hujus per integrum ſeculum decantatiſſimæ curvæ, teſtatur

Digitized by Google

ſtatur ſplendidum judicium mihi perſcriptum, quod de eo tulit Regia Scientiarum Academia, cui id antequam publicarem ſubmiſeram. Interim plane non miror, quod glacie a me prius fracta inventus ſit modus, ſpatia cycloidalia quadraturas admittentia determinandi: nihil enim factum video, quod non a quovis mediocri ingenio, nedum a perſpicacioribus, fieri poſſe prævidebam; teſtibus verbis quæ in fine ſchediaſmatis mei *Act. ſuperioru annip.* 320, non inconſulto adjeci: *Ejusdem methodi uſu varia alia ſpatia cycloidalia, quadraturarum capacia algebraice determinantur, quæ omnia huc afferre ſupervacaneum duco, præſertim cum perſpicacioribus arduum non ſit futurum, illa ex jam dictis eruere, noviuque augere.* Supereſt tamen circa hanc materiam feraciſſimus novorum inventorum campus, ſed quæ paulo plus artificii requirunt quam jam exhibita; adeo ut multum deſit quo minus totum penſum abſolutum ſit: horumque nonnulla ſpecimina hic dabo. Videamus autem prius, quid in ſolutione *Fraterna* Zonarum quadrabilium, *Act. anni 1699* p. 427, animadverterim.

In æquatione, ad quam pervenit, terminos illos, qui ex arcubus circularibus conſtant, æquales ponit nihilo (quod fundamentum eſſe ſolutionis meæ recte quidem ſed facile augurari poterat) unde reſidui æquationis termini meras figuras rectilineas deſignant: Sic in æquatione Zonæ IKDB $= aq - \frac{1}{2}qz - ap + \frac{1}{2}px + \frac{1}{2}at - zt - \frac{1}{2}as + xs$, facit terminos, in quibus arcus s & t reperiuntur æquales nihilo, nempe $\frac{1}{2}at - zt - \frac{1}{2}as + xs = o$, ubi ſi ponatur t habere ad s rationem quamcunque *numeri tamen ad numerum* (de qua cautela, unde artificium hauſiſſe videtur, præmonui in *ſchediaſmate meo pag.* 320, l 13) habetur æquatio, quæ literis t & s eliminatis, relationem ipſius z ad x patefacit; nempe ſi $t = 2s$ fit $z = \overline{a + 2x} : 4$; ſi $t = 3s$ habetur $z = \overline{2a + 2x} : 6$ ſi $t = 4s$, eſt $z = \overline{3a + 2x} : 8$ & ſic perpetuo in eadem progreſſione: Optime, ſed quidquid eſt negotii hujus, ex ipſo ſchematiſmo meo generaliter ſic breviſſime explico. Concipiatur punctum medium inter A & H, quod vocetur P: dico, ſi quærantur arcus AM, AL, rationem habentes reciprocam diſtantiarum ſuorum ſinuum a puncto P, id eſt, qui ſint ut PI ad PK; erit, ſi P cadit extra K & I, differentia ſegmentorum cycloidalium BAI, DAK, id eſt Zona IKDB, quadrabilis; ſin intra cadit, erit ſumma ſeg-

Ll men-

mentorum eorundem (quæad partes oppoſitas ſumi poſſunt, ut fiat figura unico arcu cycloidali & meris rectis comprehenſa, qualis repræſentatur in *Fig. I* per IBADKI) iterum quadrabilis. Revera igitur quæſtio huc redit, ut pervulgata analyſi, ex ſinu arcus AM, quæratur ſinus arcus multipli ſubmultiplive alicujus; cujus quidem tres primos tantum caſus ſimpliciſſimos exhibet *Frater*, ſed in quibus nulla omnino elucet progreſſionis uniformitas pro altioribus arcuum multiplicibus, nedum pro eorum ſubmultiplicibus, determinandis. Quocirca ut problemata Zonarum quadrabilium generaliter ſolvat, quærat, rogo, ſinum arcus habentis ad arcum expoſitum rationem, ut *n* ad 1; ut ita habeatur formula univerſalis, quam ego adinveni, pro quavis arcus multiplicatione vel diviſione; unde jam intricatiſſimum ſectionum angularium problema pleniſſime & ſimul univerſaliſſime ſolutum habemus: namque per *n* intelligo numerum quemvis, ſive integrum ſive fractum, imo & ſurdum: quod, an a quoquam hactenus tentatum, mihi nondum conſtat.

At vero miſſis iſtis, en quædam ſpecimina modo ſupra promiſſa, quæ dixi ſolo illo fundamento a *Fratre* indicato non niti, quæque, ſi nulli alii ſuppeterent ſolvendi fontes, deſperata forent: Ut ſi ex omnibus ſegmentis cycloidicis rectis quæratur quodnam illud ſit, cujus centrum gravitatis *algebraice*, id eſt citra ullam quadraturam, determinari queat. Eſto radius AH $= a$ (vid. fig. III, Tab. IV, Act. 1699) AK $= x$, arcus AL $= t$: reperietur diſtantia centri gravitatis ſegmenti cycloidici BADB a vertice A, $= \overline{6xxt - 3aat + 4xx + ax + 3aa\sqrt{2ax - xx}} : \overline{\surd 2xt - 6at + 6x + 6a\sqrt{2ax - xx}}$, ubi tam in denominatore quam in numeratore litera *t*, ſeu arcus circularis involvitur: quem igitur ſi eliminare vellemus nudo illo fundamento adhibito, ponendo ſcilicet quantitates, ubi *t* reperitur, utrobique æquales nihilo, ita ut tam $6xxt - 3aat = 0$, quam $12xt - 6at = 0$, proveniret ex illa æquatione, $x = a\sqrt{\frac{1}{2}}$, ex hac vero, $x = \frac{1}{2}a$, quæ ſimul ſtare non poſſunt. Talis igitur arcuum circularium deſtructio in hac aliisque ſimilibus occaſionibus prorſus inutilis eſt: interim alia nobis ſunt adminicula, quibus quæſiti clauſtra reſeramus. Eorum unum hoc eſt: pono quantitates, ubi *t* reperitur, in numeratore eandem habere rationem ad quantitates, ubi *t* reperitur in deno-

Digitized by Google

nominatore, quam habent reliquæ numeratoris quantitates, ad reliquas denominatoris quantitates: id eſt pono $6xxt - 3aat$, ad $12xt - 6at$ (ſeu $2xx - aa$, ad $4x - 2$) ut $4xx + ax + 3aa, \sqrt{2ax - xx}$ ad $6x + 6a\sqrt{2ax - xx}$ (ſeu $4xx + ax + 3aa$ ad $6x + 6a$) id quod dat $x = 2a$; hac operatione fit, ut $6xxt - 3aat + \overline{4xx + ax + 3aa}\sqrt{2ax - xx}, : 12xt - 6at + \overline{6x + 6a}\sqrt{2ax - xx}$ convertatur in $6xxt - 3aat : 12xt - 6at$ quod jam per communem t dividi poteſt, & fit $6xx - 3aa : 12x - 6a =$ (ob $x = 2a$) $\frac{7}{6}a$: unde ſequitur, facta $x = 2a$, ſeu ſumta AK = AF, ſegmentum cycloidicum, quod hoc caſu degenerat in ſpatium cycloidis totale, habere ſuum centrum gravitatis diſtans a vertice A, $\frac{7}{6}a$, ſeu $\frac{7}{12}$ totius diametri circuli generatoris; & hoc unicum eſſe omnium ſegmentorum rectorum, cujus centrum gravitatis independenter ab ulla quadratura ſit aſſignabile.

Eadem methodo ſi quæratur, quænam portio curvæ cycloidalis AB, converſa circa axem AK, deſcribat ſuperficiem conoideam, habentem centrum gravitatis algebraice determinabile, reperietur iterum, AK ſumendam eſſe æqualem AF: atque tunc centrum gravitatis ſuperficiei, a Cycloide tota ABE circa axem AF deſcriptæ, diſtare a vertice A, $\frac{2}{3}$ AH ſeu $\frac{1}{3}$ axis totius AF; & ſic præter integram ſuperficiem cycloidis circa axem converſæ, aliam partialem nullam dari quæſito reſpondentem.

Quod ſi vero idem poſtuletur pro ipſo conoide, iſt eſt pro ſolido ſegmenti recti circa axem converſi, reſpondeo rem eſſe omnino impoſſibilem: ſingula enim iſtorum ſolidorum (nullo excepto) ut & totum conoides, vel potius ſemiſphæroides, EAG, centri gravitatis determinationem non admittunt, niſi aſſumta quadratura circuli, vel dimenſione arcus circularis.

Interim, quod memorabile eſt, inveni ſectorem ſolidum IBAD, qui nempe oritur ex converſione ſectoris plani IAB circa axem AI, qui unicus eſt inter infinitos alios, cujus centrum gravitatis ſub poteſtatem algebraicam cadit: quem, non obſtante, quod hic methodum meam maxima parte aperuerim, inveniendum *Fratri* propono. Quæro itaque ab ipſo, quis ille ſit ſector planus AIB, qui rotatus circa AI faciat ſectorem ſolidum, in quo ſit centrum gravitatis independens ab ulla quadratura vel rectificatione; hoc quod a

me præſtitum eſt, non provocationis cauſa, multo minus ad oſtentationem ipſi propoſitum volo; ſed tantum, ut illi de hujusmodi inventis benignius ſentire anſam ſuppeditem, ſi forte in hoc plus negotii deprehenderit, quam initio putaverat.

Cæterum & hoc prætermitti non debet: quæ hanc circa materiam dicta ſunt, ſive de particularibus ſpatiorum quadraturis, ſive de centris gravitatis in uno alterove caſu algebraice aſſignabilibus, deque aliis id genus; ea multis aliis lineis curvis commode & eleganter applicari poſſe: ex. gr. illi curvæ, quam *Robervallius* vocat *Trochoidis* id eſt *Cycloidis Sociam* vel *Comitem*, quæ ejus temporis Geometris non minus fere quam ipſa Cyclois celebrata fuit; quamque etiam *Wallisio* ſub nomine *Curvæ ſinuum verſorum*, aliisque noſtrorum annorum Mathematicis egregiis conſideratam reperio. Generatur autem applicando ubique ad K rectam æqualem arcui circulari AL, vel etiam motu quodam continuo, aliisque modis, quos vide apud *Robervallium*, qui de ea juxta & de Cycloide fuſe ſcripſit, deditque quidquid fere deſiderari poteſt: ſit pro ſpatiorum ſolidorumque variis modis factorum dimenſione; ſit pro eorundem centrorum gravitatis, utut per quadraturas, determinatione: nihil tamen de ipſius curvæ longitudine habet, quæ reperitur æqualis circumferentiæ ellipſis alicujus, in qua axis major duplus eſt ſuæ parametri. De algebraicis vero caſibus, de quibus hic ſermo, nec apud ipſum nec apud alios vel hilum extat. Dico itaque, etiam in hujus curvæ ſpatio infinita eſſe ſegmenta abſolute quadrabilia. Ductis enim duabus applicatis, una ad dextram, altera ad ſiniſtram, & a centro circuli generatoris hinc inde æqualiter diſtantibus; recta connectens applicatarum extremitates abſcindet ſegmentum, quod eſt æquale rectangulo ſub diametro & ſub correſpondenti applicata circuli: reliqua de ſectoribus, Zonis, conoidum ſuperficiebus & ſolidis, ut & de centris gravitatis, quod unicuique nunc pateant, lubens prætereo.

Deberem hic aliquid dicere de Cycloidibus *contractis & protractis*, etenim etiam hiſce fere omnia competunt quæ de *primaria* oſtendi; ſuffecerit autem ſi hic generalem regulam indicavero, pro determinatione omnium ſegmentorum abſolute quadrabilium, ſive in *contractis* ſive in *protractis Cycloidibus*: alii qui plus otii na-

cti

ēti ſunt, reliqua ex dictis facile indagabunt. Eſto radius circuli generatoris ſeu diſtantia puncti deſcribentis a centro rotationis $= a$, radius vero circuli ſuper recta rotati $= b$; applicentur duæ ordinatæ ad partes axis ſive easdem ſive oppoſitas, quæ a vertice Cycloidis ita diſtent, ut earum diſtantiæ ſimul ſumtæ ſint $= 2a - (aa : b)$ Dico lineam rectam connectentem extremitates duarum harum applicatarum reſecare ſegmentum quadrabile in iſta *Cycloide*, quæ erit vel *contracta* vel *protracta*, prout a vel b major eſt. Hoc autem ſegmentum, ſi applicatæ ſunt ad easdem partes, erit $= \overline{b - \frac{1}{2}a} + \frac{1}{2}y \sqrt{2ax - xx} - \overline{b + \frac{1}{2}a} - \frac{1}{2}x \sqrt{2ay - yy}$, ſin ad oppoſitas erit $= \overline{b - \frac{1}{2}a} + \frac{1}{2}y \sqrt{2ax - xx} + \overline{b - \frac{1}{2}a} + \frac{1}{2}x \sqrt{2ay - yy}$, intelligo per x & y diſtantias duarum applicatarum a vertice Cycloidis, ita ut $x + y$ ſit $= 2a - (aa : b)$ unde patet ſi $2a - (aa : b)$ ſit vel nihilo æqualis, vel quantitas negativa, id eſt ſi $2a$ ſit $=$ vel $<$ $aa : b$; ſeu ſi b ſit $=$ vel $<$ $\frac{1}{2}a$, ſegmentum quadrabile fore tunc imaginarium, adeoque impoſſibile: hinc memorabile fluit, omnes quidem *Cycloides protractas* habere infinita ſegmenta quadrabilia, ſed non omnes *contractas*: etenim illæ tantum, quæ b majus habent quam $\frac{1}{2}a$, pariter gaudent infinitis hujusmodi ſegmentis, reliquæ vero omnes ne unico quidem.

SPICILEGIUM SS. PATRUM, UT ET HÆRETICORUM, Seculi poſt Chriſtum natum I, II & III. Autore JOANNE *ERNESTO GRABIO. Seculi II. Tom. I.*

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1699. in 8. plag. dimid. $33\frac{1}{2}$.

LAudabile Clariſſimi Auctoris inſtitutum menſe Junio ſuperioris anni pag. 256 expoſuimus, primi Seculi fragmenta ab illo eruta recenſentes. Nunc ad ſecundum procedentes, ex Dedicatione monemus, Auctorem præterea novæ S. Irenæi editioni expoliendæ & adornandæ ſtrenue inſudare; in præfatione autem indicem Patrum texere, quorum fragmenta in MSStis Bibliothecæ Bodleianæ Catenis reperiuntur, adjecto alio inſigni dicto, quod Chryſoſtomus ſive alius citavit absque auctoris nomine, licet S. Ignatium ab eo indigitatum fuiſſe, Grabius ſuſpicetur.

Ipſum Spicilegium *a S. Ignatio* initium ducit, cujus patriam,

Digitized by Google

Noram Sardiniæ, a Tentzelio ex Abulpharagio detectam (vide, ſi placet, Acta noſtra An. 1692, pag. 540.) doctiſſimi Hydii ſuffragio firmat; originem fabulæ de corde Ignatii diſſecto aureisque nominis Jeſu litteris ſignato, ex genuina cognominis θεοφόρυ notione derivat; de Actis Martyrii genuinis, ſed ultima parte interpolatis, diſſerit; ſeptem epiſtolas cum Pearſonio adverſus Dallæum aſſerit, non obſtantibus Laroquani exceptionibus; novam objectionem adverſus S. Ignatii pariter ac aliorum Apoſtolicorum Patrum epiſtolas, quod Canoni librorum N. T. non inſertæ ſint, diluit; denique nonnulla de aliis Ignatii ſcriptis ſubjiciens, ipſa *Martyrii Acta*, ſive potius *Paſſionem S. Martyris Ignatii*, primum Latine ab Uſſerio, deinceps Græce a Ruinarto edita, exhibet, ultimamque eorum partem ſpuriam eſſe, variis evincit argumentis. Sequuntur tria Ignatii fragmenta, quorum duo in Damaſceni Parallelis ex genuina quondam Ignatii ad Antiochenos epiſtola, tertium vero a Chryſoſtomo vel ex eadem, vel ex alia, vel potius ex Didaſcalia ejus nomini adſcripta deſumtum eſſe putat. Hinc *librorum Papiæ de expoſitione oraculorum Dominicorum fragmenta* ex Irenæo, Euſebio, Andrea Cæſarienſi & aliis collecturus, quædam de Papiæ præceptoribus, encomiis & martyrio præmittit.

Pari modo *Fragmenta Commentariorum Baſilidis Hæreſiarchæ* auſpicatur a brevi diſquiſitione de ætate & libris ejusdem, oſtenditque, eum ſub Hadriano maxime floruiſſe: & *Fragmenta Valentini Hæreſiarchæ* orditur de tempore & occaſione ſectæ ab illo conditæ, variisque ſcriptis propagatæ. Sic & *Fragmentis* reliquorum hæreticorum, *Epiphanis*, *Iſidori*, *Ptolemai*, *Heracleonis*, quæ ad ætatem ſcriptaque illorum faciunt, præmittit, hancque ſectionem claudit duobus ſpurii *Evangelii ſive Traditionum Matthiæ Fragmentis*.

Inde ad Orthodoxos regreſſus, breve *Fragmentum Apologiæ Quadrati pro Chriſtianis* ex Euſebio recitaturus, adverſus Valeſium cum D. Cavio unum tantum ſtatuit Quadratum, qui Apoſtolorum diſcipulus & Athenienſium Epiſcopus fuerit, & Hadriano Apologiam obtulerit. Brevius ſequitur *Monitum de Ariſtidis Apologia*, cujus reſtitutionem ſperat & a peregrinantibus requirit Grabius, ex quo in Itinerario D. la Guilletiere legimus, adhuc in Bibliotheca Calojerorum, qui prope Athenas in monaſterio Midelli habitant, dictam

Digitized by Google

ctam Apologiam ſervari. Breviſſimis abſolvit *Agrippam Caſtorem*, & *excerptum ex ejus tractatu contra Baſilidem hæreſiarcham*. Paullo prolixior eſt in *Ariſtone Pellæo*, quem Maximus in Commentariis ad Dionyſium Pſeudo-Areopagitam, auctorem facit *Diſputationis Iaſonis & Papiſci*, Grabius autem ab Ariſtone, tertio Smyrnæ Epiſcopo, diſtinguit: deinde ſcriptum ipſum ex Origene adverſus Celſum delineans, Græce id periiſſe dolet; Latinæ autem verſionis ſolam ſupereſſe præfationem inter Cypriani opera. Quatuor exigua *Fragmenta* ipſe ex Euſebio, Hieronymo & Maximo collegit, notisque illuſtravit.

Prolixiſſimus eſt in vita *Juſtini Martyris*, & ſcriptis tam editis, quam ineditis, horumque *fragmentis* recenſendis, iisque ſeptuaginta columnas impendens claudit voto omnium eruditorum, ut quantocyus prodeat nova accuratiſſimaque Juſtini Martyris editio, quam parat Thomas Creech, S. Theol. Baccalaureus & Collegii omnium Animarum Socius. De *Hegeſippo* pauca reperit dicenda, ejusque *fragmenta* ex Euſebio & Photio recitat. Nec plura ferme de *Dionyſio Corinthio*, quam Euſebius & Nicephorus habet, addito Baronii errore, a recentioribus emendato. Ultima *fragmenta Theophili Antiocheni* ſunt, de cujus vita & ſcriptis nonnulla prælibans, intactam modo relinquit controverſiam inter Dodwellum & Cavium motam, an libri ad Autolycum ab illo Theophilo Epiſcopo, aliove ſcripti ſint? Nec definire audet, an ejusdem ſint Commentaria Allegorica in Evangelia, quæ Latine tantum hodie ſuperſunt.

In *Notis pag. 225. 226.* adverſus Uſſerium contendit, famoſum epiſtolarum Ignatianarum mangonem non Apollinariſtam, ſed Arianum fuiſſe; occaſionemque fingendarum & interpolandarum inde cepiſſe putat, quod ab Athanaſio, & aliis forte, objecta fuerit impiæ huic ſectæ S. Martyris auctoritas; quam ut eluderet, & erroris ſui adverſarium in patronum ejusdem transformaret, eum pravo ſtylo corrumpere, falſasque literas illius nomini ſupponere voluiſſe. *Pag. 227. 228.* ſinceritatem codicis Florentini harum epiſtolarum adverſus objectiones Tenzelii defendere ſatagit: *Verſus* autem *in Adamum Græcos*, Ignatii nomen præferentes, non hujus S. Martyris eſſe, ſed alterius multo recentioris, Ignatii Diaconi, auctoris Tetraſtichorum, quibus fabulas quasdam Æſopi illigavit, perperam

peram Babriæ ſive Gabriæ adſcriptorum, pro certo habet. *Pag. 229* de duplici ſenſu dicti Ignatiani, *Amor meus crucifixus eſt*, & utriusque patronis agit. *Pag. 230* putat, Paulum Philip. IV, 3 per γνήσιον σύζυγον non Epiſcopum, ſed conjugem ſuam intelligere. *Pag. 233* apprime notandum dicit teſtimonium Heracleonis, aſſerentis, ex S. Apoſtolis Matthæum, Philippum, Thomam, & Levi, ſive Lebbæum, Jacobi fratrem, citra martyrium mortem obiiſſe. Cui, licet hæretico, ſed Apoſtolorum ætati perquam vicino, in hac re hiſtorica majorem fidem habendam putat, quam fabuloſis recentiorum ſcriptorum narrationibus de cruenta laudatorum Apoſtolorum morte. Sed de his alibi pluribus aget Grabius. *Pag. 236* inſerit tria Heracleonis fragmenta, ſupra omiſſa. *Pag. 239, 240* obſervat morem Tertulliani, perpetuo fere Veteres, qui ante ipſum ſcripſerant, imitantis; unde concludit, ex Dialogo quoque Jaſonis & Papiſci eum quædam in librum contra Judæos transtuliſſe. *Pag. 240 ſeqq.* docet, quomodo Gentiles in ſuis myſteriis Baptiſmi & Euchariſtiæ ſacramenta æmulati fuerint. *Pag. 245* Libros XII in Hexaëmeron Anaſtaſio Patriarchæ Antiocheno ſeniori, qui ſeculo VI vixit, vindicat, & cum ultimus tantum Græce a Petro Allixio vulgatus ſit, novam omnium eadem lingua editionem aliquando ſuſcipiet Grabius. Hinc quoque ætatem Olympiodori ab Anaſtaſio allegati elicit, & ſeculo quinto vel VI affigit, quem inter incertos retulerat, ſeculoque decimo adſcripſerat Cavius. *Pag. 251. 252* occurrit Græcus integer Euſebii locus, in Catena Corderii in Lucam Latine tantum, mutileque allegatus.

JACOBI TOLLII EPISTOLÆ ITINERARIÆ: ex Auctoris ſchedis poſtumis recenſitæ, ſupletæ, digeſtæ; Annotationibus & figuris adornatæ, cura & ſtudio HENRICI CHRISTIANI HENNINII.

Amſtelodami, typis Franciſci Halmæ, 1700. 4. Alphab. 1. plag. 13. fig. æn. 18.

TAm celebre ſplendidumque & Auctoris & Editoris nomen eſt, in noſtris quoque Actis ſæpius memoratum, ut ampliori elogio haud indigere videatur. Præterita igitur Dedicatione ad *Per illuſtrem*

ſtrem Witſium, COS. Amſtelædamenſem, cujus erga litteras amor, & ſtudium in detegendis orbis ad ſeptem Triones vertentis plagis, reque nautica deſcribenda laudatur; ac CL. Henninii præfatione, qua rationem harum epiſtolarum operamque a ſe in iis vulgandis præſtitam delineat: ad ipſas perluſtrandas ſtatim accingimur. *Epiſtola 1* Tollius incipit a duabus inſcriptionibus Romæ in baſi prægrandi inventis, in quibus ANTINOITON & EUNOSTIDON mentio fit; quorum priores ipſi videntur fuiſſe collegium *Antinoitarum*, qui Antinoo, Hadriani quondam delicio miniſtrarent, jam in Deorum numerum relato: poſteriores vero collegium Sacerdotum, vel quorumvis aliorum hominum, vota *pro felici itu & reditu Principis* facientium. Addit alias tam Latinas, quam Græcas inſcriptiones, quarum duas in annotationibus ita illuſtrat Henninius *pag. 20*, ut prius marmor æri inciſum ſiſtat, in quo conſpicitur pater Zenodotus, mater Demetria, & filius diſcens Meneſtratus, cum libro: habitu omnes Græcanico. Iter ſuum ingreſſus Tollius 20. menſis Januarii die A. 1687, primo in Weſtphalorum ruſticorum ſordes invehitur, cenſetque illum, qui in Taciti libellum de moribus Germanorum commentarium ſcribere voluerit, Weſtphalos tantum adire debere, inventurum illic uberrimam commentandi materiam. Plura huc confert Henninius *pag. 21. 22. 23*, inprimis elegantiſſimum Torckii carmen. Tollius Hannoveram delatus palatium Principis minus ſibi magnificum viſum fatetur, præclarius autem Cellenſe. Brunſuici laudat mommam, ut præſtantiſſimam omnium, quotquot biberit, cereviſiam. In Guelpherbytana bibliotheca, omnium præconiis celebratiſſima, ſibi occurriſſe memorat tabellam plumbeam in ſepulcro Lotharii II Imperatoris repertam, qua is dicitur *regnaſſe annos XII, menſes III, dies XII, obiiſſe autem III Nonas Decembris*: præterea MS. Chemicum Græcum Heliodori, carmine jambico, Xenophontis nonnulla, Philelphi &c. e Latinis Quintilianum, Tibullum, Virgilium &c. Erat & vocabularium MS. Italico Arabicum, cui *tabulæ* duæ inſertæ *Geographicæ Arabiæ Felicis & Ægypti*: ordo ipſe vocabulorum & expreſſa Italico charactere pronunciatio perpulere Tollium, ut illius editionem accuratiſſime commendaret. Ex gazophylacio Principis notat Theraph, ſive Theraphinum, ſeu cranium humanum, opere muſivo cœrulei coloris

Mm ſeg-

ſegmentato incruſtatum, arteque olim magica ad oracula reddenda conformatum: quam tamen ſententiam impugnat Henninius *pag. 25.26*, cenſetque, cranium illud vel ad ſanctorum quondam reliquias pertinuiſſe, vel poculum fuiſſe, ex hoſtili cranio, ut oculis placeret, ita incruſtatum. Dehinc Goslarienſes vicinasque fodinas deſcribens Tollius, non ſolum ſingularia quædam inprimis de vitriolo virente, duriſſimo & omnes cryſtallos nativo ſplendore ſuperante; ſed & quædam tam Principi, quam privatis dominis multum profutura, de faciliori ſulfuris a cupro ſolvendi, ferrum in cuprum mutandi, &c. ratione aperit: quibus rei metallicæ ſtudioſi Henninii notas *pag. 26 ſeqq.* utiliter jungere poterunt. Hic etiam *pag. 31 usque ad 35* prolixe de Crodone & Büſtericho, Germanorum quondam idolis, agit, propoſitis etiam iconibus, de quibus vix tria verba dixerat Tollius, ad incommoda diverſoriorum iterum dilapſus, quæ non ſine riſu, imo & invidia, non diffitente in notis *pag. 35.* 37 Henninio, perſtringit. Denique Tollius *pag. 19* delineat priſca ſepulcrorum Germanorum monumenta, in via, quæ Magdeburgo Brandenburgum tendit, conſpicua, ingentium nempe lapidum ſeries in longum porrectas. Id ex pluribus auctoribus confirmat Henninius *pag. 38*, corrigens ſimul Tollii querelas de vehiculis noſtris veredariis in fine motas.

Epiſt. II continentur, quæ cum Sereniſſimo Electore Brandenburgico, FRIDERICO WILHELMO, Potsdami egerat Tollius, offerens illi nummos quosdam ex omni metallo, æreis cumprimis *Hoſtiliani*, *Gordiani & Vaballathi*, quos rariſſimos dicit Henninius *pag. 51*, explicata ex alio Tollii loco ratione conficiendi nummos artis Chemicæ, quorum quatuor Tollius ſe Electori attuliſſe ſcribit, binos æreos, queis argentum; & binos argenteos, quibus aurum ita infuſum, ut imaginem tincturæ exhiberent Philoſophicæ. Ubi vero Elector viciſſim inter alia Tollio oſtendit arborem, cui cervina calvaria cum cornibus inolita erat; reprehendit Noſter adulatores, qui dixerint, nil in terrarum orbe ſimile inveniri: cum tamen ipſe poſtea in uno Sereniſſimi Electoris Saxoniæ gazophylacio tria iſtiusmodi viderit, & in pinacotheca Auguſtiſſimi Cæſaris Bohemica aliud. Cenſet igitur, dolum venatorum eſſe, gratiam Principis captantium, & creſcentibus arboribus novellis illa inſerentium, quæ dein,

Digitized by Google

dein, tanquam innata, creſcendo complectantur. Henninius *pag. 52* tria ejus notæ ex Jacobæi Muſæo Danico Regio adfert, putatque Tollii conjecturam non omnino vanam eſſe; obſervans tamen, & ipſos cervos ſæpe cornua tenerioribus arboribus intrudendo abrumpere. Laudatum a Tollio in Electore rerum omnium antiquarum & elegantium amorem ſummum, ex Ephemeridibus Naturæ Curioſorum comprobat Henninius, cenſens, talia in vita privata maximi Principis commemorari potius decere, quam alia minus jucunda & neceſſaria. Tollius autem pluribus hæc illuſtrat exemplis, & inter alia a Potentiſſimo Electore relatum ſibi inter ſermocinandum fuiſſe memorat, Vandalos Regem habere gentilem, ſed clanculum, cui tamen nec corona deſit, nec ſceptrum; huic illos annuum in capita tributum conferre ſingulos ſeſtertios: illum ſibi Regem aliquando oculis viſum, juvenem corpore pariter & animo validum, quem cum attentius conſideraret, atque id cuidam ejusdem gentis ſeniori, & ſine dubio non minimæ auctoritatis, eſſet animadverſum, iſtum ſeniorem, ut ſibi (Principi Electori) ſuſpicionem illam demeret, Regi ſuo baculum impegiſſe, eumque ita, velut vile mancipium, abegiſſe, &c. Quin & de curioſis diſſeruiſſe, ut de conchulis, unde argentum purum excreverat; de lapidibus illis ſuperius memoratis, ac certa ſerie inter Magdeburgum & Brandenburgum diſpoſitis; quales quondam in Holſatia effodi curaverat Elector, ea mente atque ſuſpicione, inventurum ſe aliquid oſſium giganteorum, at nil reperiſſe, niſi numiſmata quædam vetera. Poſthæc Tollius exhibet carmen Belgica lingua conſcriptum, quo natalem Electori gratulatus erat; profectusque Berolinum, inſignem vidit bibliothecam, & in ea magnam Arabicorum Orientaliumque librorum (Sinenſium maxime, advertente in notis p. 53 Henninio,) copiam; duos codices, quorum alter Græcus, duobus voluminibus Novum Teſtamentum complectebatur, absque accentuum notis perſcriptus, alter verſionem continebat Latinam Vulgatam antiquiſſimam, quo ſe Eraſmus plurimo cum fructu uſum, bis ſua manu annotaverat. In nummis laudat ſtudium eruditiſſimi & harum deliciarum intelligentiſſimi Begeri, refertque, plures quam ducentos, e ſex ſeptemve millibus ſelectos, iis ſe addidiſſe; & in his unicum illum, quantum

Digitized by Google

hactenus audire ac diſcere licuerit, *Trajanum*, cum inſcriptione, in imitatoris Hadriani nummo ab illuſtri Viro, Ezechiele Spanhemio inprimis laudata: LOCUPLETATORI ORBIS TERRARUM. Hunc nummum amplius commendat defenditque Henninius in notis *p. 53, 54, 55*, præmiſſis quibusdam maxime eximiis, Electorali gazæ a Tollio illatis: aureo nempe *Julii Cæſaris Dictatoris*, cum *Hirtii* in averſa parte epigraphe; *Æmiliano* ex ære, Trienteque priſcæ Reipublicæ antiquiſſimo. Porro notabilis eſt diſcurſus Tollii cum Kunkelio de Lapidis Philoſophici vera confectione, quam quidem experiri tunc voluit Noſter; ſed quod diſcedendi tempus aderat, jam fere peracti Lapidis materiam in plateam projecit, cujus facti velut ultrix Fortuna nunquam deinde reparandi erroris occaſionem voluit concedere. Quibus grave monitum ſubjicit Henninius p. 55, addens, ſe ſemper Tollio auctorem fuiſſe, ne blandiretur amabili ipſe inſaniæ. Tollius autem aliis Miniſtris Electoralibus laudatis, ſingularia quædam ad Polonorum mores ſpectantia, quæ ab eorum aliquo audiverat, adfert, prolixius ab Henninio ex optimis ejus gentis conſtitutionibus ſcriptoribusque aſſerta *a pag. 56. usque ad 61.* Nec ſpernenda Tollius Henniniusque producunt de lignis in lapidem mutatis, & fontibus nonnullis id efficientibus: ſed myſteria chemica, a Tollio in pictura quadam Herculis Potsdami quæſita, ridet & ad mythologiæ leges explicat Henninius. Claudit tandem Tollius, tam Potsdami, quam Electoralis remunerationis elogio.

Epiſtolam III inſcribit Gerardo de Vries, clariſſimo Philoſopho, cujus laudes in notis *pag. 77* celebrans Henninius obſervat, eum magnum, & quo ſe ipſe victurus ſit, moliri opus, Lucretiumque commentariis Philoſophicis illuſtraturum, additis Tollii emendationibus, collationibus & notis poſtumis. De Wittenberga abjectius judicans Tollius, nihil eam habere, quod advenas alliciat, niſi famam nominis, emendatur ab Henninio, partim ob veneranda illic Germaniæ eruditæ decora, Schurtzfleiſchium, Kirchmayeros; partim ob alia non pauca viſu digna, qua in re Carolus Patinus in Epiſt. Itiner. Gallice editis ipſi viam monſtrare potuiſſet. Noſtram vero Lipſiam prolixius commendat Tollius, una cum bibliotheca Academica & Senatoria, viriſque nonnullis doctis, inprimis deſideratiſſimis Collegis noſtris, Joach. Fellero, Frid. Bened.

Carp-

Carpzovio, & ſuperſtite adhuc Joan. Gothofredo Herrichio. Nec pauca confert Henninius *pag. 77. ſeqq.* tam de MSS. Græcis, in Academiæ bibliotheca Tollio viſis, Joſephi, Theodori Studitæ, Naucratii, & Macarii: quam ad Herrichii encomia, integrum ejus de Thea herba Doricum Melydrion inſerendo. Hinc Dreſdam abiens Tollius, jucunditatem ex agro urbeque Miſnenſi, imo & ruſticorum veſtitu abs ſe captam memorat; tum apud Oſchatzium, & vitrioli & latentis in proximo metalli indicia: ſalſe autem perſtringit partim metallicos, qui inani ac fallaci virgæ ſuæ indicio fodinas inſtituunt; partim chemicos, e quorum numero ne quidem ſeipſum eximit, qui fumum lacrumas poſt exciturum multo probo & excocto auro argentoque commercari ſolent. Inter alia bibliothecæ Dreſdenſis *Electoralis* MSSta celebrat duos S. Scripturæ codices, tot fabulis refertos, ut ea ipſa de cauſſa aſſerventur; & plures ejusmodi tam ipſe, quam Henninius in notis *pag. 84.* recenſet: ex profanis porro Ciceronis aliquot, & Catulli, Lucani, Virgilii, Ovidii, pluriumque aliorum auctorum; ex cæteris Lutheri autographa, & in his carmen vernaculum tabellæ ſubſcriptum, in qua Romanus Pontifex Imperatori Romano caput gladio amputat.

Via Pragenſi breviter defunctus Tollius, ipſa urbe nullam in Gallia, Germania, Hungaria, Belgioque viſu amœniorem dicit, elegantique eam carmine dilaudat. In arce Regia eſt incredibilis pretii pinacotheca optimorum pictorum tabulis referta, quarum una Tintoretti, & arte & ipſa pretii magnitudine eminebat, duodecim thalerorum millibus redemta. Vidit ibidem ſtatuam Amazonis Bohemicæ, quæ a milite ad ſtuprum petita miro fortitudinis auſu ſeſe liberaverat: vidit varia, vel fortunæ, vel naturæ, in cervinis cornibus, luſuum exempla: vidit binas imagines concubinæ Cæſaris Rudolphi II; qui cum a Tychone Brahe monitus eſſet, ne quam uxorem duceret, quod, qui ex ipſo naſcerentur, futuri eſſent crudeliſſimi ac truculenti, abſtinuit a conjugio, & hac uſus eſt concubina perpulcra: verum ex ea natus filius nothus tam ſævo ingenio fuit, ut jam adultus amaſiam minus ſibi obſequentem immanem in modum conciderit; qua re motus Rudolphus juſſit ei venas incidi, ſicque ſe & alios terrore peſtiferi hominis liberavit. Sed quæ de ſolio Diaboli, & redditis ibi oraculis fabulatur Tollius, Hen-

ninius *pag. 86* ne quidem refutatu digna cenſet, quippe memoriæ Imperatoris optimi injuria: & mox de ſomno eleganter explicat ſignum pueri, leonis pelli indormientis, quod delineaverat & de Cupidine acceperat Tollius. Hic addit nonnulla ad hiſtoriam dejectorum ex altiſſimis feneſtris Cæſareorum Miniſtrorum, belli Bohemici initio, facientia. Palatium ipſum vocat quidem amplum & ſpatioſum, verum minime ſplendidum, nec ſumtuoſum; ut ſint Imperatoria omnia, tam hic, quam Viennæ & alibi: neque enim Auſtriacos Principes ſuperbis & in ſpeciem magnificis palatiis delectari. Quædam his jungit de aliis Pragæ templis & cœnobiis, & de viris præſtantibus, quibuscum notitiam contraxit: tum de via, qua Viennam petiit, pauciſſima inſpergens de Bohemiæ metallifodinis, quem defectum ſupplet Henninius *pag. 88 ſeqq.* integra Joan. Georgii Greiſelii narratione, ex Ephemeridibus Naturæ Curioſorum Decuriæ primæ Anno II mutuata.

Epiſtolam IV. a bibliotheca Cæſarea auſpicatus Tollius, deplorat paucas reliquias Buda advectas, quas majoris ponderis eſſe crediderat. Nonnullos tamen ex iisdem codices MSStos Græcos Latinosque refert, unde jam notaſſe ſufficiat quatuor Achmetis Onirocriticôn, quos cum editione Rigaltiana contulit, atque inde omnes in hac hiatus explevit, & plura, quam mille, ne dicam bis mille, menda ſuſtulit. Henninius *pag.* 118 monet, id opus nunc exſtare apud Tollii ex fratre filios, forſan aliquando edendum; additque præter alia de MSStis Tollio memoratis obſervata, geminam bibliothecæ Cæſareæ inſcriptionem. Varios argumenti chemici ſermones, quos cum variis maximæ dignationis viris Viennæ miſcuit Tollius, & huic epiſtolæ hinc inde inſeruit, Henninius autem ſæpe repreſſit ſive correxit, conſulto, tanquam prolixiores, præterimus, tribus tantum enotatis. Primum *ex pag. 103 & 129* de Helmontii Paradoxis Chemicis, ex Anglico a Tollio verſis, iisdem hodie apud fratris ejus filios exſtantibus, qui aliquando publico non invidebunt patrui ſui laborem. Alterum *ex pag. 110* de nummo aureo, Pragæ a quodam Chemico injecta tinctura, argento in aurum mutato, cujus imaginem & deſcriptionem ex Bechero repetit Henninius *pag. 138*, adjecto epiphonemate de miſera Becheri morte in pandocheo ſive xenodochio Londinenſi. Tertium *ex pag.*

111 ſeqq.

Digitized by Google

in. ſeqq. de Wenceslao Reinersberg, monacho Auguſtiniano, quem Tollius quidem ſine ullo dubio poſſeſſorem tincturæ fuiſſe pronunciat, a Priore Ordinis ſui acceptæ, ad quem a Comite Schlickio, Pragæ mortuo, devenerat. Sed relatis nonnullis de eo fabulis ait, impoſtorem illum deceptis pluribus ad plures abiiſſe: qui cum ipſe tincturam in plumbum Mercuriumve projiceret, veriſſimum & puriſſimum e catillo effundebatur aurum; cum alii dediſſet, nihil minus. Unde regerit Henninius *pag. 138*, veram tincturam nunquam ab eo alii datam; variosque ſubjicit impoſturæ modos.

Nos ad alia pergimus certiora. *Pag. 102. 103. 104* Tollius, præeunte Archiepiſcopo Pragenſi, egregie oſtendit, metalla cuncta, uti cætera vegetabilia, creſcere & decreſcere: idque plurimis experimentis *a pag. 121. usque ad 129.* ſtudioſiſſime collectis confirmat Henninius; ac totidem mox paginas inſumit jucundiſſimæ margaritarum contemplationi, additis figuris æneis non tantum aliquot concharum & cochlearum margaritiferarum, ſed & inſtrumentorum, quibus conchæ bivalviæ absque ulla læſione aperiri, unionibus privari, ac rurſus in ſuas aquas, ad novum partum, immitti poſſint: cujus artis ſubobſcuram Tollio *pag. 105* mentionem fecerat Pragenſis Archiepiſcopus. Cæterum ſingularia de Turcarum caſtris in obſidione Viennenſi habet Tollius *pag. 106*, & alia binis ſequentibus de Joanne, Polonorum Rege demortuo, quod poſt liberatam Viennam nihil egerit dignum nominis fama, lactatus incerta ſpe obtinendæ Filio per pecuniam Gallicam in Regno Poloniæ ſucceſſionis: qua tamen in narratione acumen judicii Tolliani deſiderat Henninius *p. 137. 338.* Inæſtimabilem Cæſareæ gazæ theſaurum ita deſcribit, ut primo collocet celebrem illam Rudolfi II coronam Bohemicam, aliasque aliorum; inde pergat ad enſes & acinaces, aliaque arma pretioſiſſimis lapillis exornata; ad Guſtavi Adolphi thoracem, ex alcis corio, in quo vitam victor exhalavit; ad patinam a Lambecio effigiatam, gemmam a Rubenio expoſitam, vaſa integra ex unico lapide pretioſo exſculpta aut elaborata; ad auri foſſilis argentique fruſta, in quibus cum nihil magis cepit, quam illa virga aurea, quæ Tockaji inter vineas excreviſſe fertur, atque inde Cæſari dono miſſa eſt, extremitatibus inſtar clavicularum, quibus ſe involverat, inflexis. Præterea Tollium mirifice de-

lecta-

lectabat magna veterum gemmarum copia, tam cum inſculptis, quam cum exſtantibus omnis generis imaginibus, Deorum, Dearumque, Heroum, Heroidum, Cæſarum, Auguſtarum, Symbolorum & ſimilium. Dolet autem, ſibi eas non licuiſſe cera exprimere: unde cùm Henninio *pag. 139* publicis votis ab Auguſtiſſimo LEOPOLDO contendimus, ut totius Orbis admirationi publico libro, ſed quem erudita manus componat, artifex dextra cælo exaret, exhibeantur gazæ Auguſtæ, tot curioſa, tot rara, tot ſpectabilia, cum naturæ, tum artis miracula.

Epiſtola quinta iter Tollii Hungaricum pandens longiſſima quidem eſt, plurimisque figuris urbium æneis ab Henninio ornata; ſed quoniam regnum illud elapſi belli tempore a multis deſcriptum eſt, & nec urbes, nec aurifodinæ ejusdem facile ignorantur, brevioribus nobis nunc eſſe liceat. Initium fit a Poſonio, ubi inſignem veterum numiſmatum congeriem luſtravit Tollius, multos Græcos Gothicosque hactenus non viſos animadvertens; inter Gothicos quosdam duplici vultu inſignes, quibus inſcriptum BIATEG, item UNNO. Hos, ut & alios multos, maritum Petronella urbe accepiſſe Vidua aſſerebat. Hungariæ fœcunditatem inde repetit Tollius, quia totum fere calce viva ſubſtratum eſt ejus ſolum, cujus ſubigendi rationem amplius exponit. *Pag. 145. 146* vitam rationemque iter faciendi militarem non ſine quadam animi voluptate a ſe ſpectatam delineat. Inde Jaurinum Comaroniumque ſiſtens obſervat, virginum hic perexiguum eſſe numerum: raro enim tertium quartumve decimum ætatis annum attingunt, quin nubant. Eſt namque Hungarorum natio virginum amantiſſima; hinc ut integritatis illarum certi ſint, duodecennes tredecennesve ducuntur: nec vidua fere ulla, licet & juvenis & bella, attingitur. *Pag. 156. ſeqq.* prolixus eſt in Schemnizio metallique fodinis, cui ab illis præſertim, qui Germanica ſubinde injecta neſciunt, jungendæ ſunt Henninii annotationes *pag. 207, 208.* Peculiarem conſiderationem merentur Tollii verba, *pag. 161* narrantis, ſe viſum eſſe ſibi in fodinis illis inveniſſe rationem æris in argentum, & argenti in aurum commutandi, Cæſarique obtuliſſe, ſed ab eo, ut putavit, admiſſam non eſſe. Curioſa etiam & non protrita de Carpatho monte ex obſervatione inſignis mathematici Davidis Frölichii

lichii adſcribit Henninius *pag. 109. 110.* Cæterum Tollius *pag. 165 ſeqq.* ad literarum ſeriem recenſet fodinas quas in Hungaria cognovit; & pag. 174 Cremnizenſes diligentiſſime perluſtrat, præmiſſa oppidi incolarumque deſcriptione, & graviſſima querela de intolerabili rapacitate non paucorum ducum & militum Cæſarei exercitus; optat proinde, ut in ſanctiſſimas Cæſaris manus hæc ſua ſcripta aliquando perveniant, quem nunquam non *Cæſarem miraculorum* appellare ſoleat, quod inopinatis ſemper & omnino miraculoſis, divinitus ſubmiſſis, ſuppetiis intentato ſibi exitio eripiatur. Inde *pag. 183. ſeqq.* Neuſolium adjectasque fodinas tranſiens, plurima habet curioſa ſcituque digna. Cujusmodi eſt *pag. 191. 192* naturæ miraculum, fons nempe in profundiori fodinæ ærariæ cuniculo, perenni ſcaturigine aquam mineralem fundens clariſſimam, quæ alveis excepta ligneis, ferrum injectum conſumit, formaque ejus eſſentiali ferrea corrupta, materiei reliquæ ita ſe circumfundit, ut ſex vel ſeptem hebdomadis pro ferro æs exhibeat eadem figura & forma. Rationem hujus rei non ſolum Tollius exquirit, ſed Henninius quoque in notis *pag. 214 ſeqq.* præclaris exemplis illuſtrat. Quando vero Tollius *pag. 193* refert, Altſolii aurum aliquando tritici ſemet radicibus involviſſe, & a ſervo arante repertum dominoque allatum, ſed nec volam dehinc, nec veſtigium illius fodiendo agnitum, licet *virgula* etiam *Mercuriali* quæſiti: hinc Henninius occaſionem capit, integra Diſſertatione, *a pag. 217 usque ad 235*, virgæ illius vanitatem demonſtrandi. Tollius denique Budam quoque acceſſit, itinere cum militibus inſtituto, indeque partim ſecundo Danubio, partim equis vectus Viennam rediit, licet ob ſtupendam Sclavicæ gentis in arte nautica imperitiam, periculis haud exiguis objectus. Nos adhuc ab eo *pag. 201* mutuabimur noviſſimam Cingarorum deſcriptionem, quos Pæſti, oppido Budæ objacente, reperit. Hic ego plurimos vidi, inquit, quos Germani vocant Zigeuner; Galli *Egiptiens* aut *Bohemiens*, Batavi Germanique inferiores appellant Heidens: ſparſa eſt hæc natio per Daciam, Mœſiam, vicinasque regiones, ſuosque habet ritus, mores ac linguam peculiares. Degunt ſub tentoriis, exercentque artes manuarias, quibus ſe tuentur, uti & coëmundis divendundisque, quæ clanculum ad ipſos deferuntur, mercibus. Religionem præ ſe ferunt

Nn Græ-

Græcam, cum ſub Chriſtianorum ſunt dominio, Pagani alias, ſive, ut vulgo dici ſolet, Religionis nullius: neque enim idola habent, venerantur tamen unum Numen, ſed ritu Barbaro.

Sexta & ultima epiſtola ad aliud quidem iter Græzienſe ſpectat, quod Tollius adoleſcens annorum circiter viginti, teſte Henninio initio notarum, deſcripſerat, ipſeque A. 1671 Auſonio ſuo inſeruerat: ſed quoniam paulo emendatiorem ab ultima Auctoris manu huc transtulit, variiſque obſervationibus auxit Henninius, nos quoque coronidis loco quædam excerpemus. Tædia itineris enumerans Tollius, pleroſque illorum montium, qui Vienna Græzium tendentibus ſuperandi veniunt, incolas ſtrumis, vel capitis, vel ovi, vel mali grandiuſculi magnitudinem referentibus, deformatos obſervat. Unde occaſionem ſumit Henninius *pag. 246. ſeqq.* cauſam ejus rei ex Daniele Heremita & Georgio Agricola altius inquirendi, huncque adverſus illum, acutiſſimi judicii virum, ac iniquiſſimum Germanico nomini, defendendi. Porro Tollius brevi Græzii, homagiique Cæſari ſe tunc præſente præſtiti, delineatione functus, reliquam fere epiſtolæ partem in laudes Nicolai, Comitis Serinii, Turcarum terroris, variarumque rerum apud ipſum viſarum, inſumſit. Henninius *pag. 250* aliud annectit elogium, Serinio circa A. 1667 defuncto, a Tollio in prima hujus epiſtolæ editione ſuſpenſum. Quando Tollius inter numiſmata antiqua apud Comitem ſibi viſa *Horatii Ovidiique* recenſet, Henninius *pag. 151* aſſerit, eum cum eruditis poſtea agnoviſſe, tales nummos non eſſe genuinos. Idem corrigit *pag. 253. 254* Tollium aſſerentem, in ſepulcro quodam Romano lucernam ardentem, integrumque cadaver contactu dilapſum fuiſſe inventa: utrumque enim inter fabulas recenſet Henninius, totum Opus claudens aliquot Inſcriptionibus, a Tollio Wormatiæ Coloniæque collectis, quibus notulas ipſe adſpergit, indicem rerum & verborum notabilium, Magnatum & virorum celebrium, locorumque accuratiſſimum ſubjiciens.

HERMANNI WITSII MISCELLANEORUM SACRORUM Tomus alter.

Amſtelædami & Ultrajecti, apud Franc. Halmam & Guil. van de Water, 1700. 4. Alphab. 5 ½.

Quid

Digitized by Google

QUid in priori Miſcellaneorum Sacrorum parte præſtiterit Doctiſſimus Witſius, dudum eſt, quod Eruditi haud citra inſignem animi voluptatem perſpexerunt. Nec noſtro nos officio defuimus, quando in Actis noſtris A. 1692. p. 227. ſeq. itemque p. 319 ſeq. primam, & A. 1695. p. 502. ſeq. iteratam eorundem editionem recenſuimus. Non poterit proinde non Tomus, qui nunc inſequitur, ſecundus (& ille quidem aliquot ſelectiſſimi argumenti diſſertationibus conſtans,) gratiſſimus eſſe omnibus illis, qui paulo norunt accuratius, quanta divinarum rerum ſcientia, qua judicii ἀκριβείᾳ & ſermonis facundia inſtructus atque exornatus Noſter ſit. Diſſimulandum tamen haud eſt, quod plurima heic repetantur, quæ & olim ſeparatim edita, & a nobis quoque alibi prolixius jam recenſita fuerunt. Ea igitur ob labores anteactos nunc quidem nobis otium relinquunt, cum ad ejusmodi tractatuum recenſus pridem factos Lectorem Benevolum ablegaſſe ſuffecerit. E tribus namque & viginti Exercitationibus, quæ maximam Tomi hujus partem conficiunt, ſicco nunc pede tranſilire licet duodecim iſtas, quas in *Exercitationum Academicarum Duodecadem* A. 1694 editam, & a nobis A. 1695. p. 67 memoratam conſtipatas, & inde rurſus huc tranſlatas comperimus. Sed & *Irenicæ ad controverſias, quæ ſub Antinomorum & Neonomorum nominibus in Britannia agitari ante annos aliquot cœperunt, Animadverſiones* hoc in volumine repetuntur, quarum ſummam nos A. 1696. p. 378. ſ. exhibuimus. Quamobrem nonniſi undecim Exercitationes ſunt ac quinque Orationes, de quibus in præſens monere quædam noſtrum eſt. Inter eas prima tituli loco præfixam gerit *Gloriam Meſſiæ Regis in demonſtratione Juſtitiæ & Gratiæ Jeſaiæ revelatam*, quæ ad capitis Jeſaiani ſexti illuſtrationem ex inſtituto facit, & glorioſam apparitionem Dei in Chriſto regnantis ad v. 1--5; ſanctificationem dehinc & miſſionem Jeſaiæ ad prædictionem earum rerum, quæ eventuræ erant populo, v. 6--8, ac denique pronunciationem infandi judicii in Iſraelitas refractarios v. 9--13 eleganter atque operoſe dilucidat. Secunda, *votivum Pauli anathema Rom. IX. 3.* conceptum examinat, iſtudque non de ſola morte violenta atque de annihilatione, nec de ſeparatione modo ab Eccleſia, ſed & de avulſione ab ipſomet Chriſto, & ea in æternum quoque duratura, excluſis tamen damnatorum peccatis,

 in-

intelligendum venire monet, tametſi Paulum nonniſi ſub conditione locutum teſtatumque fuiſſe addat, tam immenſa & incredibili charitate fratres ſuos Iſraelitas ſe proſequi, ut, quando ad eam felicitatem, a qua exciderint, miſeriamque, in quam ſe præcipitarint, attendat, æternæ ſuæ ſalutis diſpendio, ſiquidem id ſalvo Dei beneplacito fieri poſſet, redemtos cupiat, ut gloria Dei in univerſi potius populi ſalute, quam in privata ſua, luculentiſſime fulgeret. Poſt interjectas duas, unam περὶ τȣ̃ λόγȣ, alteramque *de Michaele* diſſerentes, quarum utraque in Duodecade jam olim propoſita fuit, quinta ſequitur *de monte Agar*, in qua negotium quam maxime Autori intercedit cum Richardo Bentlejo, qui in epiſtola ad Joannem Millium, excuſa ad calcem Hiſtoriæ Chronicæ Joannis Malalæ, ſcripturam Pauli, quæ nunc extat, imperitorum hominum audacia inſigniter corruptam fuiſſe contendit, ac integram iſtam pericopam, Σινᾶ ὄρος ἐςὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, quippe quæ de libri margine in orationem ipſam irrepſerit, expungendam venire arbitratur. Viciſſim vero Noſter verba ſingula retineri cupit, eorumque iſtum eſſe ſenſum ait, Agar ſignificat Sina montem, ſive idem, quod Sina ſignificat. Integra enim pericopa Gal. IV, 21--26. in typos ſibi & antitypos opponi ait duas matres, duos montes, & duos filios. Matres ipſi ſunt, hinc Agar ſerva, prius Abrahamo pariens, aliquando ejicienda; inde Sara libera, ſerius pariens, manſura. Agar figura ei audit Teſtamenti Sinaitici legalis; aſt Sara Teſtamenti pure Evangelici: quorum iſtud ſervitutis fuerit, & informatione ſua Deo populum pepererit externe fœderatum, & tandem aliquando exturbationem pati neceſſum habuerit; hoc vero tam ab elementis mundi, quam a lege, ut conditione, liberum, mater ſerior quidem, ſed populi ſpiritualis, perpetuoque perennaturum ſit. Montes deinde allegat duos, hinc Sina, horrentem rubetis, terribilem tonitrubus ac fulgetris, & ſitum in deſerto; inde Sion, amœnum, a Domino gratioſe habitatum, inque meditullio terræ ſitum. Montes hos pariter duo notare ait Teſtamenta: Sina, legale, pungens conſcientiam peccati exprobratione, terrens intentatione maledictionis, ac non valens introducere in cœlum; Sion vero Evangelicum, jucundum, blandis ſignis initiatum, inque cœlum amœniſſime deducens. Duos comparere notat Filios, hinc Iſmaelem, pri-

Digitized by Google

primogenitum, ex ſerva, & ad ſervitutem natum, perſequentem fratrem, ac demum ejiciendum; inde Iſaacum, poſt, & ex promiſſione natum, liberum, perſecutiones patientem, at hæredem permanentem. Duobus his filiis duos deſignari populos: Iſmaele Hieroſolymam præſentem, ſeu populum carnalem; at Iſaaco Hieroſolymam ſupernam, ſeu Eccleſiam Chriſtianam ſpiritualem. Sed pergimus ad nonam, (de ſexta enim *ad Eccl. XII*, 1--7. ſeptimaque *de uxore Lothi*, & octava, qua anquiritur: *quinam Aſſyriorum nomine in Sacris literis veniant*? dicta olim repetere haud opus eſt,) quæ *de Rechabitis* agit, & inter alia Hebræos redarguit, qui, quod Jonadab inſtituto ſuo poſteris de parabili victu proſpicere voluerit, contendunt. Subfuiſſe enim longe majora Autor innuit, quippe cum præſcriptæ Rechabitis leges ad fovendam pietatem fecerint, fidemque Prophetarum oraculis imminentes Judæis calamitates repetitis carminibus decantantibus adſtruxerint, ac denique terram iſtam, quam Judæi tam efflictim deperibant, propter ſe tanti faciendam non eſſe oſtenderint. Tres ſubſequentes *Hiſtoriam* pandunt *Hieroſolymæ*, decimaque tertia & quarta controverſiam *de Evangelio per Apoſtolos Americanis olim prædicato* pertractat, quod itidem jam antea a nobis fuit monitum. Hinc ex decima quinta *Joannis Baptiſtæ vitam* ad ductum Evangelicæ imprimis Hiſtoriæ adornatam ſiſtente, ſpeciminis in vicem obſervamus, quod Johannem, licet in ſpiritu & virtute Eliæ venerit, miracula tamen patrandi poteſtate ideo deſtitutum fuiſſe moneat, ut conſtaret, doctrinam ipſius nihil habere novi, quod extraordinariam confirmationem requireret, ſed eſſe teſtificationem rei vel inſtantis vel præſentis, quam voce unanimi Prophetæ omnes prænunciaverint. Addit, quod miraculorum a Johannis miniſterio abſentia neceſſaria propemodum fuerit, ne forte, ſi ſimilia præſtitiſſet iis, quæ Meſſiam præſtare oportebat, præcipiti judiciorum temeritate a multis pro Meſſia haberetur. *Vita Timothei*, quæ in Exercitatione decima ſexta comparet, olim a nobis memorata eſt. Decima ſeptima *de uſu & abuſu rationis* agit, & quæſtionem: utrum ſatius ſit Scripturæ verba flectere, ut cum rationis axiomatibus conveniant? an rationis axiomata ad eum ſenſum corrigere, quem Scripturæ verba fundant? ſic decidit, ut priori ſententia exploſa, poſteriorem

ſtaturninet. Decima octava de *conſcientia nunquam, an aliquando errante* agit; & ab iis plane recedit, qui conſcientiæ aliquando errores agnoſcentibus exprobrarunt, quod iſthoc facto certiſſime Atheiſmo & Scepticiſmo pateret janua. De conſcientia enim uti de facultate, eaque aliquando errante qui loquantur, eos Scripturam ac rationem ducem habere innuit. Decima nona tractatum exhibet *de efficacia & utilitate Baptiſmi*, quem A. 1693 ſeparatim primum evulgatum in Actis A. 1694. p. 90--92. juſto ſtudio recenſuimus. Quatuor, quæ poſt leguntur, diſſertationum facies ante biennium, occaſione diſſertationis, quam de præcipuis controverſiis ætate Pauli vigentibus Guil. Cave Antiquitatibus ſuis Apoſtolicis, & calci quidem vitæ Pauli Sect. IX. annexam inſeruerat, Belgica lingua adumbrata fuit. Cum enim controverſiam de Juſtificatione paulo aliter, ac in Eccleſia Belgica fieri ſoleat, celeberrimus Caveus pertractarit, hinc *Gentilium* æque *ac Judæorum Theologiam circa Juſtificationem* latius exponit, *controverſias* etiam *Apoſtolorum ætate in Eccleſia Chriſtiana circa præſentem fidei articulum motas* recenſet, ac denique *Pauli de Juſtificatione mentem*, *& illius cum Jacobo convenientiam* examinat. E quinario Orationum ſubjunctarum numero, prima *veri ac ſinceri Theologi ideam* præformat; ſecunda *Evangelicæ veritatis præſtantiam* commendat; tertia *modeſtiam* depingit, *qua hominem deceat Theologum*, quæque in rerum divinarum tractatione religioſe ſervanda ſit; quarta *Theocratiam Iſraelitarum*, ejusque tenuia quidem initia, ſed mirabilem prorſus auctum, totamque adeo illius indolem ac rationem exponit; ac quinta tandem de *felici an infelici Reipublicæ literariæ hoc ſeculo ſtatu* agit, & quid gratulandum nobis in hac rerum conditione ſit, quid deplorandum, quid laudandum, quid deſiderandum, exploratum perſpectumque reddit. Non abſimilem puta Rempublicam literariam hoc tempore videri ait navi affabre factæ, pretioſisque mercibus probe onuſtæ, & curſum deſideratum verſus patriam tenenti, ſed quam gubernatores, nautæ, vectores, aliis ceſſantibus, paucis Dei hominumque fidem fruſtra inclamantibus, nefario auſu ſpolient, & de partiendis mercibus ſcelerate altercantes, omiſſo gubernaculo, cautibus allidendam, fluctibus abſorbendam, prædonibusque diripiendam ventorum arbitrio exponant.

NOVA

NOVA LITERARIA.

MEmorabile eſt, tametſi lugendum merito, illuſtrium duarum Germaniæ Academiarum, Jenenſis atque Juliæ, fatum, quarum utraque hoc anno, intra breve temporis ſpatium, triumviros amiſit Profeſſorii ordinis celeberrimos. Jenæ nimirum die 1 Martii *Caſparus Poſnerus*, Gera Variſcus, Philoſophiæ Naturalis per annos fere quadraginta ſex Profeſſor, totiusque ad extremum illuſtris Academiæ Senior, cum annum ætatis ſeptuageſimum quartum ageret, mortem obiit, ſucceſſorem in munere Profeſſorio nactus filium Jo. Caſparum, quem ſpes eſt non minus præclare de ſtudioſa Juventute in Academia Jenenſi meriturum, quam meretur dudum in illuſtri Fridericiana gener Jo. Franciſcus Buddeus. Non multo poſt, die nempe 17 Aprilis, mortem ibidem cum vita commutavit, anno ætatis quinquageſimo ſexto, *Valentinus Veltbemius*, Hala Magdeburgicus, S. Theol. Doctor, Moralis primum & Civilis Philoſophiæ, Logicæ dehinc & Metaphyſicæ, denique ab anno 1683 S. Theologiæ Profeſſor meritiſſimus. Hunc triduo poſt, die 20 Aprilis, ſecutus eſt *Joannes Weiſſenbornius*, Siglicio-Thuringus, S. Theol. Doctor, qui cum non ita pridem Erfordia, ubi in æde Prædicatorum Paſtoris ac primarii ſacrorum Antiſtitis munere functus fuerat, Jenam veniſſet, ſuſcepiſſetque Superintendentis illius diœceſeos ſpartam, eſſetque jam in eo, ut S. Theologiæ Profeſſionem a Sereniſſimis Academiæ Nutriciis ſibi deſtinatam auſpicaretur, improviſa morte, ætatis annum quinquageſimum ſextum nuper admodum ingreſſus, deceſſit.

Ad illuſtrem vero Academiam Juliam ſeu Helmſtadienſem quod attinet, experta quidem illa cladem haud levem jam A. 1668 fuerat, cum tres Profeſſores magni nominis, Henricus Hahnius, Joannes Hornejus, Enochus Glaſerus, intra ſex menſes ad plures abiiſſent: aſt eo atrocior nupera cenſenda eſt, quod tres Profeſſorii ordinis clarisſimi Viri intra unius menſis ſpatium vivis ſunt erepti. Primus eorum fuit Polyhiſtor celeberrimus, & præclarisſimis in Rempublicam Literariam univerſam meritis illuſtris, nobisque etiam in his Eruditorum Actis non ſemel

mel ex merito laudatus Vir, *Henricus Meibomius*, Medicinæ Practicæ per annos quadraginta, Hiſtoriarum item & Poëſeos per viginti & duos annos Profeſſor ſpectatisſimus, cum ætatis annum ſexageſimum ſecundum ageret, die 26 Martii defunctus. Et hic quidem vitæ gloriæque ſatur poterat videri, etſi diutius ſuperſtitem nemo non optaſſet. Aſt duos reliquos in perfectisſimo ætatis flore mors immatura abſtulit. Alter enim eorum, *Jo. Andreas Stiſſerus*, Medicinæ Profeſſor, & Chemicus inprimis atque Botanicus inſignis, anno demum 1657, die 19 Januarii, Lüchoviæ in Ducatu Luneburgico: alter, *Caſpar Cörberus*, Eloquentiæ Profeſſor, Goslariæ anno 1658, die Februarii 25, erant nati. Quorum ille, cum nuper Epiſtolam ad Illuſtrem Leibnitium de variis erroribus Chemiæ ignorantia in Medicina commisſis edidiſſet & erudita opera alia moliretur, die 21 Aprilis, morbo, ut apparet, ex nimia ægritudine, quam mors dilectisſimæ conjugis attulerat, contracto exſtinctus eſt: hic paulo ante, die nempe 15 Aprilis decesſit, Vir omnibus ob elegantem doctrinam morumque ſuavitatem gravitate temperatam deſideratisſimus, & nobis inſuper eo etiam nomine dolendus, quod ad Acta hæc noſtra ſuas quoque ſymbolas conferre ab aliquo tempore cœperat, ſperabaturque reſarturus jacturam, quam ſuperiore anno per obitum Frid. Ben. Carpzovii noſtri (cujus Bibliothecæ uberrimæ, conſueto auctionis more divendendæ, Catalogum typis Andreæ Zeidleri excuſum proſtare, hac occaſione monemus,) pasſi eramus.

Quod ſupereſt, indicandum Benevolo Lectori cenſemus, apparari nunc in noſtris his ditionibus ſub titulo *Welleri Redivivi*, editionem omnium beati Hieronymi Welleri de Molsdorf, Theologi quondam Saxonici ſummi, Operum, in duos diſtribuendorum Tomos, quorum alter Latina, alter Germanica complectetur. Sigillatim continebuntur in iis 1. Commentarii in Libros S. Codicis prope omnes. 2. Enarrationes Pericoparum Epiſtolico-Evangelicarum ſolemnium diebus ſacris & feſtis. 3. Expoſitiones præcipuorum Chriſtianæ Religionis capitum. 4. Opuſcula varia & Epiſtolæ. Quod opus quin & verbi Divini Miniſtris, & S. Theologiæ cultoribus utiliſſimum ſit futurum, non eſt cur dubitemus.

* * * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Julii, Anno M DCC.

JOHANNIS BRAUNII, PALATINI, THEOLOGIÆ DOCTORIS, ejusdemque & Hebrææ Linguæ in Academia Groningæ & Omlandiæ Profeſſoris, SELECTA SACRA.

Amſtelædami, apud Henr. Wetſtenium, 1700. in 4. Alphab. 5. Plag. 8.

QUam in Theologia Didactico-Elenchtica docendi rationem tenere ſoleat celeberrimus Braunius, dudum eſt, quod in Actis noſtris Erudito Lectori demonſtravimus; cum enim is doctrinam Fœderum ſive Theologiæ Didacticæ & Elenchticæ Syſtema A. 1688 edidiſſet, menſe iſtius anni Auguſto p. 452 ſq. de eadem diximus. Sed qua is ratione in interpretandis Scripturæ Sacræ locis verſetur, oſtendere nobis per commodam occaſionem nondum licuit. Illuſtre enim, quod pertinere huc videri queat, de veſtitu Sacerdotum Hebræorum opus Actorum noſtrorum initium, anno quippe 1680 jam evulgatum, antevertit. Scripto tamen alio iſthac de re diſſerendi anſam nunc demum ſubminiſtrari nobis merito gaudemus, quandoquidem maxima voluminis præſentis pars in librorum dictorumque veteris æque ac novi Teſtamenti cumprimis notabiliorum enucleatione occupatur. Selecta videlicet hæc Sacra in quinque libros diſtinxit maxime Reverendus Autor, quorum primus de iis agit, ad quos Apoſtolorum ſcriptæ ſint Epiſtolæ. Secundus ſeptimum ſigillum ex Apocalypſi Johannæa illuſtrat. Tertius ſanctitatem & perfectionem Summi Pontificis, ad ductum teſtimonii Paulini Hebr. VII, 27. celebrat. Quartus planctum ob Thammuz ex Ezech. VIII, 14. conſiderat. Quintus denique varias de materiis a jucunditate pariter ac utilitate inſigni ſe commendantibus

Digitized by Google

tibus exercitationes complectitur. De ſingulis igitur pro inſtituti noſtri ratione nonnihil diſſerere operæ nos pretium facturos exiſtimamus.

In exponendis *Apoſtolorum Epiſtolis* craſſiſſimos a Viris etiam doctis errores ideo committi obſervat, quod non attenderint, cujusnam nationis atque gentis illi fuerint, ad quos ſcriptionem ſuam Viri Θεόπνευςοι direxerint. Perperam ſane ab iis pro Gentilibus habitos fuiſſe omnes, quotquot extra Judæam fixum in Aſia, Africa, & Europa domicilium tenuerint, cum potius plurimam illi partem Judæi fuerint; hos etenim inter omnes gentes diſperſos ubique habuiſſe jus civitatis, ſcholas, ſynagogas, academias, ad varia quoque munera & dignitates publicas indultu Principum & Magiſtratuum Ethnicorum evectos fuiſſe probat, ac proinde Apoſtolos horum præcipuam curam habuiſſe contendit, utpote quos pro tribulibus atque fratribus ſuis agnoverint, atque eapropter, ut in fide Jeſu Chriſti, promiſſi Patribus Meſſiæ, dextre informarentur, omni ſtudio allaboraverint, Gentilibus interim haudquaquam penitus neglectis. Mox itaque ſub *libri primi* initium id monet, veriſimile eſſe, Judæos, qui habitarint iſtis temporibus inter Gentiles in Aſia, Græcia, Romæ atque alibi, ad veritatem Evangelicam minori difficultate adduci potuiſſe, quam qui Hieroſolymis, & in reliquis Judææ civitatibus domicilia ſua exſtruxerint, cum hi ſplendore Hieroſolymorum, forma Reipublicæ, umbra alicujus juriſdictionis magni Synedrii, & gloria Sacerdotii quotidie ipſis ante oculos verſantis majori faſcino excœcati, difficilius ad Chriſtum converti potuerint. Hinc de ſingulis Epiſtolis ſeorſim agit, & quid in quolibet capite, quinimo in verſu ferme quolibet, dictum ſit Judæis, quid Gentilibus, examinat, cumque multi ex tenore nominum propriorum ad Gentiles applicuerint, quod Judæis potius debeatur, nomina iſta tum virorum, tum mulierum, quæ paſſim apud Apoſtolos ſunt obvia, curatius indagat, & plurima quidem Gentiles notare fatetur, ſi originem ac etymon eorum unice reſpexeris, ſed tamen Judæos quoque inter Gentiles habitantes Ethnicorum aſſumſiſſe nomina oſtendit; unde non ſtatim Gentilis exiſtimandus ſit, qui Ethnicorum nomen præ ſe ferat. Probat id cumprimis in expoſitione capitis decimi ſexti Epiſtolæ ad Romanos, in quo nomi-

na

Digitized by Google

na propria, ſi non omnia, ſaltem plurima Judæos notaſſe, imo Apoſtolum, dum ſcriberet hanc Epiſtolam, magis ad Judæos quam ad Gentiles reſpexiſſe innuit. Parili ratione in Eccleſia Corinthiaca Judæos Gentilibus interſperſos vixiſſe, ac nullatenus probari poſſe aſſerit, Apoſtolum in utraque illa ad Corinthios Epiſtola ſolos allocutum fuiſſe Gentiles. Epiſtolam ad Galatas totam unice ad Judæos fuiſſe ſcriptam affirmare haud veretur, ſive illi natione Judæi, ſive ante converſionem ad Chriſtum confeſſione fuerint proſelyti. In Eccleſia Epheſina magnum fuiſſe Gentilium numerum, pro manifeſto agnoſcit, ſed & in ea multos quoque vitam tranſegiſſe Judæos, neminem, qui vel Apoſtolorum Acta legat, in dubium vocare poſſe, ſibi penitus perſuadet. Huic argumento & iſtud accedere *exiſtimat*, quod Paulus conqueratur coram Timotheo, multos eſſe Epheſi in Eccleſia, qui fabulas & genealogias doceant, 1. Tim. I, 3. 4. Hos ergo pro Judæis habet, quippe qui fabulis ſuorum patrum, quas hodie Talmudicas nuncupare uſus ferat, ipſorum etiam Gentilium ineptias ſuperarint, & quamvis Gentiles ſuas quoque genealogias habuerint, maxime Deorum, Dearumque, Heroum item, & Principum, tamen cum Judaicis eas conferendas eſſe haud cenſet, dum omnes verpæ gloriari ſueverint, ſe habere Abrahamum patrem, ac minimus inter eos cum maximo Principe Gentilium, quoad dignitatem generis & ſanctitatem, conferri noluiſſet. Quanquam majorem fuiſſe apud Epheſios Gentilium credentium quam Judæorum numerum, non inficiatur, indeque factum eſſe ait, ut per totam Epiſtolam ſolos Paulus Gentiles videatur alloqui. In Epiſtola ad Philippenſes alloquium Pauli ad Gentiles dirigi non admittit, ac pari ratione in Epiſtola ad Coloſſenſes præcipua dicta Judæos reſpicere contendit. Equidem ad Gentiles trahi poſſe non diffitetur, quæ de ereptione ex poteſtate tenebrarum, deque tranſlatione in regnum filii Dei, cap. I, 13. doceantur; aſt nihilominus tamen & de Judæis iſtorum temporum optimo jure intelligenda eadem venire regerit, idque eo magis, quod & ipſe Paulus iſtis ſe adſcripſerit, faſſus, quod Phariſaiſmo olim implicitus ſub poteſtate tenebrarum miſere cœcutiverit. Cap. II, 8. non neceſſario Philoſophiam Gentilium, Platonis, Ariſtotelis, Stoicorum, aliorumque intelligendam venire putat, cum & ipſi Judæi ſuam habuerint

Philoſophiam, eamque omnino talem, qualis heic deſcribatur, conſiſtentem nempe in traditione hominum ſecundum elementa mundi. Scribas certe & Phariſæos Judæorum fuiſſe Philoſophos, eorumque doctrinam, quam docuerint de Patrum Traditionibus, ſophiſmata & argutatiunculas, quibus plebem corruperint, ac in ſuam naſſam diſcipulos allicere ſtuduerint, hodienum docere opus Talmudicum exiſtimat. Principes & Poteſtates Cap. II, 15. memoratas pro Sacerdotibus, Scribis, Doctoribus, vere principibus viris magni Synedrii, apud quos ſuprema poteſtas in rebus politicis & eccleſiaſticis viguerit, agnoſcit, quos Chriſtus palam traduxerit ac de iis triumpharit, dum ipſis omnem poteſtatem & autoritatem in populum hactenus exercitam ademerit, ſuamque hanc mentem adverſus Marckii objectiones prolixe vindicat. Primam ad Theſſalonicenſes, ad Judæos potius, quam ad Gentiles converſos ſcriptam innuit, ac Grotium laudat, qui, quod ad Jaſonem Judæum directa ea fuerit, non male animadvertat, ac alteram quoque ad Judæos quosdam, qui inter primos Chriſtum amplexi, orta poſt mortem Stephani perſecutione, in Syriam, ac deinceps in Cyprum, aliaque loca conceſſerint. In utraque ad Timotheum, itemque in iis, quæ ad Titum & Philemonem exaratæ legantur, nihil animadverti, quod Gentiles propius, quam Judæos ſpectet. Ad quos autem ſcripta ſit Epiſtola ad Hebræos, vel ex titulo patere, ſed & hanc id ſibi peculiare habere monet, quod, cum reliquæ nonnunquam Gentiles non minus ac Judæos, hæc ſolos Judæos reſpiciat. Jacobi Epiſtolam Judæos alloqui, e nominatis in ipſo ſtatim titulo duodecim tribubus conſtare, & Petrinas ſanctos in diſperſione, quorum ſingulos pro Judæis habet, in ipſa compellatione allegare obſervat. Quod Johannes Judæos animo complectatur, inde probat, quoniam ſe cum ſuis, ad quos ſcribit, a Gentilibus diſtinguat. Equidem in Epiſtola tertia, commate ſtatim primo, Gaji nomen occurrere, quem Macedonem fuiſſe notum ſit, ſed ipſum tamen ex parentibus Judæis ortum traxiſſe conjicit. Quod tandem attinet ad Judæ Epiſtolam, nihil & in hac offerre ſe exiſtimat, quod de certa aliqua natione magis, quam de reliquis populis omnibus intelligi poſſit.

In *ſecundo* Libro *ſeptimum ſigillum Apocalypticum* exponit, &

Digitized by Google

& ad iſtud non ſilentium modo ſemihorii', ſed & ſingula, quæ Apoc. VIII, 1. 2 3. 4. 5. legantur, referenda eſſe arbitratur. Depingi autem ibi cenſet ſtatum Eccleſiæ ultimis temporibus, ſive regnum Chriſti glorioſum ſub ſeptima & ultima periodo futurum. Chriſtum namque tanquam egregium Sacerdotem præfigurari per Angelum, qui thura in altari aureo obtulerit, prunasque ab eodem collegerit, ſocium aliquem alium haud adhibens; ſic enim & iſtum ſolum ultima periodo Eccleſiæ ſuæ curam habiturum, ſolum pro ea interceſſurum, ſolum Sanctorum preces Deo oblaturum, reliquaque omnia, quæ heic narrentur, peracturum. Ignem in terram projectum ad dona Spiritus Sancti ſub ultimis Eccleſiæ fatis abundantiſſime effundenda; voces, & tonitrua, & fulgura, & terræ motus ad Evangelii prædicationem univerſalem ultimis temporibus futuram; eodemque modo dicta ibi alia ad ſcopum plane ſimilem accommodat. Cum autem Spiritum Sanctum ubique reſpexiſſe arbitretur ad mores, ritus, conſuetudines circa oblationem thymiamatum in templo, ad aromata, & quidem multa, & data Angelo ſive Sacerdoti ſuffitum offerenti, ad ſilentium, ad preces, & ad voces, & plures quidem, quæ fiebant in templo tempore thymiamatum; ad Angelos, nempe ad Sacerdotes, Levitas, & Iſraëlitas, qui ore & tubis laudes Dei, ſoluto ſuffitu, canebant; ad altare, ad ignes in altari inde deſumptos, & in terram cadentes, ad tonitru, fulmina, fulgura, ad motus, atque alia, quæ tunc animadvertebantur, & ad varia vaſa ſacra, quæ adhiberi ſolebant, idcirco ſingula hæc, prout ad ſenſus quoque literalis ductum ſpectanda ſunt, ex omni antiquitate Judaica latius deſcribit, ac inſuper præcipua vaſa, maxime vero thuribulum male hactenus a pictoribus, ut ait, delineatum, & pejus ab autoribus deſcriptum, ex opere Talmudico ac numiſmatibus quibusdam, in tabellis æneis conſpiciendum dat.

Liber *tertius ſanctitatem Summi Pontificis Jeſu Chriſti* dignis effert laudibus, utque Pauli de eadem teſtimonium Hebr. VII, 26. allatum eo capiatur melius, juſtam de Pontifice maximo Veteris Teſtamenti commentationem inſtituit. Poſtquam enim Autor de diſtinctione Sacerdotum eorumque ſanctitate & perfectione generatim, quinimo & de ſanctarum in populo Judaico rerum perſonarumque aliarum præeminentia diſſeruit, ſuperantem multum reliquos

liquos Sacerdotes omnes Summi Pontificis ſanctimoniam declarat, & quomodo omnia ad perfectionem cum reliquorum Sacerdotum totius ordinis, tum Summi etiam Pontificis pertinentia picturam Jeſu Chriſti præbuerint, inque eo tanquam in ſuo corpore atque antitypo pleniſſime conſummata reperiantur, ad oculum demonſtrat. Inſuper ad mores, ritus & conſuetudines, quibus Summus Pontifex in ſolenni expiatione die Tiſri decimo facta adſtrictus fuerit, Apoſtolum citato loco reſpexiſſe quoniam exiſtimat, & in iſtis deſcribendis, ac ad Chriſtum applicandis multus eſt. Nec ulli mirum videri debere cupit, Paulum Hebræum ex Hebræis, Phariſæum, qui olim ſederit ad pedes Gamalielis, ideoque rituum veterum ſapientiſſimum, omnes iſtos ritus tam luculenter explicaſſe de Chriſto, vero Meſſia & Summo Sacerdote, cum Judæorum vetuſtiſſimi Sapientes, Chaldæi & Hieroſolymitani Targumiſtæ, Gemarici, & alii, antequam religio fuiſſet deturpata, agnoverint ipſum Meſſiam ſummum Pontificem, per quem remiſſionem peccatorum obtinerent, Filium Dei, verum Jehova, Deum omnipotentem, omniſapientem atque immortalem; id quod ad convincendos obſtinatos Judæos, Jeſu Chriſti hoſtes pertinaciſſimos, plurimis teſtimoniis probatum dat, neceſſitatemque Pontificatus Chriſti uberius evincit.

Liber *quartus* circa celebrem non minus quam vexatum Ezechielis locum cap. VIII, 14. verſatur, ubi mulieres ad oſtium portæ domus Domini, quæ eſt verſus Aquilonem, ſedentes, ac *Thammuz* plorantes introducuntur. Memorata proinde generatim Iſraëlitarum impietate, & planctu ob mortuos, quisnam & qualis ille Thammuz ſit, diſquirit, ac totum ſe iis aſſociat, qui per eundem Adonidem notari ſtatuant. Deus autem ille omnibus gentibus notiſſimus plurima cum nomina habuerit, Oſiris quippe *alias* dictus, & Serapis, & Bacchus, & Jupiter Hammon, & Pluto, *& Pan*, & Saturnus, & Belus, ideo ſingula exponit, tandemque, quisnam per idolum tot nominibus inſignitum denotatus *proprie* fuerit, ſollicite diſputat, non alium hunc eſſe concludens, quam Joſephum, maximam in Ægypto nominis celebritatem conſecutum. Bovem quoque Oſiris clariſſimam eſſe Joſephi imaginem contendit, & Molochum, qui ipſi idem eſt, ac Thammuz, una cum Remphan ſive

Chiun

Digitized by Google

Chiun delineat, ad illuſtrationem locorum Act. VII, 26. & Amos V, 26. Varias hic idolorum a Gentilibus, & ex caeozelia a Judæis etiam cultorum figuras, æri eleganter inciſas cernere, quemadmodum & eruditiſſimos diſcurſus de idololatria Iſraëlitarum, de vitulo in deſerto, deque vitulis Jeroboami in Dan & Bethel legere conceditur. Tandem vero ſepulturæ Oſiridis & Joſephi inter ſe conferuntur.

Librum *quintum* ſeptem varii argumenti Diſſertationes ſeu Orationes diverſis habitæ temporibus conficiunt, quarum duæ priores *ſapientiæ veterum Hebræorum* celebrandæ deſtinatæ ſunt. Ac *prima* quidem de eadem usque ad captivitatem Babylonicam agit, *ſecunda* vero conditionem ejus a captivitate ad ſeculum usque poſt natum Chriſtum ſeptimum, ſive ad finem Gemaræ contemplandam exhibet. Ac ſapientiam ſane inter Hebræos ſemper floruiſſe ſtatuit, quod ipſi etiam Patres, auctoresque Græci & Romani palam profeſſi fuerint. Hebræorum inſuper Sapientes præcipuos, qui toto iſto tempore vixerunt, eorumque Scholas, Academias, Synagogas, operaque & libros ab ipſis conſcriptos recitat. Imprimis vero de Opere Talmudico agit, inſignemque ejus uſum ad exponendam Scripturam Sacram, & ad intelligendam antiquitatem Græcam Romanamque maxime neceſſarium commendat, Ouwenii & Iſaaci Voſſii, ſtudium Talmudicum magno faſtu rejicientium, ſententiam examinans. Ignoranter enim non minus quam falſo dicit aſſeri, Talmudicos ſua habere ex Novo Teſtamento, ex Patribus & aliis. Multo plura Scripturæ Sacræ loca nervoſius & ſolidius ex Opere Talmudico, quam ex omnibus Græcis & Romanis Autoribus exponi probat, inque addendis ad binas iſtas Exercitationes denuo reſpondet Iſaaco Voſſio, magna audacia affirmanti: linguam Hebræam periiſſe, eſſe linguam mutam, barbaram, elinguem; Hebræos nullam habuiſſe Grammaticam per tot ſecula, ſpatio mille annorum non legiſſe verbum Dei niſi Græco ſermone, non niſi Græce ſcripſiſſe, nullos habuiſſe libros, nullas Traditiones ante tempora Hieronymi; primum librum Hebræorum fuiſſe Miſnam tempore Juſtiniani, ipſam Miſnam traditam fuiſſe Græco ſermone, & quæ ſunt plura ejusdem generis. *Tertia* Exercitatio *ſtyli Hebræi in Veteri Teſtamento obvii elegantiam* extollit, & contra vanas

nas impiasque Atheorum & profanorum verbi divini oſorum criminationes, quibus ſtylum ſacrum humilem, repentem, barbarum, obſcurum, dubium, Deo indignum pronunciare haud vereantur, vindicat, Morini etiam ac denuo Iſaaci Voſſii ſententiam non parum in Codicem Sacrum injuriam explodit. Cæterum Gallorum alicubi mentionem injecerat, qui linguam ſuam omnium hodie elegantiſſimam, terſiſſimam ac perfectiſſimam glorientur: in laudibus vero iſtis ebuccinandis cum præ cæteris modeſtiæ limites nimium tranſilierit notiſſimus inter Gallos Monachus Criticus, Bohourius, in peculiari ad Exercitationem antecedentem appendice, ignorantiam ipſius, quam vocat, exſibilat, & ex ipſis Linguarum elegantiæ a Monacho præſcriptis legibus Linguam Gallicam omnium abſurdiſſimam, maximeque barbaram, eique Germanicam ob cauſas plurimas multum præferendam eſſe, oſtendere conatur. *Quarta*, cui titulus: *Somnium de Delta Ægyptiaco*, brevem exhibet deſcriptionem rerum præcipuarum Ægypti inferioris, in qua ſitus terræ, fluvius Nilus, ejusque oſtia, circuitusque totius iſtius regionis, civitates item, populi, eorumque cibi, veſtimenta, ſapientia, religio excutiuntur. Agitur etiam de eorum moribus, mercatura, agricultura, piſcatione, opibus, & ærario publico. Oſtenditur tandem, omnia, quæ in Delta Ægyptiaco obſervata fuerunt, reperiri quoque in Belgio fœderato. Utrumque enim habere figuram τȣ Delta: ut Delta Ægyptiacum dicatur Ægyptus inferior, ita Belgium fœderatum in Germania eſſe inferiori; ubique non ſolum quoad terram, fluvios Nilum & Rhenum, ſed & quoad urbes, imo quoad mores, victum, veſtitum, mercaturam, piſcationem, opes, & ærarium publicum, magnam eſſe convenientiam. Sigillatim comparantur duæ urbes ſplendidæ & potentiſſimæ, Peluſium, & Amſtelædamum. Somnium hoc vocat, quod ante viginti quinque annos, & amplius habuerit, ideo, quod totidem abhinc annis, cum Herodotum, *Diodorum*, aliosque autores legiſſet, in iſtam ſententiam primum inciderit. *Quinta* occaſione moniti Paulini 1. Tim. V, 22. *de antiquiſſimo* χειροθεσίας *ritu* diſſerit. *Sexta* repertam prope Thyatiram inſcriptionem, inque ea vocem σαμβαθεῖον examinat, eaque Judæorum Synagogam aut προσευκτήριον notari affirmat. *Septima* ſimilis fere argumenti eſt, quidque ſibi in inſcriptione itidem Græ-

ca

ca inter rudera Palmyræ inventa velit Θεὸς ἱαρίβωλος, diſceptat, ac quod hoc nomine fluviorum & fontium Deus deſignetur, ſi non certiſſimum, ſaltem veriſimillimum eſſe reſpondet.

NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII S. J. BELLICA.
Neapoli apud Jac. Raillard, 1699. 8. Alph. 1. fig. æn. 17.

EX quo celeberrimi Autoris *Piſcatoria* & *Nautica*, nec non *Halieutica*, quorum illa tomo I Supplementorum p. 1. ſeqq. hæc p. 577 *ſeqq.* ejusdem tomi recenſuimus, Orbi Erudito innotuerunt, & ſpes facta publice eſt, *Bellica* quoque ejusdem pari ſtudio ac nitore elaborata in lucem proditura, dici non poteſt, quanto hæc deſiderio ab omnibus, qui elegantiores literas amant, fuerint expetita. Eo magis ergo gratulandum Reipublicæ literariæ, quod & Bellica hæc, quibus componendis & elimandis octo annorum horas ſubciſivas ingenioſiſſimus Parthenius impendit, publico nunc omnium conſpectui & lectioni jucundiſſimæ pateant. Argumentum ipſum quam ſit ſublime, & quam arduum ſit omnem diſciplinam militarem, veteraque ac recentia ineundorum rite præliorum, ac oppugnandarum propugnandarumque urbium artificia eleganti carmine complecti, næ id nemo non agnoſcit; quam ſcite, accurateque & eleganter rem univerſam in Bellicis his doctiſſimus Auctor expediverit, deprehendent nullo negotio, quibus non perluſtrare tantum ea, ſed juſto ſtudio perlegere vacaverit, fueritve volupe. Nobis, qui toties Parthenii ingenium ac eruditionem laudavimus (nam & editas ab ipſo proſa oratione *Æſtates Surrentinas* Tomo III Supplementorum Sect. IV. p. 145. ſeqq. *Autumnos* item *Surrentinos* in Actis A. 1699. menſe Julio p. 329. ſeqq. recenſuimus) nunc quidem totius operis libris quindecim abſoluti œconomiam, ipſis Auctoris verſibus primordialibus, ex quibus eam nullo negotio ſagacior paulo Lector intelliget, exhibuiſſe ſuffecerit. Sic enim orditur:

Quæ melior bello pubes, quibus illa ſub armis
Eniteat, ſtructaque acie quæ ſigna ſequatur,
Seu peditum turmæ, ſeu componantur equeſtres:
Muneraque, & variæ quot bellatoribus artes,

Digitized by Google

Sive ſtruunt, variantque jugis, & verſibus agmen:
Nec non fulminei quæ Martis machina, & uſus
Qui ſit: quæ leges & diſciplina adhibenda:
Qui Ducis & magni labor, & ſolertia quanta,
Seu moveat, ſeu caſtra locet, ſive explicet omnem
In campis aciem, & pugna jam provocet hoſtem:
Quanta & bellaces ordiri induſtria fraudes:
Quin etiam docto fuerit quæ cura Magiſtro
Obſidii, & validas detur quibus artibus arces
Expugnare, quibusque acri defendere ab hoſte,
Jam canere, & levibus paulum me attollere cœptis
Incipiam.

A PARAPHRASE ON THE BOOK OF JOB.
Id eſt,
Paraphraſis Libri Jobi, ut & cantionum Moſis, Deboræ, Davidis, quatuor item ſelectorum Pſalmorum, aliquot Capitum Eſaiæ & Capitis III Habakuk. Autore RICHARDO BLACKMORE, M. D. Regis Magnæ Britanniæ Archiatro Ordinario & Socio Collegii Medicorum Londinenſis.

Londini apud Awnsham & J. Churchill, 1700. Fol. Alph. 3. pl. 11.

NObiliſſimus hujus operis Auctor Ciceronianæ ſententiæ, quam in ipſo titulo exhibet, probe memor, *ut ſi occupati profuimus aliquid, proſimus etiam otioſi*, quicquid temporis vacuum a graviſſimis negotiis habet, in ſacris meditationibus collocare aſſolet. Et quoniam poëſin amat eximie, illa non, ut plerumque fit, ad laſciviam & ſales, verum in ipſis Sacris Literis exornandis utitur, magni quippe faciens Cowlæi elegantiſſimi apud Anglos poëtæ judicium, qui in præfatione poëmatum ſuorum, nusquam *ſubjecta* poëſeos nobiliora, quam in S. Bibliis reperiri dixit. Jobum itaque potiſſimum aggreſſus Noſter eſt, a Sandyſio quoque, qui & Pſalmos & alia quædam carminice reddidit, ſed minus accurate verſu deſcriptum; cujus adeo non verſionem quidem, quæ minus grata foret, ſed liberiorem paraphraſin adornavit, atque una cum aliis nonnullis poematibus ſacris in publicum emiſit. Nos de ipſis quidem

quidem poematibus dicere ſuperſedemus, præfationem vero, quam Autor præmiſit ſatis prolixam, plane intactam relinquere haud poſſumus. In ea vero poſtquam poëtarum Anglicorum, ſpeciatim Dramaticorum effrænem licentiam & retinendi gentilium nomina pertinaciam caſtigaſſet, de Jobi libro diſſerit, quem qui carmine exprimere velit, Diis fabuloſis vel Græcorum Latinorumque Poëtarum imitatione opus non habeat. Attamen illum non eſſe a poëmate alienum, ſi minus metro ſcriptum credamus, certe narrationem, alluſiones, ſimilia & dictionem ipſam indicium facere putat. Ceterum neque eorum ſententiæ accedit, qui fingi hic Jobum quendam more parabolico, vel hiſtoriam quidem veram, alt poëtico ſtylo, quod Lucanus fecit, deſcribi hic exiſtimant. Et quanquam neque Epici generis poëma hic exhiberi, quale Homerus ſcripſit, cum iis perſuaſum plane habeat, qui carminis Epici requiſita omnia eo in libro inveniſſe ſibi videntur, adeo ut ne machinam quidem deſiderent, auctorem vero Divino quodam ſpiritu afflari cenſeant: Jobi tamen characterem a genere Epico prorſus abhorrere negat. Primum enim falſo aſſeri probat, Heroem in omni carmine Epico ad exemplar Virgilii & Homeri, qui ſoli aggreſſi hoc genus poëmatis ſunt, præterea vero in alio ſolo alioque tempore vixerunt, conſtituendum eſſe agentem, non patientem; finem certe, qui eſt inſtruere, non minus deſcriptione earum rerum, quas paſſi ſunt viri illuſtres, obtineri, neque Homerum plane repugnare, cujus Odyſſea non tam, quæ egerat Ulyſſes, quam quæ paſſus fuerat, depingat. Proinde Jobum Heroëm eſſe poëmati Epico idoneum, quippe quod fortitudinem & conſtantiam inter afflictiones continuas ſervaverit inconcuſſam, atque ideo præmium denique nactus fuerit egregium. Porro Heroëm in poëmate Epico non ab omni plane vitio debere eſſe immunem, qui ſi ſit, abſterreri magis difficultate lectores, quam ad imitationem inſtigari. Denique in Jobo pulcras & commoventes meditationes, præcepta ad inſtruendum apta, & neſcio quid ſublime & majeſtate plenum deprehendi, admiſceri identidem ſimilitudines elegantes, miras metaphoras, deſcriptiones vivas & naturæ rerum convenientes. Itaque Virgilio & Homero æquiparandum in omnibus Jobum eſſe, præferendum vero etiam in eo, quod non gentilium Deorum næ-

Digitized by Google

nias, quæ non poſſint non Chriſtiano diſplicere, ſed quæ divina revelatione manifeſta ſint, complectatur. Illos deinde carpit Auctor, qui illuſtrandis vertendisque Græcis & Latinis Poëtis vitam omnem inutiliter perdant, cum S. Scripturæ libri poëtici ſtudia noſtra multo magis ſibi depoſcant. Ut vero ad Jobum cum Auctore redeamus, de tempore quo vixit, ita cenſet, vixiſſe eum vel ante tempora Moſis, vel Moſi certe fuiſſe plane coævum, quod ſacrificarit Deo, (id quod Moſaica diſciplina Sacerdotibus tantum licuiſſe ait:) quod Judaicæ religionis, quos Moſes inſtituit, ritus omnes ignorarit: quod Legis & Prophetarum, miraculorum in Ægypto factorum, profectionis Iſraëlitarum in terram Canaan, cum frequens illi fuiſſet occaſio, mentionem fecerit *nullam*: quod vitam denique per ducentos annos protraxerit, more Patriarcharum. Inde de patria Jobi Utz, cujus nominis triplex regio celebratur, quid ſibi videatur, omiſſis aliis opinionibus, non diſſimulat. Nempe quoniam illius ditiones incurſionibus Chaldæorum, populi Orientalis Arabiæ, continuo patebant, patriam Jobi in Auſtrali Arabiæ parte fuiſſe ſitam, prope fluvium Euphratem, Jobumque fuiſſe e poſteris Nachoris, perſuaſiſſimum habet. Itaque quæ de fonte Jobi prope Hieruſalemum narrantur, de ſepulcro item in planitie juxta Jordanum, & de ditionibus ejus in Syria Septentrionali, ubi hodienum incolæ Jobi ſedem iter illac facientibus monſtrant, inter fabulas refert; atque hos ait multo abſurdiſſimos, qui Jobum vixiſſe Conſtantinopoli perhibent, cum ſepulcrum Jobi in Armenia Turcæ forſan cujusdam cognominis ſit. Quod ad ipſum attinet hujus libri auctorem, non contendit quidem Noſter cum iis, qui vel Moſen ipſum, vel Eſaiam, vel Hebræum certe aliquem non indoctum exaraſſe librum ajunt; neque prolixe diſquirit, utrum Moſis tempore Auctor vixerit, an poſt Davidem & Salomonem ante tempora Ezechielis, a quo citatur Jobus: iisdem tamen *ferme* rationibus adductus, quibus ſupra Jobum ipſum antiquiſſimum aſſeruerat, Scriptorem quoque omnium, qui proſtant hodie, eſſe longe vetuſtiſſimum exiſtimat; ſaltim non credit eum adeo temperare ſibi potuiſſe, quo minus rituum Judaicorum vel ſemel feciſſet mentionem, ſi perſpectos illos habuiſſet. Ceterum quod fuſe poſtea deſcribit, ipſum poëmatis argumentum finemque, ubi de

cau-

cauſis, quare divinæ providentiæ moderamen haud ſatis intelligamus, ingenioſe diſſerit, non attingimus. Id tamen, quod vel obiter hic inſerit Auctor, quaſi colophonis loco addimus. Nimirum ſtellas & planetas rationalibus creaturis habitari, vix dubitat, quod improbabile illi videtur, hoc terræ punctum tot hominibus oppleri, cetera vero opera divina, quæ mundo hoc multo nobiliora ſunt, prorſus habitatoribus deſtitui.

RESPONSIO AD ANIMADVERSIONEM AD DAVIDIS GREGORII *Catenariam, Act. Eruditorum Lipſiæ, Menſe Februarii A.* 1699.

Excerpta ex Actis Philoſophicis Anglicanis Menſ. Dec. 1699. *pag.* 419 *ſeqq.*

QUÆ in Animadverſione ad noſtras de Catenaria Demonſtrationes objicit Anonymus, ſunt hæc. Quod rem ab aliis jam ante ſeptennium inventam & publice expoſitam demonſtrare aggreſſus ſim, modo quodam meo. Ita quidem eſt, & me hoc facturum in ipſa præfatione ſum profeſſus. Quid vero hic redarguendum ſit, non capio. Celeberrimi viri Hugenius, Leibnitius & Bernoullius plurimas Catenariæ proprietates detexerunt & ediderunt, at non demonſtrarunt. Ego, quod ſuſcepi, demonſtrationes pertexui. An Archimedi honeſte objiciatur, illum *poſt diutiorem temporis moram eorum de Helicibus Theorematum demonſtrationes edidiſſe, quæ Conon repperit at non demonſtravit*? Hoc tamen profitetur, in *præf. ad Librum de iſtis lineis, Archimedes*. Ego certe credo, ita demum Geometriæ ſuam ſinceritatem, decusque conſtare, ſi nihil non demonſtratum in publicum proferatur, ſaltem per annos plures non demonſtratum maneat.

Sed an res hæc (nempe Catenariæ natura & proprietates primariæ) ab aliis inventa & publice expoſita fuit? Certe iſta Catenariæ proprietas, Corol. 6. Prop. 2. aliis indicta eſt penitus ante editas haſce demonſtrationes. Cum tamen ſit, ni fallor, inter primarias illius proprietates, & omnium longe utiliſſima, & ad vitæ communis uſus facillime reducenda. Ab omni ævo, in ædificiis publicis fornices arcusque tam ad firmitatem quam pulchritudinem adhibuerunt Architecti: Qualis tamen ſit fornicis figura legitima, ad usque editas noſtras demonſtrationes ignoratum eſt. Citato e-

Digitized by Google

nim Corollario dictum eſt primo, *Catenam in plano verticali, ſed ſitu inverſo, figuram ſervare nec decidere, adeoque arcum ſeu fornicem facere tenuiſſimum: Hoc eſt ſphæras minimas rigidas & lubricas in inverſa curva Catenaria diſpoſitas arcum conſtituere, cujus nulla pars ab aliis extrorſum vel introrſum propellitur; ſed manentibus infimis punctis immotis, virtute ſua figuræ ſuſtineri.* Verum quidem eſt fornices firmos jam olim fuiſſe extructos: ſed ad dictumCorol. oſtenſum id exinde fieri, quod in *craſſitie cujuslibet eorum quædam Catenaria incluſa ſit; neque ſi tenuiſſimus eſſet, parteſque haberet lubricas, ſuſtineretur alterius figuræ arcus.*

Agnoſcit tamen poſtea Animadverſionis Auctor operæ pretium fore, ſi res licet cognita dudum, ex novo ſed ſolido principio derivaretur. Quomodo Res Geometrica non demonſtrata dici poſſit cognita, ego non capio, niſi aſſertum pro cognito habeatur, axioma certe Geometriæ promovendæ parum idoneum. Nullus dubito, quin Celebres ſupra nominati Viri Theorematum inventores illorum demonſtrationes noverint. At certe non ediderunt, nec alios ab illis edendis arcere voluerunt: Neque omnia ad Funiculariam attinentia exhauſerunt, ut ex dictis de Fornicis figura conſtat. Si propriorum pulcherrimorum Theorematum demonſtrationes publici juris feciſſent, ego de aliis demonſtrationibus condendis, neque forſan de aliis Theorematibus inveniendis cogitaſſem nunquam.

Sufficere ait Animadverſor, ſi conſideretur, quomodo propoſitionem primam & primariam, cui reliquæ ſuperſtruuntur, demonſtraverim ego. Neque illi ſuffeciſſe credendum, niſi quia in aliis quod commentario ſuo in pejus detorquere poſſet, invenire nequibat. Et certe ſi, aſſumpta primaria Catenariæ proprietate, ad alia exinde eruenda me protinus contuliſſem, nihil feciſſem quod a principibus Geometris non ſit factum: Et in iſto caſu proprietates ſequentibus propoſitionibus 6, & 29 corollariis, de aſſumpta Curva legitime demonſtratæ (quod ante non erat factum) jure habendæ forent. Malui tamen ex Catenæ natura proprietatem iſtam in anteceſſum eruere per prop. hanc primam, quam attente conſiderandam ſibi proponit Animadverſor.

Primum quod reprehendat invenit, quod quædam ex Mecha-

B. VI.
Fig. 1.

Digitized by Google

700.pag.303.ſqq.






Fig. 3.





chanicis conſtare dixerim, quæ diſtinctius enunciare atque etiam applicare operæ pretium fuiſſe ait. Ego qui Geometris demonſtranda Theoremata quædam ſuſceperam, omnia minutim exequenda non credebam, ſed vulgo nota & ex aliis ſcientiis petita aſſumere fas eſſe etiamnum arbitror, præſertim ſi ipſum Theorema, ut in caſu præſenti, aperte enunciaverim. Verum ut Animadverſori gratum faciam, Lemma iſtud demonſtrabo, cum diſtinctius enunciare nequeam, quam eſt hactenus factum in hæc verba.

L E M M A.

Potentiæ tres in æquilibrio poſitæ eandem habent rationem cum rectis tribus ad ipſarum directiones parallelis, vel in dato angulo inclinatis, a mutuo occurſu terminatis.

Puta ſi potentiæ tres trahentes, impellentes vel utcunque agentes, ſecundum rectas PA, PB, PC ſint in æquilibrio; & inclinentur ad has directiones tres rectæ EF, FD, DE in angulo quovis dato, hoc eſt, ſi anguli EAP, FBP, DCP fuerint æquales, Dico potentias A, B & C eſſe inter ſe ut rectæ FE, FD & DE. Producantur rectæ AP, BP, CP in G, H & K. TAB. VI. Fig. 1.

In quadrilatero FAPB, cum angulus externus EAP ſit, ex hypotheſi, æqualis interno & oppoſito PBF, erunt interni duo oppoſiti FAP & FBP æquales duobus rectis; Cumque omnes quatuor interni quatuor rectis æquentur, erunt reliqui duo F & APB in eodem quadrilatero oppoſiti, duobus rectis etiam æquales. Sed APB & BPG efficiunt duos rectos, & igitur angulus F eſt æqualis angulo BPG. Similiter oſtendentur D & BPK æquales, item E & APK.

Quoniam tres potentiæ ſunt in æquilibrio, ſunt immotæ, & igitur earum quælibet pro hypomochlio haberi poteſt reliquarum duarum reſpectu quæ in æquilibrio manent. Si B habeatur pro hypomochlio, per Mechanicæ notiſſimum theorema, potentia A eſt ad potentiam C, ſicut ſinus anguli BPK ad ſinum anguli BPG, hoc eſt ſinus anguli D ad ſinum anguli F, hoc eſt recta FE ad rectam DE. Rurſus, poſito C hypomochlio, potentia A eſt ad potentiam B ut ſinus anguli CPH ad ſinum anguli CPG, ſive ſinus

angu-

Digitized by Google

anguli BPK ad ſinum anguli APK, hoc eſt ſinus anguli D ad ſinum anguli E, hoc eſt ut recta FE ad rectam FD. Tres igitur potentiæ A, B & C ſunt ut rectæ FE, FD & DE q. e. d.

Prima Demonſtrationis meæ verba vera eſſe agnoſcit *lin.* 16. *pag.* 88, in ſenſu ibi poſito, quem ego viciſſim pro vero & meo agnoſco: Sed hæc facilius ex præmiſſo Lemmate ſequuntur, ſi mecum concipiatur totius lineolæ dD gravitas in ejus medium punctum congregari, nempe grave in ejus centrum gravitatis, ut Geometris ſolenne eſt; atque grave hoc, rotatione circa d centrum, in ſitum perpendicularem, ſive inter d & Terræ centrum ferri; hoc eſt, primo momento, per rectam ad d D normalem.

Demonſtrationis meæ verba ſequentia aliquot *lin.* 24. *pag.* 88. & ſeqq. apponit, quibus ſuum in illa commentarium ſubnectit, in cujus ultimis verbis nempe, *ut conſtans quædam recta eſt ad illam ipſam portionem*, æquivocationi fundamentum ponit. Si per *conſtantem hanc rectam* intelligat infinite parvam, ejusdemque generis cum dD *viz.* conſtantem fluxionem ordinatæ in Catenaria, mecum facit, eſtque illud ipſum quod dixi in primis vocibus ab illo citatis, *lin.* 14. & ſeqq: Sed in hoc ſenſu non explicant verba mea ultimo citata, quibus explicandis adduci videntur. In illis enim loquor non de gravitate lineæ d D qua in ſitum verticalem ſe componere conatur, ſed de gravitatis hujus cauſa, quam ad diſtinctionem voco *Gravitatis actionem* in Dd normaliter exertam. Atque cauſam hanc exponi jnbeo per rectam *a*, ejusdem nempe generis lineam cum Catenæ longitudine quam ille aſſignabilem vocat. Superius quidem lineæ D d gravitatis partem eam qua in ſitum verticalem ſe componere conatur, repræſentari oſtendi per infinite parvam ſed conſtantem d δ: At hujus cauſam, quam gravitatis actionem voco, per aſſignabilem & conſtantem *a* expono. Verba enim mea ſunt, *Gravitatis actio in partes correſpondentes Catenæ* Dd *normaliter exerta etiam conſtans erit ſive ubique eadem. Exponatur hæc per rectam a.* Falſo igitur poſt verba hæc, *Exponatur hæc* ſubjungit (*conſtans Gravitationis quantitas*) Et ut fidem falſæ hinc expoſitioni faciat, prius & etiam poſtea (lineis 29 & 35 *pag.* 88.) vocem *gravitationis* ſcribit charactere Italico, quali ubique mea verba a ſuis diſtinguit, cum interim a voce hac nimis ambigua prorſus

ſus abſtineo, & gravitatem pro effectu, gravitatis actionem pro cauſa uſurpo ſemper. Potuiſſet Cauſa, ſive Gravitationis Actio, per eandem δd etiam exponi: Et ita quidem feciſſem, ſi nulla fuiſſet occaſio hunc applicandi potentias modum mutare. Verum cum in decurſu hoc ſit factum, ita ut ponderis per MF trahentis vis infinite quam nunc major evadat, ideo Cauſam utrique modo applicationis communem, per lineam ordinariam exponere volui.

Poſtquam ſemel invenit, vel inveniſſe fingit me, gravitationis quantitatem qua linea d D circa d mobilis ſitum verticalem affectat, per lineam a exponere vel repræſentare, multa undique illi occurrunt monſtra, quibuscum *pag.* 89 & 90 fortiter pugnat. De horum (quippe ſuorum) ſalute videat ipſe: ad me nihil attinent: Ego ſiquidem de ponderibus π & z ab ipſo in ſcenam productis ne verbum; qui in vocibus ab ipſo citatis ſic aio, d δ *repræſentabit gravitatis partem eam qua ſit ut* Dd *in ſitum verticalem ſe componere conetur*; & rectam aſſignabilem *a* exponere jubeo gravitatis prædictæ actionem, quarum altera eſt effectus, altera cauſa. Licetque, ni fallor, cauſam ab effectu diſtinguere, & per lineas diverſas exponere, modo hæ ſemper ſint proportionales, ut in noſtra repræſentatione ſit: effectum ſiquidem per conſtantem infinite parvam, cauſam per conſtantem aſſignabilem.

Poſteriore parte pagina 89, poſt citata quædam ex meis verbis, ait non ſatis apparere Lemmatis Mechanici vel ſenſum vel applicationem. De ejus ſenſu hactenus dictum, quem nunc ſatis apparere non dubito: De applicatione nunc agendum.

Si concipiatur (ut ſupra dictum) lineolæ d D gravitas abſoluta per d D expoſita, in ejus centro gravitatis M collecta, & grave hoc ſecundum directionem MF ad dD normalem vi gravitatis ſuæ deſcendere: Potentia ſecundum MD trahens, quæ in æquilibrio eſt cum prædicto gravi, per præmiſſum lemma, eſt ad ejus momentum ſive potentiam trahentem ſecundum MF, ſicut δD ad δd. Nam angulus δDd, quo Dδ inclinatur ad MD, æqualis eſt angulo d ϵF quo dδ inclinatur ad MF; *viz.* uterque complementum anguli d ad rectum. Atque hoc etiam obtinet agnoſcente Animadverſore, ſi ut in vulgari Mechanica, prædictum grave plano MF incumbens, TAB VI. Fig. 2.

Digitized by Google

interpoſita trochlea ad M, trahatur ab alio gravi ipſi MD incumbente: Erit hoc ad illud ſicut Dδ ad dδ.

Quod ſi, reliquis manentibus, modus applicationis harum potentiarum mutetur, ita ut ad flexilis lineæ dD, cujus extremum d immotum, punctum medium M applicetur pondus ſecundum MF vires exerens, quippe arcum centro d, radio dM, in deſcenſu deſcripturum: Erit Ponderis hujus vis, ad flexilem lineam rectam ad M incurvandam, infinita, reſpectu vis ſuæ gravitatis abſolutæ; & vis ſecundum MD trahens, ad modo deſcriptam incurvationem impediendam requiſita, etiam infinita, reſpectu ejus quæ prius requirebatur ad pondus M in plano MF ſuſtinendum. Adeo ut potentiæ, quæ, in priore applicationis modo, exponebantur per dδ, δD, nunc exponendæ veniant per infinite majores prioribus proportionales: Nam, ut prius, pondus M trahit ſecundum directionem MF, & potentia illud ſuſtinens ſecundum MD; & hæc duo eſſe in æquilibrio, ex partium Catenæ quiete conſtat. Eadem igitur manebit harum ratio, quæ prius fuerat. Sed cauſa quæ lineam flexilem dD (cujus extremum d immotum, cujusque medio puncto M applicatur grave infinite quidem parvum, ſed cujus vires per hunc applicationis modum infinite majores redduntur, & proinde in Animadverſoris phraſi aſſignabiles fiunt) in rectam extendit, eſt Catenæ DA gravitas, quæ eſt ipſius longitudini proportionalis. Hæc ergo eſt ad conſtantem & aſſignabilem *a* (conſtanti ſed inaſſignabili dδ proportionalem) ut Dδ ad δd. Atque ſic Animadverſori patere credo veram concluſionem absque aſſumptis erroneis fuiſſe, probatam.

A LETTER OF DR. WALLIS TO DR. SLOAN.

Hoc eſt,

EPISTOLA D. WALLISII ad D. SLOAN, CONCERNENS Quadraturam partium Lunulæ Hippocratis Chii, *a* JOANNE PERKS *exhibitam; cum ulterioribus* DAVIDIS GREGORII *&* JOANNIS CASWELLI *ad eandem* additionibus.

Tranſlata ex Actis Philoſophicis Anglicanis, Menſ. Dec. 1699, pag. 411 ſeqq.

Qua-

Digitized by Google

QUadratura certæ *Lunulæ Hippocratis Chii*, jamdudum pluribus ſeculis (quoad totam *Lunulam*) cognita eſt. Verum (quantum ad ejus partes, & quæ huc ſpectant) nova inventa nuperrime detecta ſunt, quæ neminem antehac animadvertiſſe reor.

Accepi menſe Novembri 1699 a Dn. *Joanne Perks*, præfecto Noſocomii in *Old-Swynford* Comitatus *Vigorn**ienſis*, a Dn. *Thoma Foley* fundati, brevem deſcriptionem hujus *Quadraturæ portionum Lunulæ Hippocratis*, quàm Tibi non ingratam fore confido.

Hæc ut tanto melius intelligatur, tanquam notum (quippe dudum demonſtratum) præſuppono: ſi ſuper AB, (chordam arcus ADB, quadrantis circuli majoris, cujus centrum eſt C) tanquam diametrum deſcribatur ſemicirculus ABE, *hunc fore æqualem illi quadranti;* quoniam quadrata diametrorum, hujus & illius, ſe habent ut 2 ad 1 (atque in hac proportione ſunt illorum reſpectivi circuli; adeoque quadrans unius æqualis eſt ſemiſſi alterius.) TAB. VI. Fig. 3.

Et conſequenter, ſi ab utraque horum ſubtrahatur commune ſegmentum ABD, *reſidua Lunula* ADBE (ab uno latere) æqualis erit *reſiduo Triangulo* (ab altero latere) ABC. (Aut ipſi ABK, ſuppoſito arcum AB biſectum eſſe in K; hoc eſt, ſemiſſi Quadrati CK, minori circulo inſcripti. Atque hæc communiter vocatur *Quadratura Lunulæ Hippocratis*; hoc eſt, inventio *figuræ rectilinearis* (quæ facile ad quadraturam reduci poteſt,) huic *Lunulæ* æqualis.

Hoc præmiſſo: caput negotii eſt *Quadratura* datæ *portionis* ejuſmodi *Lunulæ:* ſuppoſito, ADB eſſe ſectam recta CDE, ducta ex centro C. Quod Dn. *Perks* (neſcius ab ullo alio antehac ſimile quid tentatum) hoc modo præſtat. Videlicet

Ductis rectis EA, & EB (arcum DB in G ſecante) & ad AG, perpendiculari EF (quæ, quia ipſam AG ad angulos rectos biſecat, per centrum C tranſibit) *Triangulum rectilineum AFE, æquale eſt Triangulo ADE, propoſitæ portioni Lunulæ.* TAB. VI. Fig. 4.

Demonſtratio ejus ad hunc modum ſe habet. ADB cum ſit arcus quadrantis Angulus AGB erit ſeſquirectus (eique junctus angulus EGA, ſemirectus) Et hic angulus (tanquam externus Trianguli AGE) æqualis eſt duobus internis oppoſitis GEA + EAG.

Digitized by Google

Quorum GEA (quia angulus eſt in ſemicirculo AEB) eſt rectus; & propterea EAG eſt ſemirectus (quales præterea ſunt FEG & FEA) Et tria Triangula AFE, GFE, & GEA ſingula ſemiſſes quadrati. Et AG ad AE ut $\sqrt{2}$ ad 1 (proportionaliter reſpectivis radiis duorum circulorum.) Et ſimilia ſegmenta ADG, AE in eorum circulis reſpectivis (ut Quadrata ſuorum reſpectivorum radiorum) ut 2 ad 1. Ac proinde ſemiſegmentum AFD æquale ſegmento AE. Et conſequenter (uno eorum tantum a Triangulo auferente, quantum alterum eidem addit) portio Lunulæ ADE, æqualis Triangulo AFE. Q.E.D.

Liceat mihi (tam hic quam in ſequentibus) a verbis Autoris paulisper diſcedere (ſed retento eodem ſenſu, & ut nihil ipſis decedat) ita ut deſignem eadem reſpectiva puncta (in omnibus figuris) iisdem literis. Id quod brevitati conducit (absque nova repetitione ejusdem conſtructionis pro unaquaque figura) & confuſionem præcavet, quæ phantaſiæ oboriri poſſet; ſi nempe eadem reſpectiva puncta, in diverſis figuris, differentibus literis eſſent deſignata; eædemque literæ in differentibus figuris deſignarent differentia puncta.

Si contingat punctum E poni in K (medium arcus AEB) nulla erit interſectio in G (cum puncta G B tunc coincidant, citra ullam tamen demonſtrationis turbationem) ſi ultra verſus B, tunc G erit in altero latere; & quod dictum hic eſt de EGB, accommodandum eſt ad EGA: quæ adeo obvia ſunt, ut prolixo diſcurſu opus non habeant.

Hoc univerſim procedit juxta eandem generalem notionem, cum hac quadratura totius *Lunulæ* (& quarundam aliarum figurarum Curvilinearum) ut ſi tantum addatur uni lateri, quantum demtum eſt alteri, æqualitas remaneat.

Et momentum demonſtrationis in eo conſiſtit, ut probetur, *ſegmenta* ADG, & AE eſſe *ſimilia*, atque adeo circulis reſpectivis proportionalia; integrum ſcilicet unius, æquale ſemiſſi alterius.

Fundamentum totius proceſſus ſimpliciter hoc eſt. Cum Angulus ACE ſit angulus ad centrum majoris circuli, ſed ad circumferentiam minoris; linea CDE (dum a CA ad CB progreditur) dividit

Digitized by Google

vidit in eadem proportione arcum quadrantis ADB, & ſemicirculi AEB: unde reliqua ſponte ſua conſequuntur.

Atque hoc applicari poteſt aliis *Lunulis* (præter *Hippocrateam*) ſi (translato angulo in F, aut alia ratione) talem portionem communis ſegmenti ABD aſſumamus in uno latere (loco ipſius AE ab altero latere reſectæ) qualem proportio duorum circulorum requirit.

Communicavi hanc Quadraturam Dni. *Perks*, Dn. *Davidi Gregorio* (doctiſſimo noſtro Profeſſori Aſtronomiæ *Oxonienſi*) qui ſententiam ſuam de eadem (cum propriis additionibus) in literis ad me expoſuit, quam verbis ipſius huc tranſcribam.

Vir Venerande, Quadratura partium *Lunulæ Hippocratis Chii*, per Dn. *Perks*, quam mihi communicaſti, oppido eſt elegans.

Memini ſimile quid aliquot ab hinc annis præſtitum fuiſſe a Dno. *Tſchirnhauſen*; qui æqualem huic ipſi portioni facit, non idem triangulum Dni. *Perks*, ſed aliud, quod huic æquivalens (quemadmodum mox oſtendam.) Extat hoc theorema in *Actis Lipſienſibus menſe Sept. anno 1687*; ſed absque ulla demonſtratione. Verum neuter ex his argumenti hujus amplitudinem videtur attendiſſe.

Quod ſi enim compleas duos circulos, quorum arcus continent *Lunulam Hippocratis*, verum idem eſt, non tantum de punctis in altero ſemicirculo ACB, ſed etiam in illis ſemicirculi AEB, propter easdem rationes. Quemadmodum apparet ex Schemate annexo, in quo notavi puncta in ſemicirculo ACB (correſpondentia punctis Dni *Perks* in AEB) correſpondentibus literis minutis Latini & Græci alphabeti.

Si Dn. *Perks* conſtructionem ſuam reddidiſſet univerſalem, efficiendo ut utraque linea EA & EB, occurreret majori circulo (quod futurum fuiſſet, protrahendo has lineas & majorem circulum, usque dum concurrerent) potuiſſet forte invenire, portiones ſpatiorum AεCM, BHCN (ſupponendo MCN parallelam ipſi AB) eſſe quadrabiles, æque ac illas *Lunulæ Hippocrateæ*; & cum EA ſit recta, portionem AED *Lunulæ Hippocrateæ* eſſe ad Aεδ (correſpondentem ipſi AεCM) in duplicata proportione ipſius Cε ad Aε. Nam ERε (ad R centrum minoris circuli) eſt in hoc caſu angulus rectus. TAB. VI. Fig. 5.

 Porro

Porro: ſi ſumatur punctum quoddam ϵ in ſemicirculo ACB, & procedatur juxta Dn. *Perks* conſtructionem, univerſalem, juxta ſupra dicta, redditam; invenietur ab uno latere trilineum $A\epsilon\delta$ (contentum arcubus $A\epsilon$, $A\delta$, & recta $\epsilon\delta$) æquale triangulo rectilineo $A\epsilon\Phi$. Et ab altero latere, trilineum contentum arcu $B\epsilon$ (complemento ipſius ϵA ad ſemicircumferentiam) & arcu Bd (complemento ipſius $A\delta$ ad quartam partem circumferentiæ) & recta ϵd (hoc eſt, trilineum BHCd diminutum ſegmento $C\epsilon$) æquale triangulo rectilineo $B\epsilon f$. Et quod duo illa ſpatia $A\epsilon\delta$, & *differentia* ipſius BHCd a ſegmento $C\epsilon$ (partes Lunulæ ACB $g\gamma$A) junctim ſumta æqualia ſint triangulo ACB; æque ac duo ſpatia AED & GED, partes *Lunulæ Hippocrateæ.*

Ita ut ſummatim appareat, quod ſi duo circuli (continentes *Lunulam Hippocratis*) compleantur; hæc *Lunula* AEBGA & altera ACB $g\gamma$A, conficiant unum ſyſtema, & ſint conjugatæ figuræ.

Nam (ducta ut libet, recta CDE, vel $C\epsilon\delta$, vel C f d, per C centrum majoris circuli, duos hos circulos ſecante) ſpatium contentum duobus arcubus duorum horum circulorum, & parte dictæ rectæ (ſcilicet AED, aut $A\epsilon\delta$, aut BHCd) æquale eſt reſpective triangulo rectilineo AEF, aut $A\epsilon\Phi$; aut $B\epsilon f$.

Et accidit quidem, ut, ſi hæc linea ex C procedens ſit ad idem latus Diametri MN cum *Lunula Hippocratis*, antea dictum ſpatium (quod perfecte quadrabile eſt) ſolitarium ſit (plane ut ſunt partes *Lunulæ Hippocratis*, & duorum ſpatiorum $A\epsilon$CM, BHCN; quæ adeo ſunt partes *Lunulæ* propiorem ad invicem relationem habentes.

Quod ſi vero linea illa ex C procedens, ſit ad alterum latus ipſius MN, tum ſpatium, quod æquale eſt triangulo rectilineo eſt differentia duarum mixtilinearum figurarum (unius, trilinei; alterius, ſegmenti minoris circuli) ut ſupra dictum, quarum *neutra* ſeparatim quadrari poteſt.

Singula hæc patent ex demonſtratione Dni *Perks*; quæ, cum exigua variatione (prout uſu venit in differentibus caſibus ejuſdem Theorematis) illis omnibus applicari poteſt, quanquam ipſe idem non adverterit.

In dimenſione partium *Lunulæ Hippocratis*, præſumi forte poſſet,

ſet, triangulum æquale ſtatutum portioni *Lunulæ*, fore partem trianguli, cui tota illa *Lunula* æqualis cenſeri conſuevit (hoc eſt, triangulum æquale ſtatutum portioni ADE, debere eſſe reſpectivam partem ipſius ACB, quæ æqualis eſt toti *Lunulæ*) quod in ea Dni *Pèrks* non habetur.

Verum in illa ſupra memorata Dn. Tſchirnhauſii continetur, quod hic propoſitum eſt.

Si ex puncto quodam circumferentiæ minoris circuli E, dimittatur ad AB perpendicularis, ſecans eandem in L, ducaturque recta CL; triangulum CAL eſt æquale portioni *Lunulæ* AED (Et conſequenter triangulum CBL, æquale portioni BED.)

Quod (quoniam a Dno. *Tſchirnhauſen* prorſus non eſt factum) breviter demonſtrabo, ita ut demonſtratio attingere poſſit *portiones* conjugati ſpatii ACB g γ A.

Nam triangula ACB, AEF, ſunt ſimilia, cum unumquodque ſit ſemis quadrati; atque adeo per 19 VIti, triangulum ACB eſt ad triangulum AEF in duplicata proportione ipſius BA, ad AE; hoc eſt, per 8 VIti, ut BA ad AL. Verum, per 1 VIti, triangulum ACB eſt ad triangulum ACL, ut BA ad AL. Itaque, per 9 Vti, triangula ACL & AEF ſunt æqualia. Sed triangulum AEF demonſtratum eſt (a Dn. *Perks*) æquale portioni AED. Atque adeo dicta portio AED æqualis etiam eſt triangulo ACL. *Hucusque* Gregorius.

Cogitavit de hac Quadratura Dni. *Perks* Dnus *Caſwellus* (antequam Dn. *Gregorius* vel Ego, eam vidiſſemus,) deditque ejus ſpecimen, quod porro proferri poſſet. Verum, cum otio non abundaret, adeoque laborem ejus per omnia momenta perſequendi ſuſcipere nollet, conſtituebam ego (ejus cum venia) dictum ſpecimen hic inſerere. Id quod ipſe conſulto declinans, ſupervacaneum rebatur, cum Dn. *Gregorius* interea temporis ſimile quid plenius præſtitiſſet. Res eo redit: ex centro B per A tertium circulum ducit, aliam *Lunulam* ab *Hippocratea* formantem; & portiones hujus Lunulæ admodum accurate quadrat: noſque manuducit ad novum ſyſtema, quod ſimili ratione tractari poteſt, ac *Hippocrateam* verſavit Dn. *Gregorius*.

Eruditis his de ſubjecto adeo trito diſquiſitionibus præter rem fue-

fuerit multa adjicere. Breviter tantum comparabo duas Quadraturas Dn. *Tſchirnhauſii* & Dn. *Perks*, in quantum inter ſe conveniant, aut ab invicem differant; deinde etiam oſtendam, quomodo per alterutram harum dividi poſſit *Lunula*, in quacunque data proportione.

TAB. VI. Fig. 6. Dnus *Tſchirnhauſen*, demittens ex E ad AB perpendicularem EL, determinat triangulum ALC æquale portioni ADE.

Hoc conceſſo: dividere *Lunulam* poſſumus quacunque data proportione. Si dividamus AB ad L in tali data proportione; CL (propter communem altitudinem) in eadem proportione dividet triangulum ACB (quod æquale eſt toti *Lunulæ*) Et LE, ipſi ALB ad rectos angulos inſiſtens, determinabit punctum E; a quo ſi ducatur recta EC ad C, hæc, ad DE, dividet *Lunulam* in eadem proportione.

TAB. VI. Fig. 7. Dnus *Perks*, ad EDC ducens perpendicularem AF, ſemiquadratum AFE æquale demonſtrat propoſitæ portioni ADE; quod ſemiquadratum eſt ſimilis ſimiliterque ſita figura ad AE; ut ABC ad AB.

Atque adeo (quia ſimiles figuræ ſunt in duplicata ratione ſuorum laterum reſpectivorum) ſi AE ita inſcribamus, ut quadratum ab AE ſit ad quadratum AB, in tali data proportione, *Lunula* ad DE diviſa erit, prout requiritur.

Atque hoc obtinebit (ſi debite applicetur, prout diverſi caſus requirunt) utut E (continuato Semicirculo) ponatur ultra B. Nihilominus enim ſimiles figuræ erunt in duplicata proportione reſpectivorum ſuorum laterum; & $CE = CD \pm DE$. Atque id etiam multo amplius perfici poteſt.

Omitto hoc, ne tædio ſim, applicare ſingulis partibus ſyſtematis, a Dn. *Gregorio* aut Dn. *Caſwell*, conſiderati.

Multo minus laborem ſumturus ſum contemplandi *Solida*, quæ converſione ejus, aut partium ſuarum fiunt, circa datum axem (ex. c. MN, aut AB, aut AC, aut BC) cum ipſorum ſuperficiebus & centris gravitatis; quemadmodum alibi feci pro Cycloide. Cui otium ad id ſuppetet (idque tanti æſtimabit) id præſtare poteſt methodis, illi ſimilibus, quam pro Cycloide adhibui.

SAMU-

Digitized by Google

SAMUELIS STRIMESII, THEOLOGIÆ DOCTORIS ET Profeſſoris in Eccleſia & Univerſitate Francofurtenſi, Critica Concionatoria, cum appendice quadruplici de Gratia Dei univerſali & particulari.

Francofurti ad Viadrum, apud Joh. Völckerum, 1700. in 12. Plag. 7.

IN ſuppeditandis artis Concionatoriæ regulis (quas Homileticæ Studioſis merito commendamus,) dum occupatur Maxime Reverendus libelli hujus Autor, uberiorem paulo excurſum inſtituit ad doctrinam de Gratia univerſali & particulari; occaſione quidem uſus adhortatorii & conſolatorii, quorum illum univerſalem, hunc particularem Dei Gratiam ſupponere perhibet. Monet vero univerſalem illam tum objectivam eſſe, Chriſti nempe mortem atque meritum, tum ſubjectivam, ſeu potentiam in Chriſtum credendi, hujusque mortem ac merita ſibi applicandi. Particularem contra nequaquam abſolute talem omnisque diſtributionis incapacem eſſe, ſed univerſalitate potius quadam certa pollere pronunciat, unde alias univerſalis accommoda dicatur. Particularem enim Gratiam, uti particularis ſit reſpectu hominum lapſorum ſimpliciter conſideratorum, *ita* reſpectu credentium univerſalem dicendam venire aſſerit. Quemadmodum ergo ex univerſali Gratia certus eſſe queat auditor, quod viribus a malo abſtinendi & bonum peragendi minime deſtituatur: ita ex particularis Gratiæ hypotheſi quemlibet fidelem iſto erigi contendit ſolatio, quod & ad ipſum divina utique benevolentia pertineat. Nec obſtare putat, quod objicias, ſaltem fidei deliquium paſſis, itemque convertendis adhuc ſed nondum converſis, nullum iſto pacto applicari poſſe ſolatium: hos ipſos namque duorum ait fore generum, vel tales, qui peccatorum ſuorum onere preſſi levamen anhelent, ſicque ſpiritualiter eſuriant ac ſitiant; vel tales, qui Gratiam Divinam aſpernentur, deque ea parum ſint ſolliciti. Poſterioribus quidem non conſolatorium, ſed adhortatorium potius applicari debere uſum; verum prioribus palam ob oculos ponendum eſſe innuit, quod falſa animi perſuaſio hæc nunquam eſſe poſſit, Chriſtum omnes vere contritos, veniæque cupidos homines redemiſſe, utpote quæ extantiſſimis Chriſti, quem

ipſam fateri veritatem fas ſit, teſtimoniis innitatur. Atque horum teſtimoniorum infallibilium intuitu uti deſiderare quispiam ac petere poſſit, ut ſibi propter Chriſtum mortuum condonentur delicta ſua: ita non minus in Chriſti merito, velut in antilytro ſuo (quatenus ſcilicet peccatorum ſuorum veniam deſideret ac petat,) recumbere ipſum atque acquieſcere valere. Iſthanc vero doctrinæ de Gratia univerſali & particulari applicationem a Maxime Reverendo Autore factam ideo allegandam, & vel hunc in finem præſentis libelli mentionem injiciendam duximus, ut aliquem inde prægustum Lectores eruditi caperent operis multo majoris, quo ille conciliationem Gratiæ Dei ſalutiferæ univerſalis & particularis molitur, quodque eo magis expetitum iri a non paucis plane nobis perſuademus, quo illuſtrior eſt Reformatorum de Gratia diſceptatio. Circa iſtam vero quid Reformatæ in Marchia Eccleſiæ aut ſentiant, aut ſentire certe teneantur, conſtare poteſt affatim e quadruplici appendice, quam Autor heic attexuit, dum primo ſententiam trium in Eccleſia Reformata per ditiones Brandenburgicas obſervari injunctarum confeſſionum de Gratia Dei circa ſalvandos homines; articulum deinde quartum & decimum quartum e Potentiſſimi Electoris Brandenburgici Friderici III dato ad Concionatores ſuos Aulicos Reſcripto, quos ſe in doctrina de Gratia Dei obſervare velle, Miniſtri Eccleſiæ in regionibus Electoralibus Reformati quicunque ſubſcriptione ſua hodienum pollicentur; porro Theologorum Francofurtenſium de Gratia univerſali & particulari, cum objectiva tum ſubjectiva, transſcriptam A. 1640 ad Hermannum Hildebrandum Bremenſem declarationem; ac denique conſenſus Eccleſiæ Reformatæ Marchicæ, cum Eccleſiis in & extra Germaniam Reformatis aliis in eadem doctrina ſuccinctam expoſitionem ſuperaddidit.

WOLFERDI SENGUERDII, PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA Lugduno-Batava Profeſſoris Ordinarii, Inquiſitiones Experimentales. Editio ſecunda, priore plus quam altera parte auctior.

Lugduni Batavorum, apud Corn. Bouteſteyn, 1699. 4.
Conſtat alphab. 1. plag. 5. cum figuris æneis

Maxi-

Digitized by Google

MAximi momenti eſt, perſpectam habere Aëris atmoſphærici naturam: non eam modo, quæ ei in genere, & in quavis terræ plaga indiſcriminatim competit, ſed ſpeciatim mente complecti aëris, quem inſpiramus, ac qui prædominatur in ea mundi regione, quam incolimus, eſſentiam, qualitates inficientes, ſtatas viciſſitudines caloris, frigoris, elaſticitatis, gravitatis, aliarumque affectionum, certis anni temporibus recurrentium, incrementa & remiſſionem; qui extremi earum gradus ſint, quantaque recipiant decrementa. Etenim ab his, uti plurimarum rerum, ita non minus vitæ humanæ ſalus, & conſervatio, ægritudo, vel ipſa quandoque mors derivatur. Hoc inductus argumento exercitatiſſimus in Phyſica experimentali Senguerdius, urgente typotheta, alteram editionem *Inquiſitionum* Experimentalium, quas publici primum juris fecit anno *1690*, eodem in Actis his menſe Martio pag. 137 recenſitas, adornavit, iisdemque adjecit *primo* Diſſertationem de Aëre atmoſphærico, quem aſſerit eſſe congeriem diverſiſſimorum exiguorum corpuſculorum, ejusque examinat & experimentis probat elaſticitatem, gravitatem, & paſſivam reſiſtentiam, harumque effectus, in quibus (1) adſcenſus fluidorum in anthliarum tubis varians multimodis; (2) ſeminum pullulatio & plantarum excretio; (3) intumeſcentiæ in corporibus debilitatio; (4) Satyrorum vel homuncionum vitreorum in aqua motus ſurſum ac deorſum; (5) ſoni productio & propagatio; (6) motus ſuberis, liquoris in thermometris, aquæ e fonticulis, glandium ex ſclopetis pneumaticis; (7) evacuatorum hæmiſphæriorum firma cohæſio; (8) retardatus corporum in aëre motus, aliique.

Secundo addidit Ephemerides conſtitutionis Aëris Lugduni, præter Mercurii in baroſcopiis & fluidorum in thermometris altitudinem, exhibentes ventorum, ſiccitatis, pluviæ, nivis, grandinis, ſerenitatis, aliarumque Aëris noſtri qualitatum viciſſitudines dietim obſervatas ab initio Februarii A. 1697 ad finem usque Anni ſubſequentis 1698. Quibus Ephemeridibus, præter thermoſcopiorum & barometrorum uſum, atque fallaces, quas priora paſſim ipſi ingeſſerant, ſuſpiciones de aeris ſtatu & conditione, deprehendit ſummæ aeris Lugduni Batavorum preſſioni reſpondere pondus Mercurii 29 digitos, & 5 lineas elevati; qualem obſerva-

vit d. 28 Octobr. A. 1697; minimam vero æquivalere cylindro mercuriali 27 digitorum, adjectis 10 lineis, quanta fuit ejusdem ſubſidentia d. 30 Sept. A. 1697 & 4 Feb. 1698. Calorem autem & frigus intenſiſſimis ſui gradibus conciliare ad ſummum liquori contento in uno thermometro elevationem 146 partium; in altero thermometro 158, in tertio thermometro 170, in quarto thermometro 130, uti acciderit 31 Jan. 1698; ſubſidentiam vero maximam in thermometro primo 63, in ſecundo 41, in tertio 63, in quarto 71 partium, qualis fuerit 14 Maji A. 1697. Ut vero Atmoſphærici Aeris conditio, ejusque luſus ac vices exquiſitius dignoſcantur, non obſervationum modo, aut eventuum, ſed & inſtrumentorum, quæ huic inſerviunt negotio, & circumſtantiarum accuratam rationem habendam eſſe monet, quod fluidorum motus, & indicatio conſtitutionis, aut ſtatus cæli plurimum varient, non ſolum pro inſtrumentorum, quæ adhibentur, conditione, ſed etiam pro externi aeris affluxu magis minusve libero, & locorum, quibus barometra & thermoſcopia exponuntur, aliarumque circumſtantiarum diverſitate. Eadem enim thermometra, & tubuli barometrici, in diverſis non ſolum conſtituta locis, alium atque alium quaſi aeris ſtatum exhibent; verum quoque eodem tempore, iisdem in locis, eidem expoſita cælo, ſi longitudine, figura, vel amplitudine diſcrepent, inæquali fluidorum elevatione, quaſi diverſa aeri competeret preſſio, elaſticitas, calor, frigus &c. indicant. Hanc ob rem ipſe deſcribit inſtrumenta, quibus uſus eſt in Ephemeridibus conficiendis, & quibus ea locis repoſita habuerit.

TRACTATUS POLITICO-JURIDICUS DE LIGNO ET LAPIDE, auctore PHILIPPO HELFRICO KREBS, antea Haſſiaco, nunc Electorali Brunſvic. Luneb. Conſiliario.

Auguſtæ Vindelicorum apud Laur. Kronigerum & hæredes Th. Gœbelii, 1700. in 4. alph. 6. plag. 3.

NIhil eſt in hoc univerſo terrarum orbe, ſi modo uſibus hominum pateat, vel iis damno eſſe poſſit, quod non, citra aliarum diſciplinarum præjudicium, propria ſua ratione ſibi aſſerat Jurisprudentia. Cum metallariis ad imas terræ cavernas ſe demittit; quic-

quicquid marium fluminumque profunditas ambitusque complectitur, aut terræ continentis ſiſtit amplitudo, vel inconſtans aeris regio exhibet, id omne ſuis illa ſubjicit meditationibus. Quæ cum ita ſint, nemo mirabitur, quod de Ligno & Lapide tractatus Politico-Juridicus diligentiſſimo Autori noſtro fuerit ſubnatus. Jecit autem ejus fundamenta anno 1671, quo in Academia Gieſſenſi diſputationem inauguralem hac de re exhibuit. Ab hoc tempore meditationes creverunt, donec juſti tractatus formam aſſumerent. Diſpeſcitur ille in duas partes generales, quarum utraque plures rerum claſſes, ſectionibus ſpecialibus amplius diſtinctas continet. Prior pars *Lignum* exhibet. Et in prima quidem ejus claſſe de lignorum generatione, fere ad ductum S. Scripturæ, Noſter *philoſophatur*; inde legum circa ligna ferendarum occaſionem exponit. In claſſe ſecunda de lignorum plantatione & cultu tam in genere, quam in ſpecie, ratione Magiſtratus, diſſerit, variasque variorum Principum ordinationes eo nomine recenſet; in qua tractatione id inprimis erudito Lectori placiturum eſſe arbitremur, quod in excuſationem gentis Mexicanæ Noſter ſect. 2 §. 1 profert. Nimirum ſolebat illa Regem novum juramento obſtringere, quo efficeret, ut *Sol turſum ſplendoremque ſuum teneret, nubes pluerent, rivi currerent, & terra produceret omne genus frugum.* Hoc velut ineptum fatuumque paſſim ridetur, ſed Noſter contendit, juramenti non alium eſſe ſenſum, quam quod Rex bonis legibus, rectoque & pio imperio, Naturam ejusque Autorem in commoda Reipublicæ flectere debeat. Quid vero curæ, qua ligna Imperantes proſequi debent, obſtet, deinde recenſet Autor perinduſtrius, adductis plantationum ex qualitate locorum impedimentis, juribusque eo pertinentibus. Inde digreditur ad claſſem tertiam, dominio lignorum dicatam, eoque generaliter, inprimis etiam juxta jus Saxonicum, aliaque jura provincialia expoſito, deinde ſpeciatim de arboribus in confinio, vel prope illud poſitis, in alieno ſolo plantatis, feudalibus, emphyteuticis ſimilibusque agit. In claſſe quarta effectum dominii arborum expendit, ea quidem ratione, ut per modum diſquiſitionis præliminaris, de avibus & apibus, in arboribus conſidentibus, nec non oſtreis, ex ſemine per fluctus marinos alliſo ibidem excluſis, earumque dominio vel acquiſitione

 quæ-

quædam præmittat, poſtea vero fructus arborum voluptuariarum, ac funeſtarum, i. e. ſepeliendis mortuis deſtinatarum, perceptionem glandium, jus lignandi ſeu ſuccidendi arbores, inprimis ratione Vaſallorum ſimiliumque poſſeſſorum, vel eorum, qui præſcriptione illud acquiſiverunt, aut ex venandi jure ſibi aſſerunt, late ſatis, ex juribus etiam Germanicis, perſequatur; addita obligatione eorum, qui jure lignandi fruuntur, commemoratisque pluribus reſtrictionibus, quibus dominium arborum circumſcribi ſoleat, dum hoſtis alienis arboribus utitur, jurisdictionem in iis exercet, & delinquentes ab illis ſuſpendi curat, tempore peſtis eas exſcindere licet, vel ſpeciali conventione aliis illæ acquiruntur (quales eſſe ſolent arbores finales, & Sycaminones i. e. *continendis aggeribus plantatæ*) nec non ob jus venandi aut paſcendi *alii* quæſitum, vel publicæ utilitatis rationem, eique innexas leges prohibitivas, ſuccidi nequeunt. Uti vero his caſibus alii arbores alienas merito ſibi ſuo modo aſſerunt, aut ſaltem, ne dominus indiſtincte iis utatur, impediunt: ita contra furtivæ contrectationes jura dominorum haut imminuunt; hinc quomodo hæc contra illas defendenda ſint, amplius prolixeque Noſter exponit, addito temperamento, quod illa ſucciſio neutiquam illicita cenſeri debeat, quæ ob publicam utilitatem, aut, quod magis eſt, ex mandato Dei, per hoſtem, ad coercenda peccata immiſſum, fiat. Claſſis quinta infra præcedentis prolixitatem longe ſubſiſtit, in eaque Noſter homicidii, occaſione ſucciſionis lignorum, ſecuri ſcilicet manubrio excuſſa, vel ramorum, aut ipſius arboris cæſæ dejectione, contingentis, moralitatem breviter explicat. Atque hactenus arbores ut ſolo cohærentes fere conſideratæ ſunt; deinde earum, ut ſeparatarum, tractatio quoque inſtituenda venit. In claſſe igitur ſexta generaliter primo de rutis & cæſis eorumque dominio Conſultiſſimus Autor diſſerit, deinde ſpeciatim commercium lignorum *rutorum* cæſorum, ac jus Grutiæ declarat. Poſthæc uſum lignorum, quem in vita civili præſtant, expoſiturus, eadem velut *materiam* ad fulciendum, ædificandum aliosve uſus aptam ſiſtit, ac nominatim de palis, perticis, pedamentis, ligno exaſciato quædam proponit in claſſe ſeptima. Inde ad res ex ligno efformari ſolitas digreſſus, in claſſe octava & nona generatim eas recenſet, in claſſe vero deci-

Digitized by Google

decima de ſpeciebus ex ligno ad uſum ſacrum efformatis, nempe de Diis ligneis, templis eorumque partibus, baculo paſtorali, & crucibus ſepulchralibus, vel prope viam poſitis diſſerit. His adjicit ſpecies, ex ligno ad uſum profanum publicum confectas, hinc de pontibus ligneis, navibus, portis, de poſtellis, quos vocat, jurisdictionalibus, i. e. ſignis ſignificandæ jurisdictioni ſimilive juri erectis, de ligneis ſuppliciorum inſtrumentis, crucibus ſcilicet ac in earum locum ſurrogatis patibulis aliiſque ejus generis rebus, denique de baculis, in judicio adhiberi ſolitis, de tabula nigra, bacillis fiſſis, de baculorum in exercitio juris foreſtalis, & domeſticæ ac ſcholaſticæ diſciplinæ uſu, haut proletaria in claſſe undecima Noſtro ſubnata eſt diſquiſitio. Hanc excipiunt ſpecies ex ligno ad uſum *privatum* efformatæ ac in claſſe duodecima propoſitæ. Quem ergo ligna in excitanda ac temperanda Venere conjugali, uſum præbeant, primum Noſter ediſſerit, dum artificioſis elegantibusque picturis, fœminæ concumbentis adſpectui expoſitis, liberorum pulchritudinem promoveri, in viris autem tardioribus modico verberum virgarumque uſu Venerem excitari docet. Poſtea de ædificiis tignoque juncto, ſupellectile lignea, ligneis domus fundique, officinarum & artificiorum, nec non ludorum inſtrumentis, de uſu virgarum in incitandis pecoribus, de telis ligneis, amplius exponit. Ex his ſatis liquet, quem uſum ligna in fulciendo, ædificando, variasque ſpecies ſuppeditando habeant. Sed non minor eſt *utilitas*, quam eadem in foco inſtruendo præbent. Hanc in claſſe XIII Noſter perſequitur, dum ligna combuſtibilia ſeu cremialia, ut in *l. 7. §. 12. ſolut. matrim.* legitur, eorumque jura tradit. Uti autem omnia ſubditorum bona imperio civili oneribusque publicis regulariter ſunt ſubjecta: ita quid eos de ſylvis ac arboretis ſuis pendere oporteat, in claſſe XIV Noſter explicat, dum ſpeciatim cenſus ac decimas arborum expendit.

Pars Secunda, ad exemplum præcedentis, claſſibus & ſectionibus diſtincta, *Lapides* proponit. In prima claſſe dicenda partitur Noſter, in ſecunda de gemmis diſſerit, in tertia, utilitate metallorum mineraliumque explicata, de dominio ac jure fodiendi ſatagit, inde ad jus metallifodinarum Regale explicandum ſe accingit, eoque labore perfunctus, conceſſiones metallifodinarum ab Imperan-

perante per locationem perpetuam & temporariam fieri ſolitas expendit, qua ratione metallifodinarum conductores, quos vocat, varios intuitu partium ſuarum contractus inire cum aliis ſoleant, deinceps adjiciens. Hinc ad menſurationem metallifodinarum provehitur, & quæ onera ab earum poſſeſſoribus exigi ſoleant, nec non quæ officialium operariorumque metallicorum jura ſint, docet. His expoſitis officinas metallarias excoctorias ſubit, totamque diſquiſitionem metallariam prolixiori judicii metallici explicatione obſignat. Poſtquam igitur ſolerti opera Noſter metalla lapidesque e cavernis ſuis eruit, uſum quoque eorum amplius commonſtrat; hinc de marmore ſtatuisque marmoreis, de ære, auro, argento & ſpeciebus inde confectis doctrina fuſiori diſſerit. In claſſe IV lapides & res lapideas, uſibus ſacris dicatas, *ſigillatim* perſequitur, eoque nomine partes templorum lapideas, ſepulchra, lapidesque ſepulchrales commemorat. Hinc ordine, in prima parte etiam adhibito, ad claſſem V deducitur, lapides profanis uſibus publicis deſtinatos in eadem expoſiturus. Primo igitur pontes & lapides, milliarium indices, ſubeunt, hinc de ſtraturis platearum ac viarum inſtituitur diſſertatio, quam de muris urbium, lapideis ſuppliciorum inſtrumentis, patibulis ſcilicet, pegmatibus feralibus, lapidibus famoſis ſive ignominiæ cauſa impoſitis, denique de teſtimoniis & juramentis per lapides, tractatio excipit. In claſſe VI lapidum lapideorumque profanus & privatus uſus exponitur, ea ratione, ut de ædificiis & tignis lapideis prima inſtituatur a Noſtro diſquiſitio, poſt quam, ordine in ligneis adhibito inſtrumenta ædium, fundorum, artificiorum, officinarum, nec non ſupellectilem lapideam idem percenſet, ac novi operis nunciationem, lapilli jactu fieri ſolitam, lapides finales, ſcopeliſmum, lapides in agro conjectos, ac tela lapidea addit, eaque tractatione toti operi finem imponit.

In majorem Tractatus hujus elucidationem adjecit *Noſter* faſciculum octodecim quæſtionum miſcellanearum, in quibus de politia in ſtatu primævo: Principe legibus ſoluto: obligatione præſtandi id quod alteri prodeſt & præſtanti non nocet: jure Principis circa tributa: herbarum absque hominis induſtria ſponte naſcentium dominio; jurisdictione Status Imperii, in alterius territorio:

rio: dominio hominum in res creatas, ex Pſalmo VIII probando: dominii ſylvarum, finium, paſcuorum, lignationum probatione: diſtinctione dominii in directum & utile: neceſſitate templorum: diſcrimine rerum mobilium & immobilium: ſpeciei ex aliena materia effectæ dominio: decimarum ex vineis ſolvendarum menſuratione: celatione criminis alieni impunita: pœna brutorum: obligatione furioſi: jure domini ſylvæ aut territorialis, circa arcenda pecora ejus, cui jus paſcendi competit, & probatione territorii ejusque finium: denique de rei monetariæ emendatione diſquiritur; quæ indicaſſe ſufficiet.

FABLES ANCIENT AND MODERN &c.
id eſt,
FABULÆ ANTIQUÆ ET MODERNÆ, EX HOMERO, Ovidio, Boccacio & Chaucero, Anglico Carmine tranſlatæ, una cum Poëmatibus propriis, Auctore JOHANNE DRYDEN.

Londini apud Jacobum Tonſon A. 1700. in Fol.
Conſtant Alph. 6. pl. 6.

QUæ in laudem Chauceri, poëtarum Anglorum communis velut patris, præpoſuiſſe in titulo hujus operis videtur auctor *Johannes Dryden*, ex Virgilii Æneid. Lib. 5:

Nunc ultro ad cineres ipſius & oſſa parentis
(Haud equidem ſine mente, reor, ſine Numine Divum)
Adſumus;

non ſine omine Angli jam ad ipſum Auctorem applicare poterunt. Oportet enim ut haud longe præceſſerit hujus operis editio mortem excellentiſſimi Poëtæ, quam incidiſſe quippe in undecimum Maji diem hujus anni, Novellæ nobis nuntiarunt. Ex quibus cognovimus inſuper, funus ejus quarto poſt die magna pompa deductum, corpusque in Abbatia Weſtmonaſterienſi terræ mandatum fuiſſe, recitatoque Panegyrico Latino, novo exemplo Odam XXX ex L. IV Horatii, cujus initium:

Exegi monumentum ære perennius,

concinno fidium aliorumque inſtrumentorum muſicorum concentu decantatam. Annos, cum hæc ederet, natus erat duos de ſeptuaginta, quantum ex præfatione hariolari licet. Qua ætate ta-

men ait neque nimium memoriæ ſuæ deceſſiſſe, & judicium augeri potius quam imminui, meditationes vero ſponte ſibi naſci frequentes, quas nempe ſive carmine exprimere, ſive proſa oratione (nam in utroque excelluit,) exornare velit, habeat paratiſſimas. Certe inter Anglos hactenus præcipue eminuit, ſeu cetera ſpecies poëmatum genera, ſeu, quod difficillimum eſt, Tragœdiam, in qua neque Gallorum Cornelio ceſſit, neque Anglorum Shakeſpario, atque hoc tanto præſtantior fuit, quanto magis litteras calluit. Commendatur ejus tragœdia, cujus titulus: *All for Love, or the World well loſt*, qua amores Antonii & Cleopatræ elegantiſſime depinxit; celebratur *OEdipus*, quem cum præter Sophoclem effingere nemo tentaſſet, quo rectius exprimeret, ſocium adſcivit poëtam non infacundum *Lee*. Memorantur plura illius dramata, quorum catalogum exhibent Langbainius ejusque continuator *Gildonus* in Vitis & Characteribus Poetarum Dramaticorum Anglorum p. 41. ſeq. neque vulgaris eruditionis eſt, quam *de Dramatica Poëſi* Anglice ſcripſit, diſſertatio, quamlibet haud multarum plagularum. Verum ut ad noſtrum hoc opus convertamur, plane id videtur tempori huic conſentaneum, quippe *Fabulas* continet, quibus, ut in litteris quoque & inprimis poëſi viciſſitudo quædam eſt, Angli nunc oppido delectantur. Neque vero diffitetur Auctor, Anglos minus aptos inveniendis rebus, quam quæ ab aliis inventæ ſunt, exornandis; unde tot videas in Anglia poëtarum Græcorum atque Latinorum verſiones Anglicas elegantiſſimas. Nam & Noſter Virgilium, olim ab Ogilbio translatum, nova verſione dignatus eſt, & Juvenalem aliosque poëtas traduxit, præmiſſis, ut ubique conſuevit, eruditis præfationibus; & ne a proximis temporibus recedamus longius, unus Thomas Creech, Lucretii editor, & a quo Juſtinum Martyrem nuper exſpectabamus, (ſed quem indigno αὐτοχειρίας crimine exſtinctum accepimus) Theocritum, Horatium, Manilium, Lucretium, integros in verſus Anglicos transfudit. Noſter quoque hic Auctor non tam ſuas, quam alienas fabulas exhibet; nimirum Homeri Iliados librum I, (totum vero opus transferre meditabatur, quod verſio Hobbeſii, qui ſero ad Poëſin non minus quam ad Mathematica acceſſerat, nemini ſatis ad palatum eſſet,) ex Ovidii Metamorphoſeon libris quædam, Boccacii item nonnulla Italica,

ea, & Chauceri maxime obſoleto idiomate Anglico ſcripta. De his cum in præfatione diſſerit, pulcre primum Homerum cum Virgilio committit, atque illum huic præſtare, accurate ediſſerit. Ex utriusque enim poëmate patere exiſtimat, quam diverſa auctores animi propenſione fuerint. Virgilium quippe quieti & ſedati temperamenti; Homerum fuiſſe acrem, impetuoſum, ſpiritu abundantem: illum proprietate meditationum quidem & ornamentis verborum excellere; hunc rapi cogitatione, licentia vero tum numeri tum expreſſionum, quantum lingua atque ætas patiebantur, non inepte uti: Homeri inventionem latius patere, Virgilianam conſtringi magis; quin & Virgilii Æneida alteram velut Iliadis partem conſtituere, pluribus docet. Etſi itaque non inficietur, ipſam narrandi formam Virgilio ſoli deberi, eumque Homero, ſi expreſſiones elegantes & ad numerum aptas ſpectemus, ſi minus anteferri, æquiparari ſaltem poſſe; inventione tamen illum longe Homero poſteriorem eſſe cenſet. Ceterum quoniam alter, ut vel ex dictis patet, cholerico-ſanguineus, alter phlegmatico-melancholicus eſſet, idcirco utrumque probat cum in formanda, tum in exequenda fabula temperamento ſuo inſtitiſſe. Inde enim, ut de Heroë videamus, quem primo curat Epicus, Achilles Homero eſt *impiger, iracundus, inexorabilis, acer*; Æneas contra Virgilio patiens, circumſpectus, providens eſt, hoſtium miſeretur, voluntati Deorum acquieſcit, *quo fata trahunt, retrahuntque.* Tum vero plus ait Noſter vigoris in actione Homeri, quam Virgilii ſpectari, neque unquam remittere ab impetu Homerum, feſtinato gradu ad majora continuo raptum. Cui adeo transferendo etſi otia interponenda ſæpius ſibi fuiſſe fateatur, ne ſpiritus nempe perpetua agitatione labefactarentur, majori tamen voluptate Homeri quam Virgilii quoscunque verſus abs ſe transferri aſſerit. Inde Ovidium quoque cum Chaucero poëta Anglo admodum vetuſto comparat, & utrumque ait patriam linguam percoluiſſe, utrumque fuiſſe ingenuum, feſtivum, amantem, utrumque Philoſophiæ, Philologiæ, Aſtronomiæ operam dediſſe; facilem utrique eſſe dictionem, ſed neutrum propriis inventis multum excellere: Ovidium quippe Græcorum fabulas deſcripſiſſe, Chaucerum Italorum ſui temporis poëmata in ſuum uſum convertiſſe; aliqua tamen Chaucerum in-

Digitized by Google

veniſſe, Ovidium, quantum conſtet, nihil prorſus. Neque minus præſtare Chaucerum in affectibus atque actionibus perſonarum ad vivum deſcribendis, atque ipſa verborum ſimplicitate, cum natura rerum minus ſæpe ferre videatur verborum & ſententiarum flexus, quales apud Ovidium ubique ferme offendas. Quid quod Chaucerum eodem loco Anglis habendum putat, quo Græci Homerum, & Virgilium Romani habebant? Neque enim vel ubi deſinendum, cum plebe poetarum neſcivit, vel naturam ſupergreſſus eſt, ut *nimis poëta* ex ſententia Catulli videri poſſet; in characteribus vero perſonarum deſcribendis parem habuit neminem. Quod ſi vero numerus durior neque ſibi per omnia æqualis quempiam offendat, is tempori errores illos tribuat, quo nimirum poëſis etiamnum in cunis erat. Quippe primus linguam Anglicam a Provinciali, cui erat tum permiſta, ſtudioſe ſeparavit Chaucerus, ut exinde *familiam* duxerit inter poëtas Anglos; quippe Spencerus quoque, ducentis poſt annis, ſibi viſus eſt Chauceri anima agitari, cujus deinde, ut Poëtarum quoque ſtirpes ſunt, natum ſe profeſſus eſt Miltonus, ut Wallerus Fairfaxii. Quin & Noſter, ut in iiſdem, in quibus Chaucerus quondam, ſtudiis verſatus fuit, ita ad idem carminis genus ferri ſe præcipua quadam propenſione fatetur, eoque vitio ſibi verti nequaquam poſſe cenſet, quod in Chaucero nova quaſi veſte induendo alia reſecaverit pro lubitu, quædam & aſſuerit. Attamen nec omnia ejus opera perpolienda ſumpſit, verum in quibus laſcivior fuerat, intacta reliquit, & ſi in hæc quoque nequiora quædam irrepſerint, totum hoc indictum vellet. Qua occaſione ingenue fatetur, ſe multis antehac procaci carmine offenſioni fuiſſe, ſed vere nunc dolere, & ad culpam pro virili corrigendam paratiſſimum eſſe. Ceterum gratulatur Chaucero de fato feliciori, quod poſt tantum intervallum ejus reviviſcat memoria. Namque nuntiatum ſibi ait in Gallia Fœminam doctiſſimam *de Scudery*, jam ſeniorem, auctori huic in Gallicam linguam transferendo nunc incumbere. Unde colligit, jam olim Chauceri poëmata in linguam veterem Provincialem fuiſſe traducta; nam ut obſoleta Anglica intelligi a fœmina Galla credat, adduci non poteſt. Quod porro ad Boccacium, illum quidem ab aliis, ab illo multa Chaucerum mutuatum aſſerit; utrumque vero fuiſſe ejusdem ingenii, eorundem-

demque ſtudiorum. Itaque ut alia Boccacii multa, ita Poëma ve-
re Epicum, cujus titulus *Palamon & Arcite*, Noſter in Anglicum
ſermonem transfudit, cujus ait hiſtoriam Iliade & Æneide lon-
ge jucundiorem, modos æque perfectos eſſe, dictionem quoque
poëticam, eruditionem pariter ſolidam & variam, ac diſpoſitionem
non minus artificioſam. Denique quæ ultimo loco iis Auctor
noſter reſpondet, quorum hactenus cenſuris fuerat impetitus, re-
cenſere non immerito ſuperſedemus.

A CONFERENCE WITH A THEIST &c.
h. e.

COLLOCUTIONIS CUM THEISTA PARS IV ET ULTIMA, *in qua (1) auctoritas librorum Veteris ac Novi Teſtamenti defenditur, (2) ſtylus Scripturæ S. a methodi ac eloquentiæ defectu, nec non ab obſcuritate atque vulgari loquendi genere vindicatur, (3) argumenta pro Chriſtianæ Religionis præſtantia atque veritate adſeruntur,* *Auctore* ***GUILIELMO NICHOLLS S. T. D.***

Londini apud Fr. Saunders & Thom. Bennet, 1699. 8. plag. 20.

CONſtituerat equidem Rev. Auctor omnem Credentii cum Philo-
logo diſceptationem tribus partibus, quas antea recenſuimus,
abſolvere; verum cum rerum amplitudinem ac ubertatem perſpice-
ret, facturus ſibi operæ pretium viſus eſt, ſi quartam hanc quoque
adderet, in qua primo Philologum contra Scripturæ S. auctorita-
tem pluribus verbis diſputantem introducit. Is enim ſingulos
V. T. libros ordine examinat, atque Simonii, Spinoſæ, Peirerii &
Hobbeſii veſtigiis inſiſtens, eorum fidem variis argumentis labefa-
ctare annititur; quæ cum prolixiora ſint, quam ut a nobis repetan-
tur, inprimis ſi ea, quæ accurate reſpondentur, adjungere velle-
mus, videbimus modo, quomodo Credentius Philologum refellat,
qui cum Spinoſa omnes V. T. libros uni auctori & quidem Esdræ 67.
adſcribendos eſſe ſtatuit, ea de cauſſa tantum conſcriptos, ut gen-
tis Judaicæ fata orbi exponerentur. Scilicet Credentius vel ex
Scripturæ diverſo dicendi genere Scriptorum varietatem concludi
poſſe, Esdram vero omnes ejusdem libros ſuppoſuiſſe non veroſi-
mile videri ait, dum futurum fuiſſe exiſtimat, ut neque tam graves

Digitized by Google

duræque leges Judæis proponerentur, neque tam multa, quæ eorum famæ labem adſpergunt, ſimul legerentur, ſi quidem Judaicus Sacerdos illos ſuppoſuiſſet. Iſtam vero rationem ſacris Scriptoribus propoſitam fuiſſe, ut præter Judaici populi fata nihil traderent, exinde negat, quod multa ab iis memorentur, quæ aut plane Judæos non reſpiciant, aut præterea ad alias quoque gentes referenda
71. ſint. Quærit quidem Philologus, quomodo quis perſuaſus eſſe poſſit, libros iſtos Divino inſtinctu eſſe exaratos, dum fieri potuiſſe ait, partim ut illi Prophetæ adpellarentur, qui ſeculo rudi doctrina leviter imbuti erant, partim ut Judæi loco auctorum Divinorum, rerum profanorum ſcriptores in canonem referrent: ſed neminem apud Judæos absque miraculis Prophetæ nomen tueri potuiſſe, eosque, qui Prophetas ſe mentiebantur, graviſſimas pœnas manſiſſe; Prophetas etiam non ob doctrinam, qua & alii inter eos præſtabant, ſed ob revelationem obſervatos atque cultos fuiſſe, Credentius reſpondet. Addit, eo tempore, cum Canon conſtitueretur, inter Judæos omnes conſtitiſſe, quinam libri a Deo promanaverint, nec dubium eſſe, quin ipſe Esdras in libris ſacris colligendis, Divino Spi-
73. ritu agitatus fuerit. Porro quoque auctoritatem librorum V. T. Philologus oppugnat, eosque ſupponi perinde potuiſſe autumat, uti multa ſpuria ſcripta primis Eccleſiæ temporibus fuerint circumlata. Verum Credentius falſa Eccleſiam monumenta, tanquam cum fide pugnantia atque auctoritate deſtituta, omni tempore rejeciſſe, genuina vero reverenter ſuſcepiſſe; illa a quibusdam ſolum adprobata, hæc vero totius Eccleſiæ ſuffragio obſignata fuiſſe regerit, ſimulque cujusvis libri auctoritatem antiquitatis teſtimonio in-
80. niti, ſigillatim demonſtrat. Hæc quamvis in dubium vocare Philologus nequeat, fraudem tamen ante teſtium illorum tempora adornari, caſuque fieri potuiſſe exiſtimat, ut illa ſcripta majori quam alia conſenſu reciperentur. Sed laudat Credentius priſcorum in ſcriptis examinandis curam & diligentiam, quam ut verum a falſo diſtinguerent, adhibuerunt; & quanquam non dici poſſit accurate, quando & quomodo libri iſti ad Eccleſiam pervenerint, traditionem tamen iſtam univerſalem ſatis probare ait, eos ab illis conſcriptos eſſe, quorum nomine inſigniuntur, eoque magis eorum fidem confirmari, quo certiora ex Tertulliano atque Ignatii epiſto-
lis

Digitized by Google

lis teſtimonia proferri poſſint, ipſa eorum archetypa iſto tempore adhuc extitiſſe. Et quamvis neget Philologus, omnes libros ab u- 84.
niverſis receptos fuiſſe, dum multi plures rejecerint, univerſam tamen Eccleſiam eos adprobaſſe, Credentius monſtrat, contra quam quorundam hæreticorum exempla nihil valeant. Objicit prætereа Philologus, non Deo auctore N. T. libros conſcriptos videri, quod Apoſtoli diverſum longe dicendi genus a Prophetis ſequantur, quod barbare loquantur, quod nudis rationibus inſiſtant, nec Dei nomen æque ac Prophetæ obtendant, & quæ alia profert in medium, quibus ſacrorum librorum Divinitatem infringere conatur, quæ tamen omnia Credentius facile diluit. Urget inprimis Phi- 103.
lologus diverſos interpretum ſententias, quorum alii ſingula verba omnesque ſyllabas, alii ſolum ſenſum verborum a Deo profluxiſſe ſtatuant; alii rurſus putent Scriptores ſacros in rebus levioribus errare omnino potuiſſe, ſanctumque Spiritum iis ſolum adſtitiſſe, ne in rebus majoris momenti laberentur. Credentius ergo, poſtquam oſtendiſſet, iſtam auctorum circa modum diſſenſionen, ipſam inſpirationis veritatem nequaquam tollere, Philologum tum de ipſius rei certitudine edocet, tum quousque inſpiratio ſit extendenda informat. Quod enim ſancti viri Divino adflatu agi- 105.
tati ſcripſerint, tum ex ratione, tum ex Scriptura ipſa, tum ex antiquitate probat. Ex ratione, tum quod ipſe Spinoſa concedat Apoſtolorum conciones a Deo originem traxiſſe, unde Scripturam quoque ab ipſo promanaſſe multo magis veroſimile eſſe demonſtrat; tum quod magna eorum apud omnes ſemper fuerit veneratio atque auctoritas; tum quod nullum inſpiratione aptius medium Chriſtianam religionem conſervandi poſſit excogitari Ex Scripturis ad evincendam cauſſam, præter alia loca, illa ex Luc. 12. 11. Joh. 14. 26. I. Cor 2. 10. I. Tim. 1. 14 adfert; & denique Clementis Romani, Theophili Antiocheni, Irenæi, Juſtini Martyris, Clementis A- 112.
lexandrini atque Tertulliani teſtimoniis rem confirmat. Quod vero modum inſpirationis attinet, non quidem omnes litteras atque ſyllabas a Deo proveniſſe, adeoque amanuenſium ſolum partes Apoſtolos egiſſe arbitratur, cum hoc Divinarum operationum conditioni contrarium ſit, quæ talem vim humanæ naturæ nunquam inferre ſoleat, ſed factum potius fuiſſe credit, ut ipſi ſcribentium

rationi ſuæ partes relinquerentur, quod vel ex ſtyli varietate adpareat, qui ſecundum eorum genium atque educationem diverſus
117. ſit. Interim adfirmandum omnino eſſe, maximam ac principalem ſenſus partem Divino lumine Apoſtolis infuſam fuiſſe, & quanquam dici nequeat perfecte, quæ rationi & quæ inſpirationi originem debeant, ſufficere tamen, quod Spiritus S. ita Scriptoribus ſacris adfuerit, ut ipſorum ſcripta nullius falſitatis accuſari queant.

120. Nunc quoque dicendi genus in Scripturis uſitatum reprehendit Philologus, quod ex ejus ſententia ſplendidiore longe eloquentia illuſtratum foret, ſi quidem a Divina mente prodiiſſet; jam vero
122. id longe abeſſe a Græcorum Latinorumque elegantia, ad quam nec verborum numero, nec dicendi copia, nec argumenti præſtantia, nec methodi cura accedat. Ad hæc *Credentius* reſpondens, eloquentiam in Scriptura æque non neceſſariam eſſe, *inquit*, ac in Medicorum formulis ſtylum Ciceronianum; nec conſtitutum Deo fuiſſe, humana arte hominum animos perſuadere, ſed perſpicuas vitæ regulas tradere, deque ſalute ſua homines erudire, quorum cum maxima pars plebeja ſit, atque a litterarum cognitione remota, Scripturam Rhetorum in morem conſcriptam non intelle-
124. xiſſet. Fruſtra vero in ſacris litteris eloquentiam requiri probat, tum quod ipſius Dei loquentis auctoritas ad perſuadendum valida ſatis, tum quod præmia & pœnæ, quibus ad obedientiam Deo præſtandam homines adducantur, argumenta ſint quavis eloquentiæ
127. vi ſuperiora. Neque tamen veram eloquentiam tantum ad Græcorum atque Latinorum modulum metiendam eſſe ſubjungit, in quo cum gentes non conveniant, Moſen quidem atque Jeſaiam ſe
131. Orientalium populorum conſuetudini accommodaſſe. Imo Ethnicorum iſtam facundiam inferiorem ſæpe eſſe illa ſacrorum Scriptorum exiſtimat, utpote quæ vitiis careat, quibus illa abundet, nec inutilem verborum farraginem toties coacervet. Inconſuetas autem formas, ob quas Scriptura a quibusdam contemnatur, ex verſionibus ejusdem, nec non ex ritibus Judæorum nunc obſoletis prove-
139. nire obſervat. Attamen veram eloquentiam ſcripturæ nequaquam denegandam eſſe, Credentius evincit, tantumque abeſſe dicit, ut ipſa contemni mereatur, ut potius vehementi admiratione digna ſit. Quanquam enim neque ſecundum Ariſtotelis neque Quintiliani regulas

Digitized by Google

gulas compoſita ſit, omnia tamen adeſſe ipſi adſerit, quæ ad per-
ſuadendum idonea inveniuntur. Ipſam enim dicendi materiam eſ-
ſe veram, argumenta apta & adæquata, lectorum animos moveri,
elocutionem hominum captui accommodari, nec orationis lumi-
na abeſſe, diſtincte docet, exemplisque declarat. Quod methodum 146.
attinet, quam Philologus reprehendit, Credentius non poſſe expe-
ctari ait a Judæis, ut ſecundum methodum a Gentilibus inventam 157.
ſibique plane incognitam ſcriberent; indignam videri methodo tali
& rerum ſacrarum dignitatem, & ipſam inſpirationem, quæ ſæpe ab
humanæ mentis ratiocinatione longius diſtet: quanquam non o-
mnem abeſſe methodum, ex Moſis hiſtoria aliisque V. T. ſcriptis
comprobet. Propterea autem absque methodo libros ſacros con-
ſcriptos *aliquando* videri dicit, quod & crebræ tranſitiones fiant,
inprimis ad Meſſiam, & Hebræa illi lingua conſignati ſint, cujus ver-
ba plures res ſignificent, quæque interdum male transferatur, dum
conjungenda dividantur, & dividenda conjungantur. Dum ob-
ſcuritatis ſacras litteras accuſat Philologus, negat Credentius quas- 167.
vis earum partes obſcuras atque difficiles dici poſſe, cum & hiſto-
riæ ſimplici ſermone proferantur, & res, quæ ſalutem ſpectant, fa-
cile intelligantur; ſi quid vero paulo obſcurius videatur, id re-
rum ſublimitati, & humani intellectus anguſtiæ adſcribendum eſſe
exiſtimat. Addit, multa quæ aut ad ſtatum Eccleſiæ, aut regnum
Antichriſti, aut Judæorum converſionem pertinent, nunc involuta,
olim aperienda eſſe; obſcuritatem quandam ſæpe ex hiſtoriarum, 172.
conſuetudinum, ac linguæ Hebraicæ ignorantia oriri; vaticinia ut
ante complementum lateant, neceſſe eſſe; quædam vero obſcu-
riora Scripturæ loca ad reverentiam, humilitatem ac diligentiam
homines impellere. Putat etiam Philologus, multa in Divinis lit-
teris præter rem adduci, res leviores prolixis verbis tradi, cum
contra de gravioribus non niſi in transcurſu agatur: aſt Creden-
tius & minimam Scripturæ partem ad perfectionem illius neceſſa- 179.
riam eſſe monſtrat, inprimis cum multæ hiſtoriæ ad Patriarcha-
rum familiam pertineant, ex qua Chriſtus originem ſuam duxerit;
nec Scriptores ſacros illum Gentilium dictionis cultum aucupari, ar-
temque hiſtorias apte componendi Græcis quidem notiſſimam, Ju-
dæis vero ignotam plane fuiſſe. Multa præterea eſſe typica, pro- 184.

phetica, & ad refutandas hæreſes longo demum poſt tempore fu-
turas adducta, quæ quidem primo præter rem allata eſſe videan-
tur, verum vel ad veritatem aliquam confirmandam, vel priſcam
conſuetudinem quandam explicandam faciant. Porro ob repeti-
tiones tam frequentes earundem rerum, Divinos Scriptores Philolo-
gus carpit: cui reſpondet Credentius, officia quæ ad mores ſpe-
ctent, crebrius repetenda, hominumque mentibus hoc modo in-
culcanda eſſe; & quidem in ſacris litteris diverſis plerumque argu-
mentis id fieri, dum modo juſtitia, modo clementia Dei propo-
natur, ut hac ratione diverſa hominum ingenia diverſo modo mo-
187. veantur. Contra perſuadendi rationem in Scripturis obviam quo-
que inſurgit Philologus, eaque longe præſtitiſſe Ciceronem adfir-
193. mare non dubitat; cum ſacrarum rerum Scriptores ea quæ dicunt,
argumentis, ac rationibus minime confirment. Veruntamen exci-
pit Credentius, in doctrina morali commendanda uti omnino Scri-
pturam argumentis, & quidem ejusmodi, præ quibus omnia Eth-
nicorum evaneſcant; id quod Moſis ad obedientiam legibus præ-
ſtandam adhortantis, & Prophetarum a peccatis dehortantium, nec
non Servatoris noſtri atque Pauli exemplis confirmat, ceterumque
Divinam auctoritatem cunctas hominum rationes longo interval-
198. lo ſuperare oſtendit. Dum tandem Philologus id agit, ut & Scri-
pturam contradictionum convincat, & quæ in illa traduntur, con-
torta admodum atque difficilia eſſe probet, egregie quidem iſta
omnia Credentius diluit, & denique Philologum ſimiliſque farinæ
homines admonet, ne verbum Dei riſui exponant, ut Scripturam in
lingua, qua primum conſcripta eſt, perlegant, vitamque honeſtam
atque virtutibus conſpicuam degant; ſic enim fore ait, ut ſacris lit-
teris magis magisque adficiantur.

222. Denique veritatem ac præſtantiam Chriſtianæ religionis no-
vem argumentis idem Credentius demonſtrat. Primum enim
quam abſurda, vana & paradoxa Infidelium ſint principia exponit,
& deinde quam pulchra partium omnium Chriſtianæ religionis in-
ter ſe ſit conſenſio, conſiderat. Tertio non leviter hujus religio-
nis veritatem confirmari dicit progreſſu ejus incredibili, qui abs-
240. que ſingulari Dei providentia fieri non potuerit; ſi præſertim tot
viros prudentes atque eruditos, qui ſeſe eidem opponebant, per-
pen-

Digitized by Google

pendas; reliquas religiones, quæ contra Chriſtianam pugnabant, civili potentia defenſas fuiſſe cogites; præjudicia hominum, perſecutiones Chriſtianorum, infirmitatem etiam atque ſimplicitatem eorum conſideres, qui iſtam doctrinam propagabant, doctiſſimosque viros ad eam perducebant. Equidem Philologus Mahume- 244.
tiſmum atque Quakeriſmum opponit, quæ religiones parvo temporis ſpatio longe lateque ſe diffuderint; ſed illarum diverſam plane atque Chriſtianæ rationem eſſe, Credentius docet. Muhammedanorum fidem ſcilicet vi atque gladio, Chriſtianorum vero absque violentia ulla fuiſſe propagatam; illam barbaro ſeculo inter rudes & ſtupidas gentes, hanc vero eo tempore, quo artes maxime florebant Athenis atque Romæ, radices egiſſe. Quakeros Chriſtianis longe inferiores numero eſſe, nec mirum videri, quod iſtorum doctrina tam brevi tempore tanta incrementa ceperit, cum Quakeriſmi auctores non novam religionem condere, veluti Chriſtianismi duces, ſed Chriſtianam ſolum expolire videri voluerint: Quakeros non tot, quot Chriſtiani pertulerunt, perſecutiones paſſos fuiſſe, eosque plurimum commodi atque utilitatis in vita civili ex ſua religione percipere, quod de primis Chriſtianis dici nequeat. Quarto non leve pro noſtra religione argumentum eſſe inquit, 248.
quod tot *vaticinia* in N. T. exhibita eventu fuerint comprobata, quod absque ſingulari Numinis cura fieri non potuerit. Quinto 258.
vero tot *fulcris* niti religionem Chriſtianam ait, quot miraculis ipſa & Chriſti ac Apoſtolorum tempore, & ſequenti ætate illuſtris reddita fuerit; quorum exempla & ipſe profert, & lectorem ad Cl. Dodwelli Diſſert. II in Irenæum remittit. Sextum argumentum a præſtantia præceptorum atque doctrinæ Chriſtianæ religionis deducit, qua eam omnes reliquas anteire, in ſecunda Collationis parte ſe oſtendiſſe non modo memorat, ſed etiam ſententiam ſuam tum ex theoreticarum tum practicarum Chriſtianæ religionis par- 269.
tium conſideratione denuo probat. Septimo veritatem religionis Chriſtianæ facile adparere dicit, ſi ceteræ cum ipſa comparentur: tunc enim videri, eandem minime futilibus atque abſonis opinionibus, ut quidem reliquas, conſtare. Octavo arguit, vel propterea Chri- 283.
ſtianorum doctrinam reliquis præferendam, quod ea hominum vitam vel maxime emendet; quanquam enim nec inter Chriſtianos

Digitized by Google

vitia penitus exulent, eadem tamen nec tam magna nec tam crebra eſſe, veluti forſan inter Gentiles ſoleant, demonſtrat. Cum vero iſte Philologum adhuc vexet ſcrupulus, num hodierna Chriſtianorum religio eadem ſit, quæ ab Apoſtolis tradita fuit, & hunc ei Credentius eximit, atque Nono eandem, non aliam, noſtram
288. doctrinam cum illa Apoſtolorum eſſe, varie & inprimis antiquorum auctorum teſtimoniis evincit. Tandem hortatur Philologum, ut virtutibus ſtudens voluptatesque fugiens, non quævis Divina ad rationis menſuram metiatur, non jocis atque facetiis tantum indulgeat, non ſtatim de Chriſtiana religione male cogitet, ſi non quævis dubia, quæ circa illam proferri poſſint, accurate ſolvere queat, & inpoſterum infidelium ſocietatem evitet. Quæ cum Philologus grato animo agnoviſſet, abit huicque Colloquio finem imponit.

SUCCINCTA SUCCINI PRUSSICI HISTORIA ET DEMONſtratio. Auctore PHILIPPO JACOBO Hartmann/ *Phil. & Med. D. Profeſſore Medicinæ Extraordinario, S. R. I. Naturæ Curioſorum Collega.*

Berolini, apud J. M. Rüdiger/ 1699. 4. Plag. 6.

IN ſex potiſſimum ſectiones diſpeſcere præſentem tractatum placuit Autori celeberrimo, ita ut in prima regiones, in quibus per univerſum terrarum orbem ſuccinum generatur, vel generari perhibetur, evolvantur; in ſecunda matrix ſuccini vera ex ligno foſſili conſtituatur, modusque quo generatur idem, demonſtretur; in tertia ipſa ſuccini ſubſtantia, & quæ in eadem apparent, aut ipſi adhærent, vel includuntur, conſiderentur; in quarta, ad quam claſſem illud ſit referendum, determinetur, & quot modis a reliquis differat mineralibus, edoceatur; in quinta non ſolum ſuccinum, verum etiam ejus matrix lignea, aliaque litoris Sudavici mineralia Chymico & Pharmaceutico examini ſubjiciantur; in ſexta denique, quomodo prudentia civilis ſuccinum in rem ſuam vertat, excutiatur.

Initio quidem, quanquam celebre ſuccini nomen, pluribus ante Chriſtum natum ſeculis, apud Scriptores Græcos, Philoſophos æque ac Hiſtoricos & Poëtas fuerit commemoratum, eorum tamen

Auto

Digitized by Google

Autor noſter non ſubſcribit opinioni, qui exiſtimant, in Africa Heſperidum hortos, Ægyptum, Æthiopiam, Numidiam; in Aſia Indiam & Arabiam regiones ſucciniferas fuiſſe: nec recentiorum admittit auctoritatem, qui ſuccinum Orientale ex Aſia, Africa, & America afferri perhibent; non quod naturæ impotentiam illis in locis accuſet, ſed quod certiora ſaltem hac de re monumenta deſideret. Nomen vero Ambari ſive Ambræ, quod ſuccino cum fragrantiſſimo illo Orientali bitumine commune eſt, & reſinam Copal, ſuccini Orientalis nomine ab officinis adoptatam, non paucos in errorem induxiſſe credit. Idemque ſentiendum pronunciat de provinciis Europæ, Italia, Hiſpania, Britannia, Pannonia, quod Gagates ſuccini nigri appellatione ſcriptoribus impoſuiſſe videatur. De Polonicis, Sileſiacis, Bohemicis ſuccinis illuſtriora adeſſe ait monumenta; Germanici vero ſuccini crebriorem & evidentiorem eſſe memoriam. Loca inprimis mari Baltico vicina ſuccinis obſervari feraciſſima, quorum magnus proventus reperiatur in Suecia Daniaque, & inſulis Cimbriam & Holſatiam allambentibus; liberalior in Samogitia, Curonia, & Livonia; copioſiſſimus in Pruſſiæ locis maritimis æque ac a mari longe diſſitis, & montibus litoreis, ita ut totum Pruſſiæ fundum ſuccineum affirmare Autor non dubitet. Nec Pomerania ſua defraudatur laude, utpote cujus maritima æque ac mediterranea tanta ſuccini copia abundent, ut Curoniæ & Samogitiæ palmam dubiam reddat. Quoniam vero ſuccina in Pruſſia litoris Sudavici amore præcipue detinentur, hujus deſcriptionem Geographicam brevibus exhibet, & interanea recenſens, vitrioli diverſas ſpecies, terram corticoſam, lignum quod litoreos montes longo tractu medios dividit, terram flaveſcentem quæ ochram æmulatur, lutum cæruleum; ex lapidibus dactylos Idæos, ſaxa mari vicina, alia parte duriſſima, alia friabilia, ligna petrefacta, lapides alga marina luxuriantes, adamantes, & jaſpides commemorat.

Matricem ſuccini indagans Auctor, eam non in omnibus corporibus, in quibus hoc invenitur, ut in alga, vitriolo, terra flava, ſabulo aut luto cœruleo, ſed in ligno, eoque non vegetabili, ſed foſſili quærit, quod ſequenti modo generari exiſtimat. Scilicet poſtquam colliculos, in litore Sudavico hinc inde exurgentes, nil niſi coacervatorum corticum cumulos obſervaverat, hos ab uda te-

naci ſeu bituminoſa terra originem ſuam ſortiri credit, putatque hanc a maris ſalſugine, aliis ſubterraneis ſalibus, vitriolicis puta, aluminoſis & nitroſis admiſta, ſubactam & maceratam, ſecedente humore ſuperfluo, ab aëre aut Solis calore exſiccari; ſiccitate vero partes, quarum pinguedo exhalavit, aut intus conceſſit, a ſe invicem ſecedere; alias glutine hoc abundantes, licet in cruſtas compactæ fuerint, mutuo cohærere, ſpeciemque ligni referre, ubi juſta ſiccitas qualicunque multarum cruſtarum cohæſioni lignoſam formam conciliavit. Lignum enim niſi ſiccitate & qualicunquè ſoliditate, qua magis compactum longiori fibrarum protenſione continuo cohæret, a corticibus iſtis non differre exiſtimat. Qua cognita matrice, veram ſubjungit ſuccini generationem, quam, prout Autor refert, nemo hactenus Erudito Orbi perſpicuam reddidit; dicitque, calorem ſubterraneum bituminis exhalationes per interanea diſperſas undique conſociare, & in guttas cogere, inprimis ex corticoſa aut lignoſa matrice easdem congregare, & eo ipſo vicina ſalia pervadere, horumque effluvia bituminoſis guttis admiſcere; ſalina tum ſpicula intra matricem adacta fluorem bituminoſum ſiſtere, &, ſi nullæ ſuppetiæ bituminoſarum guttarum a calore ſubmittantur, glebam pro modulo incunabuli formam ſubire, omnique exhalationum motu ſopito, caloreque evaneſcente, ſalinas particulas rigorem recuperare, ſociatasque ſuccineam gemmam producere. Eandemque ſtatui debere generationem docet ſuccinorum, quæ ex mari hauriuntur, ex collibus utpote vel litoreis vel ſubmarinis a fluctibus abraſorum, eorumque, quæ extra matricem lignoſam in luto cœruleo, terra corticoſa, flava, ſabuloſa, vitriolica naſcuntur, cum ex bituminoſis exhalationibus in guttas condenſatis ſalium juſta miſcela iſtæ glebæ compactæ fuerint; multo minus in animalium ventriculis ſuccina generata credendum eſſe, quoniam omnis generis animalia, terreſtria, aquatilia & volatilia ſuccineas glebas avide deglutiant.

Cognita origine ſuccini, triplex hoc pronuntiat, hauſtile aliud, quod ex aqua hauritur; aliud lectum, quod in litore invenitur; aliud denique foſſile, quod fodiendo acquiritur. Quocunque vero modo colligatur illud, nunquam molle, ſed durum ubique deprehendi aſſerit, negatque ullam foſſilia inter & hauſtilia ſuccina ratione

Digitized by Google

tione duritiei, puritatis & cruſtæ intercedere differentiam, cum utraque pro circumſtantiarum diverſitate diverſas extra matricem notas ſubire valeant. Poſthæc facta variarum, ſub quibus rudes glebæ cernuntur, ſpecierum, concretorumque ſuccinis adhærentium mentione, animalcula hiſce incluſa altius rimatur, dicitque, inſecta, ſi tempeſtatum aut hyemis injuria compellantur in latebras & cavernas, inibique ſomno ſepulta deliteſcant, a liquore bituminoſo in ſuccini matricem, tanquam horum dormitorium, deſtillante implicari & obtegi, & ſi a calore ſubterraneo excitentur, vel viva a fluore bituminoſo irretiantur, nullum invenire effugium; hinc iſta præcipue inſecta, quæ cavernas in dormitoria eligunt, ſuccino incluſa eſſe: perfectiora vero animalia, ut ranas, lacertas, piſciculos ſuccino nunquam, niſi per artis fallacias, condita deprehendi. Caſu haud abſimili, quæcunque ex plantis, ut ſemina, muſcum, cortices, ligna, feſtucas, mineralibusve, ut vitriolum, ferrum, pyritem, armaturam auream & argenteam, ſuccinum complectitur, dum in matricem illapſa ſunt, a fluore bituminoſo obſideri, atque occupari exiſtimat. Aquearum vero guttarum intra ſuccinum occluſarum eam dicit rationem: uda ſcilicet matrice a calida bituminoſa exhalatione obſepta, aquam intro compulſam a calore ſubterraneo conſumi neſciam, ob copiam circumſtantis bituminoſi laticis nullam rimam, qua difflueret, invenire; præcluſo itaque exitu, captivam ſe includi paſſam eſſe.

Quid ſit ſuccinum, determinaturus Hartmannus, hoc non inter metalla, cum nec ductile ſit, nec liquabile; nec inter terras aut ſalia, cum terris arctius cohæreat, & ſalibus ſit pinguius, utrisque etiam humidius; nec inter bitumina & ſulphura, cum ſit nimis durum atque ſolidum: ſed inter lapides ratione duritiei, inter gemmas ratione ſplendoris collocat; ipſiusque vim levia corporisque humani humores attrahendi, oleoſis particulis adſcribendam deprædicat; odorem, ſaporem, colorem & ſuccini levitatem, quibus a plerisque gemmis differt, collaudat; uſusque medicos, quibus tam citra quam per præparationem artis pharmaceuticæ corpori noſtro inſervit, recenſet; præ reliquis balſamum ſuum ſuccineum, in quo remotis terreſtribus graveolentibus partibus, volatiliores atque delicatiores amiciſſimo fluoris nexu cohærent, nullo

alieno

alieno in ſocietatem admiſſo, commendat, ceu medicamentum, omnia, quæcunque a ſuccino crudo aut arte quomodocunque præparato expectari poſſunt, citius, tutius, & jucundius præſtans.

Sed intimiorem quoque ſuccini analyſin docet, modumque ſal, oleum, infuſionem, tincturam & magiſterium ſuccini parandi tradit. Demum & matricem ligneam deſtillationi & examini docimaſtico ſubjicit, atque vitriolum Pruſſicum non cum cupro ſed cum marte ſociatum, terram corticoſam ejusdem eſſe naturæ cum ligno foſſili, flavam vero ad martem inclinare & vitriolici quid traxiſſe advertit.

Qua ratione prudentia civilis in rem ſuam vertat ſuccinum, tradens Autor, munia recenſet, quæ circa ſuccinum colligendum & vendendum adminiſtratorem, litoris equites, ſervos Cameræ &c. obire decet. Porro quantum lucri fiſco æque ac privatis apportet ſuccinum rude & elaboratum, breviter determinat. Denique qua ratione illuſtre ſuccinei operis Muſæum, cui omnium, quotquot Europæus orbis celebrat, gazophylaciorum ſplendor cedat, exſtrui & adornari poſſit, delineat.

LIBRI NOVI.

Continuatio Hiſtoriæ Cultus Sinenſium, ſeu varia Scripta de Cultibus Sinarum, inter Vicarios Apoſtolicos Gallos aliosque Miſſionarios, & Patres Societatis Jeſu controverſis. Amſtelod, apud J. Lud. de Lorme, 1700. 8.

De la Generation des Vers dans le Corps de l' Homme. Par Mr. Nicolas Andry. A Paris, chez Laurent d' Houry, 1700. 12.

Oeuvres du Sieur de la Chapelle. A Paris, chez Jean Aniſſon, 1700. 12.

La Foi & l' Innocence du Clergé de Hollande, defenduës contre un libelle diffamatoire intitulé, Memoire touchant le progres du Janſeniſme en Hollande. *A Delft, chez Henry van Rhyn, 1700. 12.*

Inſtructions de l' Empereur Charles Quint à Philippe II Roy d' Eſpagne; & de Philippe II au Prince Philippe ſon Fils. Miſes en François par Antoine Teiſſier. A la Haye, chez Loüis & Henri van Dole, 1700. 12.


Le Platoniſme Devoilé. Ou, Eſſai touchant le Verbe Platonicien. A Cologne, 1700. 8.

Sciat Lector Benevolus, una cum menſe hoc Julio prodire Sectionem VI Tomi III Supplementorum,

* * *

Digitized by Google

TAB. VII. ad A. 1700. pag. 436.



Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti, Anno M DCC.

HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS DIVINÆ Gratiæ, ſub Summis Pontificibus Clemente VIII & Paulo V, Libri quatuor. Autore AUGUSTINO LE BLANC.

Lovanii apud Ægidium Denique, 1700. in fol. Alph. 9, Pl. 20.

NOn una ratio eſt, quæ ad domeſtica Eccleſiæ Romanæ certamina paulo accuratius cognoſcenda, tum illos, qui in ejus gremio degunt, tum illos, qui ea relicta ſuas ſibi res ſeorſim habere inceperunt, impellat. Hi enim veritatis hinc inde in ipſis certaminibus ſtricturas colligere, & Romani Pontificis infirmam admodum ad lites illas ſopiendas auctoritatem, artes quoque & fraudes & callidiſſimas partium machinationes inde perſpicere, e re ſua eſſe putant. Illi contra, quam penes partem ſtet veritas, & cui accedere debeant, habere exploratum, nec ignorare quid reſpondendum ſit adverſariis ad ſua commoda hæc trahentibus, ſuarum eſſe partium ducent, turpeque reputabunt ſolicitum eſſe de externis, & neſcire quid domi agatur. Atque ad hæc cum celebritas iſtius certaminis, quod de auxiliis gratiæ Dominicanos inter & Jeſuitas per tot annos magnis animorum motibus agitatum fuit, accedat, multorum calculum ſibi pollicetur Auctor *Auguſtinus le Blanc*, quisquis eſt, dum in controverſiæ hujus hiſtoria, fide, quam præfert, incorrupta ad poſteros transmittenda, operam ſtudiumque ſuum collocavit.

Cauſas autem, quibus ad ſcribendum adductus ſit, enumerans, Præf.

Digitized by Google

acriter in recentiores, ut vocat, Hiſtoriæ hujus corruptores inſurgit, & ex ipſorum propria confeſſione eos redarguit. Sherlogum, qui ſub Pauli Leonardi nomine lateat, profiteri, diſputationum aut judiciorum acta ſe non legiſſe: Gabrielem Henao de actorum quidem lectione gloriari, aſt inſimul fateri, quod ſuæ cauſæ non faveant: cujusmodi quid & veritatis vis extorſerit a Petro Fulienſi. Sed & ceteros, Theophilum Raynaudum, Franciſcum Annatum, Johannem de Ripalda, Jacobum Platelium, Eugenium Philadelphum, Chriſtophorum Ortegam, Franciſcum Perrinum, Philippum Brictium, Petrum Poſſinum, Michaëlem Tellerium, & cenſuræ adverſus Archiepiſcopum Remenſem editæ auctorem, omni merito auctoritate apud probos omnes atque cordatos deſtitui, quod nullis actorum monumentis innitantur. Primam porro litem de actorum hac in controverſia fide, A. 1630 ortam docet. Nonnullos enim tum prodidiſſe, ſcientiam mediam nullo in Auxiliorum Congregationibus judicio petitam eſſe. Aſt contrarium mox Carmelitas ſtrictioris inſtituti in Academia Salmanticenſi probaſſe, præſertim ex Diario Thomæ de Lemos: prolixius idem deduxiſſe Guilielmum Gibieuf Doctorem Sorbonicum in opere, quod noſter eruditum vocat, de *libertate Dei & creaturæ*: confirmaſſe hoc Prædicatores Duacenſes in altera editione Hiſtoriæ Pelagianæ Didaci Alvareſii: quibus denique A. 1637 Johannes a S. Thoma acceſſerit, qui teſtimonio Lemoſii addiderit ſuffragium Pegnæ. Tum vero Molinæ ſectatores, velut agmine facto, pro cauſa ſua defendenda expediviſſe arma, Johannem ſcilicet Martineſium de Ripalda, Petrum a S. Joſeph Fulienſem, Paulum Leonardum, Franciſcum Annatum, aliosque: quibus Vincentius Baronius, Antoninus Reginaldus, Joannes Caſalaſius, Paulus Faſſeaulius aliique ſe oppoſuerint. Qui tamen, quod Congregationum acta non legiſſent, Andabatarum more pugnaverint, res compertiſſimas vocaverint in dubium, planas atque apertas detorſerint, & quadrata miſcuerint rotundis. Ad recentiora autem certamina converſus Auctor, quæ A. 1696 & ſequentibus in Gallia hac de re geſta ſint, paucis enarrat. Gabrielem namque Thirioux, e Societate Jeſu Theologum, in Theſibus A. 1696 die 5 Dec. publice ventilatis denuo aſſeruiſſe, Molinam ex hoc certamine per ſententiam Pontificis diſ-
ceſſiſſe

Digitized by Google

ceſſiſſe ſuperiorem: id quod & alius ejusdem Societatis die 17 ejusdem menſis aſſeruerit. Hanc Jeſuitarum audaciam Carolum Mauritium Le Tellier, Archiepiſcopum Remenſem, edito die 15 Julii A. 1697 ad Academiam Remenſem edicto, coërcuiſſe: cui anonymus *Monitionem ſupplicem* (ita titulus libri ſe habet) *Illuſtriſſimo Remenſium Archiepiſcopò factam ſuper decreto edito die 15 Jul. 1697 &c.* oppoſuerit, in auctoritatem pariter Archiepiſcopi ac ipſam veritatem injuriam. Hunc ergo rem iſtam detuliſſe ad Regem, & Societatis Jeſu Præpoſitos Pariſiis degentes in jus vocaſſe, qui & ad imminentem tempeſtatem evitandam facile ſe induci paſſi ſint, ut ſcripto quodam ſupplici læſæ dignitatis Epiſcopalis veniam ab Archipræſule peterent. Videri poſſe magnum Societati hoc ipſo inuſtum dedecus, niſi viri iſti & incommoda ſua in gloriæ argumentum vertere didiciſſent, adeoque & in hoc negotio perſuadere orbi conati eſſent, amica transactione litem inter Archiepiſcopum & Societatem finitam eſſe. Interim ne cauſam deſeruiſſe viderentur, eos Rothomagi A. 1698 die 20 Januarii novum Molinæ inſtruxiſſe triumphum docet, in dubium vocantes quicquid de ejus condemnatione dicitur: id quod moribus Societatis Noſter imputat, a quibus non poſſint non ſimilia expectari. Hæc omnia licet ſatis evincere videantur, quod Auctor cupit, accuratam & incorruptam Congregationum de auxiliis gratiæ hiſtoriam maximopere neceſſariam eſſe, addit tamen adhuc aliquid de litteraria, ut vocat, concertatione Natalis Alexandri Ord. Prædicat. & Gabrielis Danielis Jeſuitæ. Jacobum namque Nicolaum Colbertum Rothomagenſium Archiepiſcopum A. 1696 in mandato Paſtorali ſuis commendaſſe inter Auctores, ad morum doctrinam accuratius imbibendam, Theologiam Dogmaticam & Moralem Natalis Alexandri. Hunc delectum ſtatim nonnullis moviſſe ſtomachum, libellumque Gallicum mox comparuiſſe ſub titulo: *Difficultates propoſitæ Illuſtriſſimo Rothomagenſium Archi-Epiſcopo, circa Theologiam Dogmaticam R. P. Natalis Alexandri Dominicani*; cujus auctor duas ſupra viginti propoſitiones ceu erroneas in dicto Alexandri opere notaverit. Alexandrum itaque, cum compertum haberet, libellum huncce a Patribus Jeſuitis hinc inde ſtudioſe diſſeminari, ſcriptum aliquod Gallico idiomate ei oppoſuiſſe, ſub titulo: *Elucidatio prætenſarum difficulta-*

ficultatum &c. quo ſuam ſententiam ita defenderit, ut adverſarii ſui errores graviſſimos de Probabilitate, Simonia, &c. inſimul perſtringeret & accurate refelleret. Interim P. Buffier Jeſuitam inflagranti delicto, quod libellum Natali Alexandro oppoſitum diſſeminaret, deprehenſum, ſui criminis graviſſimas dediſſe pœnas: ipſum autem libellum a Rothomagenſium Archiepiſcopo in epiſtola Paſtorali gravi cenſura notatum damnatumque eſſe. Gabrielem Danielem autem Jeſuitam, cum diutius ſe latere poſſe non crederet, tandem prodiiſſe in lucem, epiſtolamque die primo Januarii 1697 ad Alexandrum ſcriptam promulgaſſe, qua æquivocationum ſuſceperit defenſionem, eique mox, aliis adhuc cauſis commotum, novem alias epiſtolas intra menſes aliquot addidiſſe, quibus profligata jampridem Societatis ſuæ dogmata novis pigmentis ornata denuo in ſcenam producere auſus fuerit. Nec tamen huic impune licuiſſe laceſſere gentem Dominicanam. Theologum enim quendam anonymum, quem ipſum Alexandrum eſſe viri omnes eruditi perſuaſum habuerint, editis ſex epiſtolis Patribus Jeſuitis inſcriptis, ad Danielis epiſtolas reſpondiſſe, acriterque quæ in iis perperam dicta erant, profligaſſe. Cumque interea Jeſuitæ Lugdunenſes die 26 Aug. A. 1697 theſes quasdam multis erroribus ſcatentes propugnaſſent, eundem Theologum duabus Doctori Sorbonico inſcriptis epiſtolis hos errores detexiſſe & refutaſſe, addito libello, cui titulus: *Theſes J.ſuitarum Lugdunenſium cenſoriis notis diſpunctæ atque confixæ.* Jeſuitas autem, cum viderent inferiorem ex hoc certamine diſceſſurum partium ſuarum defenſorem (ita enim Auctor illorum conſilia interpretatur) Regem Galliæ rogaſſe, ut utrique ſilentium imponeret: id quod haud difficulter obtinuerint. Et Natalem quidem Alexandrum ſui officii erga Regem memorem conquieviſſe, indeque ultimam Danielis epiſtolam ſine reſponſione dimiſiſſe. Danielem vero Jeſuitam, ut famæ, quam in iſta concertatione, ut Auctor loquitur, fecerat, jacturam reſarciret, Regis mandato inſuper habito, Alexandri & ſuas epiſtolas junctim Lugduni edidiſſe, præmiſſa præfatione, in qua cecinerit triumphum, victoriamque palam ſibi aſſeruerit. Aſt detexiſſe fraudes quendam Thomiſticæ ſcholæ fautorem, novamque harum epiſtolarum curaſſe editionem, & in præfatione

ei

Digitized by Google

ei præmiſſa rerum geſtarum expoſuiſſe ſeriem, & ita vanam Danielis retudiſſe gloriationem. Et hæc quidem ex præfatione Auctoris delibare paucis voluimus, inde ut conſtaret, has Jeſuitarum & Dominicanorum lites nondum conſopitas eſſe, ſed hodienum, quotiescunque occaſio ſe offerat, odia quibus ſe mutuo proſequuntur, in ejusmodi certamina, argumentum illis præbente celeberrima de gratiæ auxiliis controverſia, erumpere. Ceterum ſatis prolixe etiam Auctor in eadem præfatione de codicibus MStis, ex quibus hiſtoriam ſuam concinnaverit, diſſerit. Idque neceſſitate quadam inductus fecit. Cum enim jam fama hocce opus propediem in lucem emittendum celebraret, epiſtola quædam Leodii impreſſa comparuit, ſub titulo: *Lettre à M. l' Abbé *** ſur la nouvelle Hiſtoire de Auxiliis, qu' il prepare;* in qua hoc unice egit Auctor, ut MStorum codicum, quorum in hac hiſtoria aliquis uſus eſſe potuit, fidem imminueret, Gregorii quoque Coronelli, Franciſci Pegnæ, Thomæ de Lemos, ad quorum teſtimonia itidem ſæpius provocatur, auctoritatem labefactaret penitus atque convelleret. Quo ipſo cum fundamenta, quibus opus hocce innititur, peterentur, ſua omnino Auctor referre exiſtimavit, ut dictos viros & MStos quoque codices ab ejusmodi inſultibus vindicaret, & fidem illorum aſſereret ac in tuto collocaret. Et poſſent ſane ex hiſce varia memoratu digna afferri, præſertim vero ex iis, quæ de Grimano Patriarcha Aquileienſi, quem Auguſtinianæ ac Thomiſticæ doctrinæ vindicem vocat, hæreſeos ſuſpecto, ſed tandem in Concilio Tridentino abſoluto, poſtquam tractationem de MStorum codicum fide & auctoritate abſolvit, prolixe in medium affert, certaminis hujus hiſtoriam texens; ſed accedendum tandem eſt ad ipſum opus.

Quatuor libris hæc Congregationum de auxiliis divinæ gratiæ Hiſtoria abſolvitur, quorum primus controverſiæ originem, & quæ de ea in Belgio atque Hiſpania usque ad A. 1597, quo Romam tandem delata fuit, diſputata ſunt, exhibet. Prudenter namque Ignatium Lojolam Soc. Jeſu conditorem caviſſe, ait Noſter, ne Ordinis a ſe inſtituti alumni a recepta in Eccleſia doctrina diſcederent; eumque in finem inter alias hanc quoque eis præſcripſiſſe legem: *in Theologia legatur vetus atque novum Teſtamentum, & doctrina Scholaſtica S. Thomæ.* Eundem etiam, quamdiu inter mortales fuit, Lib. I.

Digitized by Google

ſtrenue in id incubuiſſe, ut ad has leges ſe componerent, quos in ſuam recipiebat Societatem. Aſt eo mortuo, cum omnium ſuffragiis Didacus Laynes A. 1558 Societati præficeretur, ſpecioſæ interpretationis obtentu concuſſam hanc legem fuiſſe, ut *accommodatiori utiliorique Theologiæ*, (hac formula enim ipſos Societatis Patres uſos dicit,) in ſcholis eorum locus eſſet. Certe hoc tempore, cum illud conſtitutum eſt, & Molinam & Fonſecam novas animo concepiſſe opiniones, quas deinceps tandem in lucem protruderent, nullum Auctori videtur dubium. Primum tamen, qui palam a recepto tramite diſceſſerit, fuiſſe *Prudentium de Monte-Major*, quippe qui A. 1581 in diſputatione Salmanticæ habita, & abſoluta Dei erga actus liberos decreta, & gratuitam quoque prædeſtinationem explodere auſus fuerit. Aſt oppoſuiſſe tamen illi ſe Dominicum Bannes, Theologiæ in eadem Academia Profeſſorem; imo ipſam Academiam Prudentii ſententiam atro notaſſe lapillo: & ita hac quidem vice litem illam in Hiſpania conſopitam fuiſſe, licet Gregorius de Valentia A. 1584 Ingolſtadii ſcientiæ mediæ defenſionem ſuſceperit. Eodem anno Claudium Aquavivam Societatis Præpoſitum generalem, ſex doctiſſimos Societatis viros, Johannem Azorium ex Hiſpania, Caſparum Gonzales e Luſitania, Jacobum Tirium e Gallia, ex Auſtria Petrum Buzæum, Antonium Guiſanum e Germania, Romam evocaſſe, ut collatis cum Stephano Tuccio Italo conſiliis, librum de ratione ſtudiorum ederent; ejusque inſtituti ſui in tractatu de *opinionum delectu* ſpecioſam dediſſe rationem, exiſtimationem ſcilicet apud exteros retinendam, opinionumque ſtabiliendarum neceſſitatem, ne omni doctrinæ vento circumferrentur; ipſum vero librum a Patribus hiſce concinnatum A. 1586 prodiiſſe ſub titulo: *Ratio atque inſtitutio ſtudiorum per ſex Patres ad id juſſu Reverendi Patris Generalis deputatos, conſcripta.* In hoc itaque libro id eos agere, ut frena ſibi ſuæque Societati in novis opinionibus adoptandis, & doctrina Thomiſtica liberius rejicienda, magis magisque laxent. Namque in quinta regula Theologiæ Profeſſoribus præſcripta ſanciri, Thomam quidem, ſed paucis exceptis, ſequendum eſſe, & deinceps quænam illa ſint, quæ excipiantur, declarari. Atque hæc dum Auctor refert, ὡν ἐν παρόδῳ ſimul animadvertit, Jeſuitas tum bona fide eam Thomæ mentem agno-

gno-

Digitized by Google

gnoviſſe, quam deinceps ejus doctrinam eſſe pernegarint, eo quod Societatis hæc ita juberent commoda. Ceterum licet hoc inſtitutum Jeſuitarum, & aliis ex ipſa Societate, & Philippo II quoque Hiſpaniarum Regi admodum diſpliceret, Pontifices quoque in viam eos revocare anniterentur, in varias tamen ſe vertendo partes, & obſequium erga Pontifices verbis præ ſe ferendo, eorum autem juſſa nunquam ſincere exequendo effeciſſe, ut eodem res maneret loco, nec unquam priſtinum in illorum ſcholis locum Thomas recuperaverit. Et ſane fructum novæ hujus conſtitutionis mox apparuiſſe, Auctor autumat. Leonhardum enim Leſſium & Johannem Hamelium, Theologiæ in collegio Societatis, quod Lovanii eſt, Profeſſores A. 1585 & 1586 ejusmodi defendendas ſuſcepiſſe propoſitiones, quas ab Academia Lovanienſi damnari atque proſcribi oportuerit. Lovanienſi autem Academiæ Duacenſem etiam acceſſiſſe, & utrique Belgii Præſules ſuffragatos fuiſſe, Auctor refert, qui & diſſidium hinc inter dictas Academias & Societatem Jeſu ortum uberius proſequitur. Prolixum nimis & contra inſtituti noſtri leges foret, ſi hæc omnia ex eo repetere vellemus; judicium tamen, quod de Trevirenſi & Moguntina Academia hac occaſione Auctor fert, non poſſumus præterire. *Geminis*, inquit, *Academiarum* (Lovanienſis & Duacenſis) *cenſuris petiti, deſperatis rebus conſulendum Jeſuitæ judicarunt. Academias Trevirenſem & Moguntinam concitarunt in ſuæ doctrinæ qualecunque præſidium: obſcuri certe nominis Academias, in quibus non triduo, ut de cauſarum patronis ajebat Tullius, ſed uno mane Doctores Theologi fabricantur &c.* Ceterum licet Sixtus V Pontifex per Nuntium Apoſtolicum lites haſce componere anniteretur, cauſaque Romam advocata utrique parti ſilentium imponeret, Duaci tamen mox recruduerunt, Societatis Profeſſoribus falſis, ut Auctor ait, criminationibus & Academiam & Nuntium Apoſtolicum circumvenientibus. Prolixius hæc ediſſerit, & cenſuram quoque Lovanienſem contra aliorum criminationes defendit, de Innocentio quoque XI & XII Belgicas cenſuras approbantibus, verba multa facit, quæ omnia tamen nobis ſicco prætereunda ſunt pede, cum graviora reſtent, quæ noſtram ſibi depoſcant induſtriam. Præludia fuerunt ea omnia, de quibus diximus, futuri certaminis a Ludovico Molina, edito Concordiæ

libro

libro excitandi. Hunc vero in Luſitaniam ſe contuliſſe memorat, ut jampridem animo conceptos errores eo tutius ibi in lucem proferret; quod in Hiſpania non licuerit, eo quod placita iſta a Molina in ſcenam producta, a Cardinale Caſpare Quiroga, Archiepiſcopo Toletano ac ſupremo fidei Quæſitore, ceu erronea damnata eſſent. Opportune admodum autem Molinæ accidiſſe, quod ſupremi Luſitaniæ Inquiſitoris officio eo tempore functus ſit Cardinalis Albertus Archi-Dux Auſtriæ, Rudolphi II Imperatoris frater, quippe qui ſingularem erga Societatem Jeſu amorem a matre velut hæreditario acceperit jure. Ludovicum Molinam inſuper libro nomini ejus inſcripto gratiam Alberti captaſſe, facileque adeo libertatem opus ſuum promulgandi impetraſſe, cum unius ſolum cenſoris Bartholomæi Ferreiræ approbatione eſſet munitum. Vix quidem huncce Molinæ fœtum aſpexiſſe lucem, cum Dominicus Bannes errores Molinæ detegeret, demonſtraretque, proſcripta ab Inquiſitione Caſtellana in hoc opere recudi placita: aſt Molinam auctoritatem Caſtellanæ Inquiſitionis deriſiſſe, data reſponſione, Inquiſitionem Caſtellanam non eſſe extra errandi periculum conſtitutam, ut Concilium aliquod generale, ſeque legibus ejus, quamdiu in Luſitania verſetur, nequaquam obſtringi. Suſtinuit, inquit Auctor, reſponſionis audaciam Principum gratia. Albertum enim Cardinalem tum Matris precibus, tum ſuo ipſius, quo Societatem proſequebatur favore, tum aliis etiam cauſis, ad cauſam Molinæ approbandam tuendamque inductum fuiſſe. Hæc ita porro exſequitur Auctor, ut oſtendat, nullam Jeſuitas habuiſſe cauſam ob iſtam Luſitanicæ Inquiſitionis approbationem ſeſe jactandi. Eſſe quidem nonnullos, qui Bartholomæo Ferreiræ Johannem de las Cuentas, Caſtellanæ provinciæ Ordinis Prædicatorum Provincialem, Molinæ approbatorem adjungant, ſed hoſce magnopere falli, haud perfunctorie demonſtrat. Ceterum Ludovicum Molinam ſuum de Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis librum, intra breve tempus variis typis edi curaſſe obſervat, ipſaſque editiones indicat. Sed addit, in ſingulis ſane editionibus mutatum aliquid ab eo fuiſſe; id quod Molinæ defenſoribus opportune admodum acciderit, in Congregationibus hanc ob cauſam inſtitutis, ad Auctorem defendendum, mox ad hanc, mox ad aliam editionem provocantibus. Docet porro

Digitized by Google

porro vix Molinæ librum prodiiſſe, cum inventæ ſcientiæ mediæ famam apud ſuos obtineret, ut ipſius etiam nomine vocati ſint, qui hanc ſententiam defendendam ſuſceperint: ſed Petrum tamen Fonſecam, hanc quippe gloriam illi invidentem, graviſſimam ei moviſſe litem. Et fatetur ſane Auctor, Fonſecam hanc ſententiam jam anno 1560 Eboræ ſuis auditoribus tradidiſſe, quos inter cum Molina etiam fuerit, ſuam hunc ex eo feciſſe primumque dediſſe in lucem. Fonſecam autem, cum a diſcipulo iſto honore ſpoliatum ſe videret, edidiſſe ſuam Metaphyſicam, in qua rem, ut acta erat, expoſuerit, novæque iſtius ſententiæ ſe profeſſus ſit auctorem. Aſt Molinæ tamen condonandum Noſter cenſet, cum ſententiam a Fonſeca acceptam ita poliverit ornaveritque, ut eam merito ſuam dicere potuerit. Ceterum non tam multos approbatores Molinæ librum inveniſſe porro docet, ut non plures nactus ſit cenſores. Namque a viris in Eccleſia maximi nominis ſtatim male eum habitum fuiſſe, ob graviſſimam ſuſcitati Pelagianiſmi ſuſpicionem. Hos inter præcipuum locum concedit Cæſari Baronio Cardinali, cujus epiſtolam integram ad Petrum de Villars Archiepiſcopum Viennenſem, in qua cenſuram ſatis acrem in Molinam expedit, lectori exhibet. Fatetur in ea Baronius, ſe ad quinquaginta & amplius notaſſe propoſitiones, verba, phraſes, quas ſaltem affines eſſe erroribus Pelagianorum ſive Semi-Pelagianorum, neminem qui abſque affectu illa perlegerit, negaturum putat. Statim quoque ſubjicit: *Quid Eccleſia Dei indiget hujus Molinæ libris, ut diſcat, quæ a tot ſanctis Patribus, Conciliis atque decretis jam ante tot ſecula didicit atque docuit*? Imo ipſis Societatis & primi quidem ſubſellii Theologis Molinæ librum initio diſplicuiſſe, & ab iis ſtrenue fuiſſe refutatum, memorat. Provocat hic ad Bellarminum, Benedictum Perrerium, Henricum Henriques, alioſque. Quinquennio demum poſt editum Molinæ librum elapſo, totam Societatem Auctor refert cauſam ejus defendendam ſuſcepiſſe. Didacum namque Nunnum, qui Regentis officio tum in Collegio S. Gregorii Valliſoletani Ordinis Prædicatorum functus eſt, A. 1594 acriter contra Molinæ ſententiam inſurrexiſſe: quod cum intellexerint Societatis Theologi, qui in eadem Academia degebant, univerſos Ordinis honorem in diſcrimen vocari exiſtimaſſe, ſi Molinam ea

Digitized by Google

occaſione indefenſum relinquerent. Atque ex eo tempore ex privata Molinæ cauſa communem totius Societatis factam eſſe, obſervat Auctor, idque fuſius proſequitur. Hinc quo pacto litem adverſus Molinam apud generalem Hiſpaniarum Inquiſitionem inſtruxerint Dominicani, quam tandem ferendo judicio maturam Romam advocaverit Clemens VIII Pontifex, Societatis precibus laceſſitus, indicto interim utrique parti de divinæ gratiæ quæſtionibus ſilentio, commemorat: tum vero ſcripta utriusque partis & cenſuras a generali Hiſpaniæ Inquiſitore Romam transmiſſas, accurate diligenterque enumerat. Hæc omnia nunc inſtituti memores mittimus, ſicut & ea, quæ Auctor de ſilentio utrique parti indicto a Pontifice, novisque diſſidiis, quæ ne Philippus quidem II H. R. ſua auctoritate comprimere potuerit, hinc exortis, ceteraque huc ſpectantia prolixe ab Auctore expoſita, ſicco, quod ajunt, nunc nos oportet præterire pede.

Lib. II. In ſecundo operis hujus libro Auctor quadruplicem cauſæ cognitionem in Romanis Congregationibus ab A. 1597 ad A. 1602 habitam deſcribit. Hic quid in ſingulis Congregationibus actum ſit, ad minutias usque perſequitur: ſed ejus veſtigiis nobis inſiſtere non licet, quia hoc prolixum nimis foret; adeoque quæ hinc inde notatu digna ſe offerunt, delibabimus. Primos qui in Societatis defenſionem prodierint, Robertum Bellarminum & Petrum de Arrubal fuiſſe docet. Et de Bellarmino quidem obſervat, eum initio pro Auguſtiniana, quam vocat, doctrina in ſcholis editisque libris acriter decertaſſe, & Molinæ ſententiam comdemnaſſe: poſtea autem mutato conſilio inter ejus propugnatores facile primum obtinuiſſe locum. Id vero mirum non eſſe, cum inter leges Societatis una quoque ſit, quæ præcipiat, ut in opinionum delectu communi Societatis judicio pareant; & licet inter Cardinales cooptatus eſſet Bellarminus, non tamen aliter eum hic ſe gerere potuiſſe, cum Jeſuitæ etiam ad eccleſiaſticas dignitates aſſumti, Propoſiti Generalis monita ſequi debeant, ex ſimplici voto. An autem cum ſermone mentem etiam mutaverit Bellarminus, definire Auctor non audet: imo non mutaſſe veroſimile eſſe, adductis quibusdam rationibus probat. Interim hac occaſione obſervat, Patres Societatis, qui in Germania opera Bellarmini ediderunt, nonnul-

las

Digitized by Google

las ejus opiniones aut ſuſtuliſſe aut immutaſſe, aliisque voluiſſe perſuaſum, quod Bellarminus æquo hæc tuliſſet animo. Et ita immutatas & vitiatas prodiiſſe Controverſiarum editiones Ingolſtadienſes A. 1587, 1588, 1590, imo & Lugdunenſem A. 1593. Aſt neutiquam Bellarmino hanc immutationem placuiſſe, ex eo colligit, quod Controverſias ſuas A. 1596 recognoſcens, novisque typis Ingolſtadienſibus mandans, lectores initio monuerit, nolle ſe omnino ut priores editiones pro ſuis agnoſcerentur. Addit, eundem intemperantem illam de Thomiſticis opinionibus cenſuram (ita enim illam Auctor vocat) ex lib. IV c. XIV expungi voluiſſe, nova Venetiis editione curata A. 1599. Rogaſſe etiam præmiſſa admonitione typographos, ut juxta hujus unius exempli fidem ſua deinceps opera recuderent. Eandem equidem cenſuram & lib. I, c. XII legi, nec in iſta editione fuiſſe expunctam, ſed id caſu potius, quam deſtinato Auctoris conſilio factum fuiſſe putat. Et hanc editionis Venetæ emendationem alias deinceps editiones, Venetam alteram A. 1602, Pariſienſem A. 1608, aliasque expreſſiſſe. Sed hæc Auctor ὡς ἐν παρόδῳ. Revertimur cum eo in viam. Id vero cumprimis, dum ſingularum Congregationum hiſtoriam pandit, agit, ut Jeſuitarum conſilia atque artes, quibus aut judicii progreſſum, aut definitionem quoque atque ſententiam hac in lite ferendam, impedire atque ſufflaminare conati ſint, indicet. Mox eos accuſat, quod in domeſtica doctrina exponenda minus fuerint ſinceri, & quod Cardinali Madrutio, in vera illorum ſententia expiſcanda, multum fuerit deſudandum: mox quod mortuo Cardinali Madrutio Pontificem a ferenda ſententia, tum aliis rationibus, tum ea imprimis, quod in magnum auctoritatem ſuam adducturus eſſet diſcrimen, ſi forte ſententia ejus ab Academiis non approbaretur, deterrere conati ſint: mox quod callide novas compoſitionis conditiones rogaverint, & quæ ſunt alia ejusdem commatis. Cum vero in triginta & duabus Congregationibus eo res deducta eſſet, ut a Pontifice ſententia ferri poſſet, & Hiſpaniæ quoque Rex Philippus III cauſæ hujus definitionem, tum per epiſtolas, tum per adminiſtros ſuos urgeret, tum demum ad fulmen hocce declinandum & impediendam definitionem, omnes Auctor ait collegiſſe vires Jeſuitas, omnia contuliſſe conſilia. Et primo quidem o-

mnia dogmata Molinæ, etiam periculoſiora, aperto Marte in Hiſpania propugnare, & longe lateque diſſeminare cœpiſſe, ut exorturi ſchiſmatis metum Clementi VIII incuterent, ſi contrarium decerneret. Intellexiſſe hoc probe Pontificem addit; hinc & Franciſco Pegnæ effuſis lacrymis exoranti, ut tot emergentibus periculis occurreret, reſpondiſſe, *ſe priſtini propoſiti tenacem iu artibus minime concuti.* Aſt non ita inopes fuiſſe ait conſiliorum Jeſuitas, ut non aliæ artes ad impediendam definitionem illis ſuppeterent. Antonium namque Roſam Sylvanectenſium Epiſcopum refert ad ſuas eos pertraxiſſe partes, & ita inſtruxiſſe, Pontifici ut perſuaderet, ſententiam Thomiſticam de prædeterminatione ab Academia Pariſienſi condemnatam eſſe, imo Moliniſmum in iſta Academia plurimos habere approbatores. Perculſum quidem hoc nuncio vehementer fuiſſe Clementem, ægreque tuliſſe, quod Academia Pariſienſis Sedis Apoſtolicæ judicium antevertiſſet: aſt cum in veritatem hujus rei per epiſtolas inquiſiviſſet, ſtatim intellexiſſe, falſa ea omnia eſſe, quæ retuliſſet Sylvanectenſis Antiſtes. Tam infelici tamen conſiliorum ſuorum ſucceſſu, non fuiſſe deterritos Jeſuitas, addit. Namque cum reliquis præſidiis ſe nudatos viderent, Concilium generale eos convocari voluiſſe, ubi de controverſis dogmatibus judicaretur. Hanc ſcenam primum A. 1601 inſtruxiſſe quendam nomine *Roam*, quem virum ignarum & audacem Noſter vocat, palamque aſſeruiſſe, Pontificem in definiendis fidei controverſiis errori obnoxium, Cenſores pro rei dignitate minus eruditos, inſtitutum examen non ſatis maturum, unamque propterea generalis Concilii viam occurrere, qua excitatæ controverſiæ definiri poſſent. Hunc vero, cum poſtea in Hiſpaniam diſceſſiſſet, rumoremque de Concilio diſſeminare non deſiſteret, imo id ageret ut Regi Hiſpaniæ hoc conſilium finiendi hoc modo eam litem ſubminiſtraretur, ab Officio Inquiſitionis juſſu Pontificis comprehenſum & in S. Officii carcerem conjectum fuiſſe. Quamtumvis autem magnam adhiberet diligentiam Pontifex, ne quis Concilii mentionem injiceret, impedire tamen eum non potuiſſe, quin indies rumor latius ſpargeretur, idque potiſſimum opera Jeſuitarum. Tandem vero & ipſum Cardinalem Bellarminum illis acceſſiſſe, qui Concilium poſtulabant. Iccirco & Pontificem eum die 20 Jan. ad ſe

Digitized by Google

ſe vocatum ſeveriori animadverſione excepiſſe, & oſtenſo S. Auguſtini loco ex lib. IV ad Bonifacium demonſtraſſe, quod Pelagiani olim easdem circulationes quæſiverint, ut Pontificiæ auctoritatis judicium effugerent. Reſpondiſſe Bellarminum, nusquam ſe negaſſe, quin per ſeſe & absque Concilio definire Pontifex poſſet, tametſi faſſus eſſet, convenientius fore, ut Concilium haberetur. Iſtam reſponſionem Pontificem pro contumelioſa reputaſſe, nec ſine ſtomacho regeſſiſſe: *Bellum profecto, ſi definiendi poteſtatem in dubium verteres. Attende ergo quid dicas: ſi magis expedit convocari Concilium, non expedit ergo controverſiam a nobis definiri.* Ad hæc nihil reponere auſum Bellarminum, etiamſi Pontifex pergeret, oſtenderetque, Pelagianos gratiam interioris inſpirationis ac illuminationis non ſecus ac Moliniſtas admiſiſſe. Poſtea tamen epiſtolam ſcripſiſſe ad Pontificem, in qua non tantum, quæ de interioribus inſpirationibus ab eo ſibi objecta erant, diluere, ſed etiam denuo Concilii injicere mentionem, & ejus ad hanc litem componendam neceſſitatem urgere, auſus fuerit. Et eam quidem, ex Italico idiomate in Latinam linguam converſam, integram hic Auctor exhibet. Cum vero & hac ratione nondum ex voto ad rei ſummam proficerent Jeſuitæ, per litteras commendatitias flectere ad ſuas partes Pontificis animum, ut porro Auctor commemorat, anniſi ſunt. Datæ itaque hunc in finem litteræ ſunt a Johanne Borgia ad Clementem VIII, a Petro Ruiz Rectore Complutenſis Academiæ ad Cardinalem Arragonium, quibus & Theologorum Complutenſium, Senatus Luſitanæ Inquiſitionis, tredecim Theologorum Academiæ Herbipolenſis, aliorumque, Ducis item Bavariæ & aliorum Germaniæ Principum epiſtolæ acceſſere: quibus tandem irritatus Pontifex, Generalem Societatis objurgavit, quod ſummo veritatis & Eccleſiæ damno, favoris & gratiæ viam tot artibus iniiſſent. Eodem tempore & libros ſubmiſiſſe Societatis Patres Auctor ait, quorum auctores cœleſti ſe lumine perfuſos, & Molinianæ ſententiæ veritatem divinitus ſe edoctos, mentirentur; cujus generis fuerit liber Pariſiis A. 1601 typis editus, ſub hocce titulo: *Tractatus de Prædeſtinatione, in Scripturam S. & veram Evangelicam lucem, divina mediante gratia, ab idiota Ferdinando de las Infantas, Presbytero Cordubenſi compoſitus, & extra omnem prætenſionem, ipſi veræ luci*

Digitized by Google

Chriſto Dei filio, a quo accepit omnia, dicatus. Auctorem enim hujus libri ſe finxiſſe idiotam, ſed a Deo derepente per revelationem edoctum, quæcunque in eo tractabantur, interim in eo totum fuiſſe, ut Moliniana atque Pelagiana dogmata defenderet & inculcaret. Refert Auctor & alias revelationes hunc in finem fictas, de quibus quicquam addere neceſſe non eſt. Poſt tot itaque maximam partem fruſtra ſuſceptas molitiones, ad avertendam definitionem hoc unum adhuc ſuperfuit, ut Pontificiam auctoritatem ipſam in dubium vocarent, ut quicquid tandem ab ea de controverſis quæſtionibus ſanciretur, declinari facile poſſet. In Academia itaque Complutenſi inter propoſitiones quæ ad diſputandum a quodam proponebantur, hæ quoque fuere: *Non eſt de fide, hunc numero Papam, exempli gratia Clementem VIII, eſſe verum Papam: Major pars Patrum in Concilio, adhuc ante confirmationem ſummi Pontificis, eſt infallibilis veritatis.* Elapſis diebus aliquot, ita Auctor pergit, eædem illæ aſſertiones in Patrum Societatis collegio propugnatæ ſunt, præſide Gabriele Vaſques, eo duntaxat adhibito temperamento, quod Clementem VIII in exemplum non adduxiſſent. Quo animo Pontifex hoſce auſus acceperit, conjectura quilibet facile aſſequi poteſt: ſed ea tamen Patrum Jeſuitarum fuit felicitas, ut Romanus Pontifex Clemens VIII hanc Doctorum Complutenſium ac Jeſuitarum cauſam ad Hiſpanienſem Inquiſitionem transmitteret. Carceri quidem mancipati ſunt Jeſuitæ ſententiæ hujus defenſores, ſpesque maxima facta erat Pontifici, quod graviſſima pœna in eos animadverſuri eſſent, ad quos ejusmodi rerum ſpectat dijudicatio, ſed promiſſis, ut Auctor docet, minime reſponderunt facta. Generalem enim refert Inquiſitorem, precibus undiquaque laceſſitum, imo ab ipſo Rege per transmiſſam ſchedulam rogatum, Jeſuitas carcere detentos libertate donaſſe, nulla delicti ſoluta pœna. Ægerrime hæc omnia tuliſſe Pontificem, cui tamen, quod Regem ipſum incaute circumventum, & huic negotio implicitum videret, pœna delinquentium in opportunum tempus differenda fuerit, propoſitionibus ipſis interim a Romana Inquiſitione ceu erroneis & totius Catholicæ fidei fundamentum Sedisque Apoſtolicæ auctoritatem ſubvertentibus, damnatis. Aſt ortam hanc ob cauſam novam Jeſuitas inter & Fratres Prædicatores litem fuſius Auctor proſequitur,

Ban-

Digitized by Google

Banneſium namque Ordini Dominicanorum addictum Pontificiæ auctoritatis impugnatæ rerum egit Michael Vaſques de Padilla, ac ſi is propugnatam a Jeſuitis Complutenſibus propoſitionem ſuis primum Commentariis defendiſſet: qua de re certior factus Baronius Cardinalis a Vasqueſio, rogatusque eſt, Pontifici ut hoc ſignificaret. Aſt Baronius, inſpecto prius Banneſii loco, deprehendit, multum ejus ſententiam diſcrepare ab opinione Jeſuitarum Complutenſium, quippe qui duntaxat doceat, *id non eſſe de fide per ſe primo & immediate revelatum*, licet non neget, *id eſſe de fide ſecundo*, uti in ſcholis loquuntur. Non ergo Pontifici id indicavit, qui tamen aliunde hæc edoctus Baronio dixit, ne dignum quidem eſſe Vasqueſium, cujus literis reſpondeat. Banneſius itaque, cognito litis exitu, cum aliis Dominicanis diſputationes varias pro confirmanda Pontificis auctoritate habuit, quibus cum alia ratione obviam ire non poſſent Jeſuitæ, itidem pro auctoritate Pontificis ſcripſerunt, ita tamen ut Banneſium perſtringerent, ac ſi nimis jejune hac de re ſcripſiſſet. Mortuo tandem Clemente VIII, ſcenaque adeo mutata, rurſus, ſi Auctori credendum, Jeſuitæ mutarunt ſententiam, & in diſputatione quadam Barcinone die 4 Jan. A. 1606 habita, has propoſitiones defenderunt: *de fide debebamus credere, Clementem VIII fuiſſe rite electum ac verum Pontificem: certitudine vero morali, Paulum V eſſe verum Pontificem.* Sed nolumus plura addere, ut de reliquis libris vel tria adhuc ſubjicere verba queamus.

In tertio itaque libro quintam cauſæ cognitionem, & quid in ea ab A. 1602 ad A. 1605 coram Clemente VIII, Cardinalibus, Inquiſitoribus aliisque Cenſoribus deputatis actum ſit, ediſſerit. Sexaginta & octo Congregationibus hæc cognitio fuit abſoluta: quid in ſingulis actum ſit, ex Auctore cognoſcere licet. Multa hic ſe offerunt lectu digna: ſed unicum ſaltem afferemus. De Gregorio ſcilicet Valentia, Jeſuitarum præcipuo in hac cognitione defenſore, narrat, eum auſum eſſe, ipſo præſente Pontifice, quædam Auguſtini verba depravare, ut ejus cum Molina conſenſum demonſtraret. Inauditam petulantiam, ut vocat, a Lemoſio ſtatim revictam, minacique vultu a Clemente VIII repreſſam fuiſſe: Gregorium autem tanto pudore fuiſſe ſuffuſum, ut mentis vertigine captus in terram concideret: id quod ex Lemoſii Diario prolixius Auctor enarrat. Ceterum Lib. III.

cum

cum in hiſce quintæ cognitionis Congregationibus ſubinde Molinæ ſententia atro notata fuerit lapillo, & vero Jeſuitæ contendant, non ſatis liquido conſtare, quid in iis decretum definitumque ſit, Auctor ſedulo demonſtrat, fruſtra hæc omnia dici, ad exceptiones quoque adverſus Clementem VIII a recentioribus confictas reſpondet, & denique Clementem VIII ferendæ ſententiæ voluntatem ad mortem usque retinuiſſe, nec Cardinalis Perronii conſiliis ab ea dimotum eſſe, demonſtrat. De Perronio autem Cardinali obſervat, ſi vel maxime concedatur, quod Jeſuitæ commemorant, cum Clementi Prædicatorum ſententiæ definitionem meditanti ſignificaſſe, *curaturum ſe, ſi, quod meditabatur, definiret, ut huic Pontificio decreto univerſi Europæ Sectarii ſubſcriberent, ſancitamque doctrinam ſuis chirographis communirent*; perperam tamen hoc eo trahi, ac ſi Thomiſticæ doctrinæ Lutheri ac Calvini (hos enim conjungit, ſenſumque illorum hæreticum vocat) ſenſum affinxerit, eaque arte Pontificem ab edenda definitione deterrere voluerit: ſed hoc ſibi voluiſſe Perronium, Calvinianos & Lutheranos, a Pelagianiſmo vel maxime alienos, eo viſo decreto, facilius ad Eccleſiæ gremium redituros. Nec in eo aberraſſe Perronium putat, cum conſtet, Lutheranos pariter ac Calvinianos, relictis jam dogmatum Romanenſium falſis præjudiciis, Magiſtrorum ſuorum priſtinis aberrationibus emollitis, imo fere exploſis, hoc in capite a Romanæ Eccleſiæ doctrina vix diſſentire; id quod tum aliis rationibus, tum maxime teſtimoniis Cardinalis Richelii, Fratrum de Walenburch, Boſſueti, Vincentii Baronii, aliorumque demonſtrare allaborat.

Lib. IV. Quarto denique ſive ultimo libro ultimam cauſæ cognitionem ab A. 1605 ad A. 1607 coram Paulo V Pontifice habitam enarrat. Fruſtra namque renitentibus, & in omnem ſe verſantibus partem Societatis Patribus, cauſam iſtam ſub Paulo V reſumtam fuiſſe. Septemdecim itaque Congregationibus cum tandem negotium hocce fuiſſet abſolutum, Paulum V finiendæ controverſiæ iniiſſe conſilium, Bullamque Pontificiam Conſultoribus delineandam commiſiſſe, quam illi etiam diligenti ſtudio elaboratam Pontifici tradiderint. Quæ poſteaquam ordine expoſita ab Auctore ſunt, ad Auctorem Leo lienſis epiſtolæ, ſupra jam memoratæ, paulisper digreditur, & ejus in Diplomatis Pontificii editores criminationes refel-

Digitized by Google

fellit. Inter alia vero Auctor dictæ epiſtolæ hæc protulerat: *Diploma illud Pontificium a viris profecto in illo controverſiarum genere minus verſatis delineatum fuiſſe, neceſſe eſt: cum propoſitiones inibi damnentur, a D. Thoma ipſis etiam terminis propugnatæ, aliaque nonnullæ Baji erroribus, a ſummis Pontificibus jam diu proſcriptis, e diametro repugnantes.* Nec mitiora reliqua ſunt, quæ ut male Noſtrum habent, ita in iis confutandis repellendisque is acrem ſe ſtrenuumque præbet. Aſt utcunque ſe diploma habeat, opportune admodum Jeſuitis accidiſſe porro Auctor docet, quod Paulus V ejus promulgationem in aliud tempus diſtulerit. Quod ut faceret, occultis rationibus permotum Pontificem dicit: nec tamen occultas illas rationes nos ignorare ſinit. Ortam namque Pontificem inter & Rempublicam Venetam gravem & auctoritati illius periculoſam contentionem, curas ejus aliorſum flexiſſe: atque cum in iſtis diſſidiis Jeſuitæ pro auctoritate Pontificis contra Rempublicam ſtarent, ut Venetiis excedere, quam Pontificis in diſcrimen adducere auctoritatem maluerint, eos ita illius ſibi devinxiſſe animum, ut Paulus ex eo tempore nihil non, ut Ordini Jeſuitarum gratificaretur, egerit. Hinc & omnem eum moviſſe lapidem, ut a Venetis iterum reciperentur, id quod tamen nulla ratione impetrare potuerit. Et ita poſt tot ambages lis iſta ad hodiernum usque diem indeciſa manſit, ut Auctor contra Jeſuitas probat, qui & addit, Jeſuitas Hiſpanos, audito rei nuncio, victoriam ſibi accinentes privatis reſcriptis a Paulo V compreſſos & in ordinem redactos fuiſſe. Interim ad concordiam inter utrumque Ordinem fovendam Paulum V nihil feciſſe reliqui, ſed ſilentium utrique de auxiliis divinis indixiſſe, donec aliquando opportunius tempus controverſiæ deciſionem permitteret. Philippum quoque tertium Hiſpaniæ Regem Prædicatores & Jeſuitas ut in mutuam gratiam reduceret, dediſſe operam, datis ſervandæ inter ſeſe, dum de doctrina diſputarent, humanitatis & charitatis conditionibus: aſt has mox violaſſe Jeſuitas, ſervaſſe vero hactenus Prædicatores, ſententiæque Pontificiæ promulgationem urſiſſe, cui tamen vel maxime, contra promiſſorum fidem, obſiſtant Jeſuitæ. Claudium Aquavivam tamen Societatis Præpoſitum, infauſtum rerum exitum novamque tempeſtatem metuentem, quasdam Molinæ ſententias ſolenni decreto

Digitized by Google

damnaſſe, ſervato tamen doctrinæ capite. Denique Jeſuitas dicit, ſuſcitatis de conceptione B Virginis invidioſis controverſiis, plebem commoviſſe, ut extremos Prædicatorum conatus, novasque pro obtinenda ſententiæ promulgatione ſupplicationes eliderent; quæ poſtquam fuſius ediſſeruit, colophonem operi huic imponit. Ceterum ſubjecta hiſtoriæ huic eſt appendix, qua varia continentur inſtrumenta atque ſcripta paulo prolixiora, quam ut commode hiſtoriæ ipſi inſeri potuerint.

AN EXPOSITION OF THE THIRTY-NINE ARTICLES OF the Church of England, written by GILBERT Biſhop of Sarum.

h. e.

EXPOSITIO UNDEQUADRAGINTA ARTICULORUM Eccleſiæ Anglicanæ, ſcripta a GILBERTO BURNETO, Epiſcopo Salisburienſi.

Londini apud Rich. Chiswel, 1700. fol. Alphabet. 4. plag. 16.

ALtera hæc eſt editio Operis præſtantiſſimi, quod intra anni ſpatium Anglico idiomate bis præla Londinenſia ſubiit, & Latine verſum in Belgio jam ſub prælis ſudare dicitur. Unice hoc ad diſſidia litesque Eccleſiaſticas in Anglia componendas ac ſopiendas comparatum eſſe, non obſcure innuit Autor Illuſtris, & tot aliis præclariſſimis ingenii monumentis celeberrimus, ac paſſim in hiſce Actis merito ſuo cum laude nobis nominatus. Neque quicquam magis neceſſarium eſſe putat, aut Regis pariter, cui opus ſuum inſcripſit, Epiſcoporumque cura dignum, quam ut pax Eccleſiaſtica, tam fœde tam temere luxata, tandem aliquando felicibus auſpiciis Angliæ reſtituatur. Narrat ſe, cum A. 1686 in Germania verſaretur, Theologo cuidam Lutherano affirmaſſe, ſe mirari, cur unio Eccleſiæ noſtræ cum Reformata, tot votis expetita, tot tentata modis, adhuc inter deſiderata eſſet, neque quicquam intermiſiſſe argumentorum, quibus æquitatem ejus rei maturandæ, ac præſenti potiſſimum rerum ſtatu neceſſitatem, illi perſuaderet: ſed ab eo tuliſſe reſponſum, quod ſibi longe magis mirum videatur, hæc adeo urgeri a Theologo Anglo, cum in ſummis Reipublicæ Anglicæ tempeſtatibus diſſidia Eccleſiaſtica in Anglia ita componi non potuerint,

Digitized by Google

erint, ut maxima potiùs animorum contentione etiamnum agitentur: jam Lutheranos inter ac Reformatos, non eſſe controverſias de rebus nihili, ſed de attributis Divinis, de providentia Dei, de peccato utrum ad Deum velut autorem referendum ſit, an ad homines, & utrum homini integrum ſit facultatibus ſuis recte uti, an potius totum hoc pendeat a gratia irreſiſtibili; e contrario in Anglia jam ultra ſeculi ſpatium tantis viribus funem contentionis graviſſimæ duci de forma hierarchiæ, de externis ritibus rebusque aliis minoris momenti atque indifferentibus: æquiſſimum igitur eſſe, ut Anglicana Eccleſia prius propriis medeatur vulneribus, deinde conetur etiam reliquarum Eccleſiarum Proteſtantium unioni ac concordiæ promovendæ proſpicere.

Articuli XXXIX, quos exponendos ſibi Illuſtris Burnetus propoſuit, probati fuerunt ab Archi-Epiſcopis & Epiſcopis Angliæ & Clero univerſo in Synodo Londini A. 1562. Anglice hinc & Latine editi ſunt A. 1571, autoritate Reginæ Eliſabethæ. Ac Latine quidem univerſi univerſo operi, Anglice ſinguli ſingulorum expoſitioni ab Autore præmittuntur. In Introductione ſtatim obſervat, primis Eccleſiæ temporibus confeſſionem fidei ſive declarationem formæ doctrinæ, a Chriſtianis ipſisque adeo Epiſcopis requiſitam, pauciſſimis capitibus conſtitiſſe, & generalibus verbis expreſſam fuiſſe: at ingruentibus interjecto tempore variis hæreſibus, & certaminibus in Eccleſia obortis, auctam Symbolorum & Confeſſionum amplitudinem, ſingula ſtrictius determinata, quo diſertius rejicerentur perverſa dogmata, & occultantibus ſeſe ſub generalium verborum involucro ſectariis anſa fallendi incautos præriperetur. Negat primitus ab Apoſtolis ſtatam Symboli formulam miſſam fuiſſe in literas, quod antiquiſſimi Eccleſiæ Doctores, qui Apologias pro Chriſtiana Religione ediderunt, cum ſummam credendorum exhibent, non una eademque utuntur, ſed verbis numero & ordine inter ſe variant. Singulis autem Eccleſiis fuiſſe ejusmodi formulas, ab Apoſtolo quodam vel Apoſtolico viro traditas, nec easdem per omnia nec eodem modo conceptas cum aliarum Eccleſiarum formulis. Sic v. g. per Romanam Eccleſiam pluresque finitimas in omnibus Symbolis fuiſſe Chriſtum paſſum ſub Pontio Pilato, quod non ſimiliter obſervare liceat in primis Eccleſiarum Orienta-

lium Symbolis. Epiſcopos recens creatos fidei ſuæ profeſſionem congruentem formulæ Eccleſiarum, quibus præeſſe deberent, ad alios Epiſcopos miſiſſe, atque ita in communionem illorum receptos fuiſſe. Additionem homouſii a Symbolo Nicæno factam imprimis neceſſariam fuiſſe affirmat, quo Ethnicis præcideretur anſa calumniæ, quaſi Chriſtiani quoque adorarent aliquem, qui non eſſet verus Deus.

Cæterum quod Eccleſia Anglicana tot Articulos, & in his tot negativos, ſive erroribus & abuſibus variis oppoſitos ſanciverit, duas præterea cauſas notat extitiſſe, alteram quidem, quod uti ſub initium ſtatim prædicati Evangelii, ita Reformationis quoque, frequentiſſimæ hæreſes ortæ fuerint, poſt controverſias nempe ſemel circa religionem motas, multorum, ut fit, ambitione & luxuriante ingenio, vel etiam inſcitia, illas tam frequentes procreante: alteram, quod ſub jugo Pontificio per tantum temporis ſpatium, & noviſſime ſub Regina Maria tam graviter afflicti ac gementes, merito poſtquam illud feliciter iterum excuſſerant, omnibus modis cavere ſibi voluerint, ne admiſſis in Clerum errorum Papiſticorum fautoribus, in illud poſtliminio vel inviti relaberentur. Equidem in rebus hiſtoricis vel naturalibus perdifficile fere eſſe fatetur, negantem propoſitionem audacter tueri; at in rebus fidei recte conſtitui articulos negativos, poſtquam in confeſſo ſit, univerſa creditu neceſſaria ſacris contineri literis. Laudat librum temporibus Henrici VIII editum, & Pontificiis erroribus oppoſitum, qui inſcribitur *the neceſſary erudition* ſive *Inſtitutio neceſſaria*, ſed negat, quemquam obligatum fuiſſe, ut iſti libro ſubſcriberet vel aſſentiretur. Articulos vero illos a *Cranmero* & *Ridleyo* primum, ut videtur, compoſitos, pro illa temporum, quibus animi plerorumque fermenteſcebant, irregularitate, non potuiſſe ante primam promulgationem examini Synodorum & Conventuum ſubjici, quia verendum fuerat, ne abuſus & errores, tam utiles Clero, a majore illius parte probarentur. Quanquam autem Regia autoritate articuli publicati ſint, neutiquam tamen Reges Angliæ ſibi arrogare autoritatem de rebus fidei judicium decretorium ferendi, aut controverſias Theologicas decidendi, neque Regia autoritate articulos ipſos fieri veriores: ſed ceu omnibus privatis fas eſt ex conſcientiæ

tiæ propriæ perſuaſione rebus Divinis habere fidem, ſic Principi quoque ſive legislatori idem licere, qui prætereа pondus & autoritatem legalem in ditionibus ſuis addere poſſit dogmatibus, quæ vera eſſe perſuaſus fuerit. Neque aliud quicquam facere Reges Angliæ, quam quod olim Theodoſius, cujus Imperatoris laudatiſſimi edictum pro Religione occurrat in limine Codicis Juſtinianei. Porro *reſpectu Laicorum*, Illuſtris Autor ex *Laudi* & *Bramballi* ſententia docet, articulos hoſce eſſe debere Symbolum communionis Eccleſiaſticæ, neque credendos obtrudi ſub anathemate, quemadmodum fiat in Canonibus Concilii Tridentini: ſed ſatis eſſe, ſi quis in illis nullum errorem deprehendat tanti momenti, ut propterea communionem Eccleſiaſticam diſſolvere neceſſe ipſi ſit; quamvis non de omnibus articulis ita plene ſit perſuaſus, ut ſingulis per omnia aſſentiatur. Diſtinguendum eſſe monet inter *articulos fidei* & *articulos doctrinæ*: atque hos vocat univerſa illa, quæ ex ſacris Literis probari poſſe creduntur; illos vero pauca admodum, ſine quorum fide nemini locus eſt in fœdere gratiæ, & quæ non modo in ſacris Literis diſerte tradita ſunt, ſed de quorum neceſſitate ad ſalutem etiam ex Scriptura evidenter conſtat. Non ſtatim diſſolvendam eſſe communionem Eccleſiaſticam ab iis, qui articulos doctrinæ admittunt, quorum nos veritatem minime agnoſcimus: at diſſolvi poſſe, ſi alii articulos doctrinæ, de quorum falſitate perſuaſi ſumus, nobis obtrudant tanquam neceſſarios articulos fidei. Ita ab Apoſtolis toleratos eſſe Judaizantes Chriſtianos quantovis in errore verſantes, ſed contendentibus ad ſalutem neceſſariam eſſe obſervationem ceremoniarum legalium, Apoſtolos ſeſe oppoſuiſſe, & Chriſti meritum irritum ab illis reddi demonſtraſſe. *Reſpectu Clericorum* oſtendit, articulos hoſce eſſe debere Symbolum conſenſus in doctrina, ut omnes & ſinguli lubentes & animo iis ſubſcribant, atque ita teſtentur, vera ſibi & ſacris Literis congruentia videri, quæ in articulis continentur, omnia ac ſingula. Neque integrum eſſe, verba articulorum contra ſenſum nativum ac Grammaticum detorquere in alienam ſententiam; ceu ſingulari Regis Jacobi I conſtitutione cautum ſit, occaſione ortarum Synodi Dordracenæ tempore in Anglia controverſiarum, & diſſidentium Doctorum utrinque ad articulorum conſenſum provocantium. Si

vero Grammaticus etiam & nativus articulorum ſenſus diverſas expoſitiones patiatur, harum quamlibet amplecti licere, ſalva ſubſcriptionis fide & autoritate articulorum. V. g. in articulo tertio, qui Chriſtum ad inferos deſcendiſſe affirmat, fas eſſe per inferos intelligere vel caliginoſum illum Spirituum damnatorum carcerem, quo ſenſu primos autores, qui articulos ſub Rege Eduardo compoſuerunt, vocem illam accepiſſe fatetur: aut vero ſepulchrum, cum Symbola quædam vetera, quæ deſcenſum Chriſti ad inferos memorant, non meminerint ejus ſepulturæ, ac viciſſim: aut denique ſtatum animarum, quæ e corpore emigrarunt, quo collineet doctiſſimus Pearſonius in commentario ad Symbolum Apoſtolicum, & pluribus proſequitur Illuſtris Autor infra, ubi ad expoſitionem articuli tertii devenit. Quo in loco verba Petri 1. Epiſt. III, 19. interpretatur de prædicatione Evangelii per Spiritum Chriſti, ſive homines a Spiritu Chriſti agitatos, facta inter gentes, quas vocari ait *ſpiritus in carcere*, h. e. vinculis errorum & idololatriæ graviſſimis arctiſſime conſtrictos & compreſſos. Antequam vero ad expoſitionem ipſam articulorum deſcendit, ſubjungit denique omiſſiones, additiones, mutationes & varias lectiones, quas in illis collato MSto originario, quod extat in Collegio Corporis Chriſti Cantabrigiæ, & antiquiſſimis editionibus diligenter comparatis obſervavit. Ex quibus ut unicum ſpecimen addamus, articulus tertius his verbis hodie abſolvitur: *Quemadmodum Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & ſepultus, ita eſt etiam credendus ad inferos deſcendiſſe.* Aſt in MSto Cantabrigienſi hæc inſuper adduntur, (minio quidem ſubducto, ſed a recentiore longe manu) *corpus enim ipſius, donec reſurgeret, in ſepulchro extitit, verum anima a corpore ſeparata interfuit Spiritibus in carcere h. e. in inferno detentis, iisque prædicavit.*

In Articulo primo hæc ſex capita tradi obſervat, 1) eſſe *Deum*, 2) eumque unum, 3) corpore, partibus & affectibus deſtitutum, viciſſim 4) infinita gaudentem potentia, ſapientia ac bonitate, 5) creaſſe primum, & jam conſervare univerſa, viſibilia & inviſibilia, corpora & ſpiritus, & 6) eſſe Trinum. Singulas deinde veritates iſtas ſelectis argumentis docte & ingenioſe confirmat. Trinitatem vero negat ullo modo ex ratione, nec niſi obſcure ex veteri Teſtamento colli-

Digitized by Google

colligi poſſe; claris autem & certis argumentis de ea conſtare ex novo Fœdere, quorum præcipua in medium adducit, etſi loco 1. Joh. V, 7. utpote nimis multis dubiis atque objectionibus obnoxio, rem tanti momenti non audet ſuperſtruere, cum non deſint alia haud inficianda, ex quibus idem plane ac certo evinci poſſit. At argumentum a conſenſu Eccleſiarum minime prætereundum eſſe putat, quæ univerſæ per totum orbem dogma de Trinitate communiter amplexæ ſint, antequam illud potuiſſet autoritate ſeculari Principum propagari ac ſtabiliri. Neque Concilium Nicænum quicquam aliud quam ſolam homouſii vocem addidiſſe, quæ per ſe conſequatur & ſubintelligenda ſit, ſi reliqua Symboli verba ſint exploratæ veritatis. Animadvertendum autem imprimis, quod primorum Chriſtianorum, adverſus Gentes eorumque πολυθεότητα tam ſtrenue pugnantium, vel maxime interfuiſſet, doctrinam de Trinitate ſupprimere ac rejicere, niſi certiſſime perſuaſi fuiſſent, hanc eſſe neceſſarium ac fundamentale caput fidei Chriſtianæ.

Simili accuratione reliquos articulos univerſos XXXVIII Maxime Reverendus Autor reſolvit, ſenſum eorundem interpretatur ac confirmat, vindicatque a præcipuis objectionibus. Inprimis multa erudite obſervat adverſus Pontificios, utpote quorum erroribus plurimos ex Articulis oppoſitos eſſe conſtat. Cum autem pro inſtituto noſtro nimis longum videatur ſingula perſequi, & liber ipſe integer digniſſimus lectu ſit, præterea controverſiæ Pontificiæ a pluribus fuſe nec infeliciter pertractatæ verſentur in omnium manibus, juvat in præſenti duntaxat breviter alia quædam pauca ſelecta hinc inde delibare.

Ad articulum quintum, qui agit de Spiritu S. non modo explodit ſubtilitates Scholaſticorum, temere explicare volentium, quomodo *proceſſio* differat a *generatione*, ſed & diſcrimen ſententiarum Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis de proceſſione Spiritus S. a Filio negat tanti momenti eſſe, ut tam infelix certamen & tantum ſchiſma inde enaſci debuerit: verum id omne profectum fuiſſe ex ambitione & invidia, quæ efferatos ſeculo IX Clericorum per controverſias de juriſdictione animos moverit, ut utrinque quærerent anſam criminationum, quam Græci optatiſſimam invenerint in additione verbi *Filioque* ad Symbolum CPolitanum, in Ephe-

Digitized by Google

pheſino probatum, per Latinos ſub extremum ſeculi VI facta; Latinis viciſſim hanc additionem ſuam acriter & mordicus contra Græcos tuentibus. Subjungit, Eccleſiam Anglicanam utique ſequi hac in parte Latinorum judicium, ac credere, quod Spiritus S. a Patre & Filio procedat, cum non tantum Pater, ſed & Filius Spiritum S. mittere dicatur Joh. XV, 26, etſi ſtatim addat Chriſtus, non, *qui procedit a Patre & me*, ſed *qui procedit a Patre*: vehementer tamen abhorrere a crudeli condemnatione, qua Eccleſiam Orientalem Latini proſecuti fuerint, longeque abeſſe ab ea ſententia, quæ putet argumentum illud a Latinis productum tam certum & explicitum eſſe, ut juſtum eſſe probet ſeparari ab ea Eccleſia illamve condemnare, quæ rejecta iſta Latinorum additione *primis* Symbolis adhæret.

Ad Articulum VIII, quo tria Symbola, Nicænum, Athanaſianum, & quod vulgo Apoſtolicum audit, credenda recipiuntur, notat verba in Symbolo Athanaſiano: *Quicunque vult ſalvus eſſe* &c. &: *qui hæc non crediderit, in æternum peribit*, non reſpicere ſingulas hujus Symboli periodos ac ſententias, ſed Chriſtianam Religionem generatim ſpectatam, quia ſtatim ſub initium mentio diſerta fiat Catholicæ fidei: deinde verbis illis non peti homines, qui de illis fidei articulis nunquam inaudiverunt, ſed qui patefactas ſibi de Chriſto veritates improbe rejiciunt atque exſibilant. Similiter ad Articulum XVIII, quo anathematizantur, quotquot dicere audent, *unumquemque per legem aut ſectam, quam profitetur, eſſe ſervandum, cum ſacræ literæ tantum Jeſu nomen prædicent*, diſtinguit inter ſalvari per legem aut ſectam, & ſervari in lege aut ſecta aliqua. Prius tantum rejici, non poſterius; eſſe enim in Anglico; *be ſaved by the Law or Sect*, non *in the Law*. Videtur nempe Illuſtris viri memoriam, cum hæc ſcriberet, fugiſſe, quod in Latino exemplo articulorum, quod huic operi præfigi diximus, diſerte legatur: *unumquemque in lege aut ſecta quam profitetur* &c. Arbitratur itaque, ſalva articuli hujus autoritate credi poſſe, quod Dei miſericordia ſalvatrix extendat ſe etiam ad homines in alia quam Chriſtiana Religione viventes, etſi non per illam ſalventur, ſed per Chriſtum, cujus meritum ipſis etiam neſciis proſit, perinde atque infantibus recens natis.

Præ

Digitized by Google

Præ cæteris digna conſideratione ſunt, quæ attulit ad exponendum Articulum decimum ſeptimum, qui agit de Prædeſtinatione & Electione: nihil enim videtur omiſiſſe eorum, quæ ad illuſtrandam hanc controverſiam faciunt, qua nulla jampridem eſt inter Proteſtantes celebrior. Accurate etiam inquiſivit & annotavit, quæ ex utraque parte diſſidentium in hac cauſa ſibi invicem conceduntur, quibus imprimis accenſet hæc duo axiomata, *bonum non arrogandum nobis*, *nec malum imputandum Deo.* Quamvis autem verba articuli hujus XVII non diffitetur favere ſententiæ Calvini, cui nec ipſe accedit, putat tamen illi recte ſubſcribere poſſe etiam Remonſtrantes, modo non negent, Deum præſcire ſingula, quæ inter homines geruntur. In expoſitione Articuli XXVIII, qui agit de Sacra Cœna, non minus Lutheranam ſententiam quam Pontificiorum transſubſtantiationem diſerte rejicit & impugnat, contenditque, de qualibet re æque vere dici poſſe, quod ſit Chriſti ſanguis & corpus, quam a noſtris affirmetur vel corpus Chriſti eſſe ubique, vel ejus corpus ſanguinemque præſentia eſſe in elementis ſacramenti. Facile tamen ferri poſſe noſtram opinionem, quod in mera ſpeculatione ſubſiſtat, neque, ut apud Pontificios, erumpat in idololatriam elementorum. Impiis porro corpus & ſanguinem Chriſti in S. Cœna exhiberi, cum aliis Reformatis non minus perſpicue inficiatur ad Articulum XXIX, adductis teſtimoniis Origenis, Zenonis Veronenſis, Hieronymi, Auguſtini, quibus idem ſenſiſſe videntur; unde Maxime Reverendus Autor etiam colligit, ipſos præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna ſimiliter negaſſe, cum unum ex altero conſequatur.

Ad Articulum XXXV, quo probantur & legendi in Eccleſia commendantur duo tomi brevium Homiliarum, quæ initio Reformationis, cum juſtus numerus Concionatorum recte ſentientium adhuc deeſſet, in uſum publicum ſub Eduardo VI & Eliſabetha Regina vulgatæ ſunt, animadvertit, non omnia & ſingula, quæ in illis Homiliis continentur, univerſas expoſitiones Scripturæ, item omnes loquendi formulas, aut omnia argumenta ad confirmandum dogma aliquod allata probari, ſed tantum in genere dogmata ipſa, quæ tomis illis continentur, atque ex ſacris literis deducuntur. Reliqua quæ de jure Magiſtratus Civilis circa ſacra, de capitalibus

ſuppliciis, de bello, de proprietate bonorum, & de jurejurando ad tres poſtremos Articulos Illuſtris Burnetus docte ac prudenter obſervavit, non minus quam innumera alia notatu digniſſima per totum commentarium ſparſa, ne inſtituti noſtri modum excedamus, de induſtria prætervehimur, ad opus ipſum præſtantiſſimum evolvendum, Lectorem ablegantes.

THE REVERENT AND LEARNED DR. HAMMOND AND his Paraphraſe and Annotations on the New Teſtament Vindicated &c.

HENR. HAMMONDI PARAPHRASIS ET ANNOTATIONES IN N. T. vindicata ab obſervationibus JOHANNIS CLERICI in Supplemento ad Hammondi Paraphraſin: una cum brevibus animadverſionibus in Epiſtolam ejusdem Clerici Supplemento præfixam.

Londini apud Lucam Meredith, 1699. 8. plag. 6.

NOn mediocrem ab eruditis gratiam iniit doctiſſimus Clericus edita ante biennium Latina translatione Hammondi in Novum Teſtamentum, cui paſſim locis ſuis Supplementa quædam adſperſit, in quibus varia Novi Fœderis & ipſe illuſtrat novis obſervationibus, & Hammondum ſubinde emendat errorisque arguit ac refellit, ceu diximus in Actis A. 1699 pag. 6. Duplici autem nomine Anglis quibusdam inviſa eſſe cœperunt hæc Viri Clariſſimi Supplementa, ex quo illa anno ſuperiore de Latino idiomate in Anglicum translata, & ſeorſim Londini recuſa ſunt forma octava, una cum expoſitione priorum duodeviginti verſuum capitis primi Johannis itidem Anglice verſa, & præmiſſa Epiſtola Clerici Apologetica occaſione Supplementorum Hammondianorum eorundemque Anglicæ translationis ſcripta ad Amicum. Primum quidem indigna illis res viſa fuit, Hammondum virum maximum & cujus ingens merito eſt apud ſuos autoritas, libere ab homine extero carpi ac reprehendi, & illas caſtigationes cenſurasque non modo Hammondiano operi Latine translato interſperſas una cum illo Latine legi ab exteris, ſed & Anglis ipſis vernaculo & eodem, quo Hammondus ſcri-

ſcripſit, idiomate ſeorſim legendas proponi ac commendari. Dein-
de non ferendum eſſe duxerunt, præſenti tempore, quo Sociniа-
nos & Arianos magno numero jam a pluribus annis in Anglia
efferre ſe conſtat, Anglice vulgari illas Clerici obſervationes, qui-
bus multa N. T. loca, contra Unitarios recte ab aliis laudata, vel,
ut ajunt illi, enervantur, vel plane in Socinianum aut Arianum ſen-
ſum explicantur ac detorquentur.

Bina iſthæc capita fuſius perſequitur Autor hujus libelli, & ſu-
per iis acrem dicam adverſario ſuo ſcribere non dubitat. Non p. 2-6.
procul initio integras ſtatim quatuor paginas replet collectis ex Cle-
rici ſupplemento locis, quibus Vir Clariſſimus de Hammondo e-
juſque expoſitionibus paulo liberius ſententiam ſuam expoſuerat.
Quæ omnia abunde confutata eſſe opinatur, dum oſtenderit, Ham- p. 7. ſq.
mondum fuiſſe virum doctum & pium, ejuſque opus in Novum
Teſtamentum omnium eruditorum judicio eſſe longe præſtantiſſi-
mum, & Clerico ipſi dignum viſum, quod in Latinam linguam
converteret. Mox conatur probare, levis momenti aut etiam fal-
ſa eſſe, quæ vel addiderit ipſe, vel in Hammondo reprehenderit: p. 13. ſq.
nullamque occaſionem prætermittit, qua dictis & interpretationi-
bus Clerici invidiam conflet. Inter alia graviter in eum invehitur, p. 69.
quod ſuſpicatus ſit, tentationem Chriſti Matth. IV. non revera, ſed p. 22. ſq.
in viſione vel ſomnio accidiſſe: quod locum Matth. XI. 28. reſtrin- p. 25. ſq.
xerit ad Judæos: quod ad Matth. XVIII. 35. neget ſingulas *ἀνʹα-* p. 35. ſq.
ποδόσεως circumſtantias in juſtitia divina animadverti debere: quod
denique *baptizari in nomine Patris*, *Filii & Spiritus S.* ad Matth.
XXVIII expoſuerit, *ita baptizari, ut deinceps diſcipulos ſe Patris,* p. 38.
Filii & Spiritus Sancti profiteantur & de illorum nomine vocentur.
Quam poſtremam Clerici ſententiam noviſſime etiam impugnavit
Vir Clariſſimus Campegius Vitringa, in nupera Obſervationum Sa-
crarum editione quatuor libros complexa, p. 800. ſeqq. In expoſi-
tione primorum duodeviginti verſuum capitis primi Johannis, quæ
præter hanc Anglicam editionem ſeorſim Latine in forma octava,
& ante commentarium Clerici in quatuor poſtremos Moſis libros
prodiit, in Actis hiſce A. 1695 p. 342. ſeqq. recenſita, adverſarios-
que nacta eſt Eliam Benedictum, Johannem Van der Wayen & a-
lios; Vindiciarum autor contendit, Clericum alia quidem ratione p. 42.

ac Socinus, ad eandem tamen hæreſin confirmandam verba Evan-
p. 43. 45. 61. 63. ſq. 66. geliſtæ explicaſſe, ac præterea loca Joh. XVII. 3. XX. 28. Eph. IV. 30. Philip. II. 6. Coloſſ. I. 15. Hebr. I. 3. ita interpretatum eſſe, ut Unitariis faveant; in eorundemque gratiam elaboraſſe, ut locum 1. Joh. V. 7. hypobolimæum eſſe oſtenderet. Remiſſionem pecca-
p. 69. ſq. torum & adoptionem Matth. XVIII. 35. & Rom. VIII. 23. peſſime
p. 37. 46. ab eo rejici ad judicium extremum, nec rectius ab eo ad Rom. XIII. 9. negari, quod ex præcepto Decalogi, quo patrem & matrem ho-
p. 48. ſeqq. norare jubemur, deduci non poſſit cultus, qui debetur Magiſtratibus.
p. 54. Averſatur etiam, quod ad. 1. Cor. III. 9. ſcripſerit Clericus: *an minus eſſemus Chriſtiani, ſi periiſſent aliquot Epiſtolæ Apoſtolorum ex iis quas habemus*? & quod in 1. Cor. X. 3. impugnare non vereatur ſigni-
p. 55. ſq. ficationes Myſticas rerum N. T. ſub Veteri Fœdere factas & adumbratas.

Sequuntur animadverſiones ad Epiſtolam Apologeticam, quam Clericus Anglicæ Supplementi ſui Hammondiani editioni præfigendam ratus eſt, tum ut præverteret ſiniſtra quorundam judicia, quæ ſuam in Hammondo præſtitam operam, librumque iſtum in Anglia Anglico idiomate recudendum exceptura, non vane conjiciebat, tum ut Artem ſuam Criticam tueretur adverſus autorem ſchediasmatis Anglice vulgati ſub titulo: *a free but modeſt cenſure of ſome late controverſal books*, i. e. *libera at modeſta cenſura nuperorum quorundam librorum controverſorum.* Eadem Clerici Apologetica Latine ſubjecta eſt Epiſtolis ipſius Criticis hoc ipſo anno editis, & alibi a nobis recenſendis. Autor vero Animadverſionum, de quibus in præſenti agimus, affirmat, illum in iſthac Apologia potius errores ſibi objectos auxiſſe, quam emendaſſe aut a ſe removiſſe.
p. 74. ſq. Nam & in hac negare ipſum, Chriſti mortem eſſe proprie dictum ſacrificium, etſi efficaciam ſacrificii illi concedat: ut alia hujus generis objecta prætermittamus, quibus perſpicuum eſſe ait, Cleri-
p. 79. cum in Arte Critica Socinianismo propagando inſudaſſe, etſi ipſe libenter agnoſcit, Virum Clariſſimum diſerte hoc negare, & quod nihil tale ſibi Artem Criticam ſcribenti in mentem venerit, conceptis verbis proteſtari.

Das

Digitized by Google

Das ſchwer zu bekehrende Juden-Hertz/
hoc eſt:

COR JUDÆORUM DIFFICULTER ADMODUM CONVERtendum. Autore M. SIGISMUNDO HOSMANNO, Conſiſtorii Aſſeſſore & Concionatore Cellenſi.

Cellis apud Hieron. Frid. Hoffmannum, 1699. in 4. Alph. 2.

QUamvis irritus plerumque videatur conatus, quem in Judæorum converſionem impendunt Chriſtiani Doctores, nequaquam tamen eum utilitate omni deſtitutum eſſe, probant tot virorum eruditorum monumenta hinc enata, in quibus malitiam & fraudes Judæorum iſta occaſione clarius patefacta in orbis Chriſtiani notitiam protraxerunt, quidque Judæorum converſionem aut remorari aut promovere viciſſim valeat, dextre ſolideque expoſuerunt. Elapſum abhinc eſt quadriennium, (lubet enim ad recentiſſima modo tempora reſpicere,) ex quo Martinus Diefenbachius *Judæum convertendum*, ſive varia Theologorum celeberrimorum doctorumque Virorum aliorum judicia & conſilia, quo pacto Judæi alicujus converſio omnium optime inſtitui queat, edidit, poſteaquam duobus Judæis ob facinora ſua Francofurti ad Mœnum ultimo ſupplicio afficiendis adeſſe, eorundemque ad fidem Chriſti converſionem tentare juſſus fuerat. (Vid. Acta noſtra A. 1697. p. 162. ſeqq.) Negotium vero prorſus ſimile præſentem peperit Tractatum. Notum namque vulgo eſt, quod inter ſceleratiſſimos iſtos fures, qui ſub duce velut ſuo, Nicolao Liſtio, per univerſam Germaniam longe lateque fraudes ſuas annis aliquot ſuperioribus exercuerunt, non pauci quoque Judæorum nomen ſuum profeſſi fuerint. Quandoquidem vero juſtiſſimo Sereniſſimi Principis Brunsvico-Cellenſis zelo, colluvies hæc nebulonum peſſimorum maximam partem haud ita pridem e vivis ſublata fuit, dignam quoque Judæi quidam mercedem nacti ſunt. Hos inter unus, Samuel Löbel, converſionem equidem ſimulaverat, ſed fraudulenter atque ſubdole, confiſus, iſto pacto fore, ut pœnæ aut condonationem aut mitigationem impetraret, qua ſpe fruſtratus, deteſtandam ſuam hypocriſin manifeſte prodidit. Alter vero, Jonas Meier, ut pertinaci ſemper ſtudio in a-

vita perſeveravit ſuperſtitione: ita in ſupplicii locum delatus, feralique ligno jamjam proximus, execrandas adverſus Jeſum noſtrum in ſecula benedictum blaſphemias evomuit, digniſſimo poſt mortem etiam opprobrio affectus. Quemadmodum proinde non captivis modo his, ſed ad ſupplicium quoque adductis, adfuit ex officii ratione Per-Reverendus Hosmannus: ita commiſſum ſibi gregem in peculiari concione excitandum tunc ad contemplandam Judæorum malitiam, deque mediis adverſus eam adhibendis informandum exiſtimavit. Ne tamen laboris iſtius fructus intra exiguos Eccleſiæ unius cancellos ſubſiſteret, ulterius deducendam ſibi concionem, inque juſti alicujus tractatus formam redigendam ſumſit, ac adeo univerſam agendi rationem penes modernos Judæos uſitatam latius ante omnia deſcripſit. Et auſpicatur quidem ab eorum aſtutia, qua Magnatum aulis ſeſe ingerant, ſuperbiſſimi quippe & nationem ſuam ſuper omnes populos proterve extollentes. Inde ad eorum odia, quæ contra Jeſum noſtrum Nazarenum alant, progreditur, tituloſque, quibus eum proſcindant, ignominioſos, ac impias, quas de eo comminiſcantur, traditiones, convitia porro, quibus Chriſtianos onerent, complura recenſet. Nec tumultus omittit ac ſeditiones, quas per ſingula a nato Chriſto ſecula ciere adverſus eosdem annisi ſunt; ubi ſimul latrocinia ab ipſis ut in alios quoscunque, ſic in parvulos imprimis infantes frequentius exercita commemorat. Ulterius eorum perfidiam deteſtatur, & quantam in juramentis adhibere ſueverint vafritiem, exponit, quin & eorum fœnerandi libidinem, doloſque ac fraudes, & paſſim alias & in amplectenda potiſſimum fide Chriſtiana admiſſas, ex antiquioribus æque ac recentioribus ſcriptoribus allegat. Id dum agit, ſilentio haud prætereundum judicat, famoſiſſimos Atheos ac Naturaliſtas, qui ſcriptis quoque publicis non leve rei Chriſtianæ damnum intulerint, e Judaica gente ortum ſuum traxiſſe, quod vel Benedicti Spinozæ & Johannis Bodini exemplo ſatis conſtet. Quod vero attinet ad media, quibus promoveri Judæorum queat converſio, impedimenta primum, quæ huic ponant obicem, enumerat, Judæorum nempe incredulitatem, falſam de lege Moſis ejusque ac integri cultus Levitici perennitate perſuaſionem, legis ipſius depravationem & in ſenſum carnalem detorſionem, vanam de gente ſua jactan-

jactantiam, perverſiſſima de perſona & officio Meſſiæ ac de Jeſu Nazareno præjudicia, ſcandalum denique, quod ex prava Chriſtianorum vita & ex eorum in doctrina diſſenſione accipiant. Deinceps inter adminicula, quæ ſublevare poſſint hoc negotium, primo loco ponit efficacem Spiritus Chriſti operationem, cui tamen mox Judæorum ex aulis Principum ejectionem aſſociat, utque Magiſtratus Chriſtianus quilibet in id intendat, quo Judæi præſentem ſuam calamitatem ſerio perſentiſcant, requirit. Eum in finem Synagogas eorum occludi cultumque publicum inhiberi, e contra ad audiendas doctorum Chriſtianorum conciones eos adigi, Rabbinos eorum ab ipſis ſemoveri, typographea iisdem negari, narrationes Chriſtianæ Religioni contrarias inque Salvatorem noſtrum injurias, conſuetamque Chriſtianorum ſub nomine Gojim deſignationem, actusque ſingulos nationi Chriſtianæ opprobrium afferentes interdici poſtulat. Ex ipſis vero Chriſti aſſeclis quemlibet a nimia cum Judæis familiaritate dehortatur, & pœnas tandem delinquentibus ex eorum gente graviſſimas infligendas Magiſtratui commendat. Præcipua autem hactenus dictorum adjectis in appendice peculiari obſervationibus ſat prolixis uberius deducit, & inter alia longam de Judæorum Pſeudo-Meſſiis diſſertationem annectit, in qua imprimis decantati illius impoſtoris, Sabathai Sevi, hiſtoriam latius recenſet.

GEORGII WOLFGANGI WEDELII EXERCITATIONES Semiotico-Pathologicæ.

Jenæ, apud Joh. Bielckium, 1700. in 4. Alph. 1. pl. 6. ½.

Signorum ſpecialium Doctrinam jamdiu magnopere fuiſſe deſideratam ab Artis tyronibus, prout non latuit Illuſtrem Autorem, ita poſt editionem Exercitationum Pathologico-Therapeuticarum, quæ anno 1697 in lucem prodiere, de edenda Signorum Doctrina cum Pathologia combinata maximopere fuit ſolicitus. Tandem igitur, poſt Praxin triginta annorum feliciſſime a ſe adminiſtratam, præſentem de Signis tractatum publici juris fecit, inſigni cum omnium Praxin Medicam exercentium emolumento, Tot enim revera obſervationes, quot effata ſignorum, prout Au-

Autor ipſe in Præfatione ad Lectorem fatetur, in hoc tractatu inveniuntur, non ex aliis autoribus deſumpta, nec fando ſaltem accepta, ſed multiplici atque infinita fere experientia ab Autore ipſo accuratiſſime obſervata. Jure igitur meritoque Exercitationum titulum obtinet tractatus præſens, quippe qui a tanto Medico per tam amplum temporis ſpatium ſtrenue Praxin exercente, enatus eſt. Ut autem de aureo hoc libello conſtet plenius, ſelectiora quædam, & notatu maxime digna viſa, Semioticam & Pathologiam ſpectantia, ex eodem recenſebimus; de ordine interim hujus tractatus generali minus ſoliciti, quippe qui nil peculiare habet. Affectus enim particulariter ſaltem recenſentur a capite hominis ad calcem usque, modo dudum Arabibus, hinc & Europæis aliis Medicis, ut Autor loquitur, comprobato. Quoad *ſpecialiſſimam* vero ſingulorum capitum pertractationem annotandum, ita fere procedere Illuſtrem noſtrum Autorem, ut 1. alleget ſigna cujusvis morbi ſpecialia & propria, 2. differentiam & ſpecies ejusdem potiores, 3. morbos, quibus ut ſymptoma ſupervenit, itemque ſymtomata, quæ eundem, ut morbum primarium ſtipare ſolent, 4. phænomena e cadaveribus deſumpta, 5. juvantia & nocentia, & 6. demum ex his omnibus cujusvis morbi formet Pathologiam. Hanc methodum per omnia nominati tractatus capita conſtanter ſervat; qua occaſione & plura occurrunt Mechanicam, Anatomiam & Chemiam ſpectantia, quibus egregie illuſtrat abſtruſa Pathologiæ præcepta; occaſione autem juvantium & nocentium, ſimul & remediorum mentio fit, ut vel ſic quoque perfecta ad Praxin Medicam manuductio inde ſcaturiat, & legentibus, velut aliud agendo, inſinuetur.

Sed ad rem. Pertinet ad rarioris generis obſervationes illa, quam Cap. III de doloribus capitis legimus, ubi in cranio cujusdam, qui vivus cephalæa exquiſitiſſima laboravit, nullam plane ſuturam repertam fuiſſe teſtatur, quod ipſum de doloris cauſa cogitandi præbuiſſe occaſionem aſſerit. Capite VIII perquam appoſite explicat Autor, unde metus & averſio omnium liquidorum in rabie canina accidat illis, qui hydrophobia laborare a ſymptomate hoc dicuntur: profundius ſcilicet inflammatas eſſe fibras muſculoſas & nerveas faucium, ut nec conſtringi, nec deprimi

mi ſatis poſſint; hinc vel ſtrangulari ægros, vel potum ad nares, ſi propinetur, neceſſario regurgitare. Urgere enim vel maxime miſeros ſitim, manifeſtiſſimum eſſe præſupponit, ſed ſi bibere tentent, cum metu ſuffocationis id fieri & per nares reſilitione, ex dictis jam cauſis, unde a viſu & ſono etiam liquoris inhorreſcant, non quod non velint, ſed quod non poſſint bibere. Rariſſimum affectum, & Apuliæ incolis alias quaſi proprium, Choream S. Viti, etiam a ſe ipſo in Germania noſtra fuiſſe viſum & obſervatum in puella quadam, annotavit cap. IX. Leviorem enim & velut prurientem ſpaſmum, ab ictu tarantularum alias illatum, non minus etiam poſſe a peculiari ſanguinis craſi oriri non improbabile eſſe docet. Circa epilepſiam ſingulare quid obſervavit cap. XIII in infante tenello, qui per nares excuſſit, durante paroxyſmo, quaſi preſſione diſploſiva, cerebri particulam. Cap. XVIII, ubi de viſus vitiis, fotus calidi circa oculos uſu frequentiori abſtinere nos jubet, exemplum allegans juvenis cujusdam, qui a fotu calido repetito cataractam perfectam unius oculi paſſus fuerit. De polypo porro & crudis pulmonum tuberculis, affectibus poſt mortem magis in conſpectum venientibus, ſigna allegat cap. XXV, quibus adjuti in vivis etiam ſubjectis de iisdem præſentibus judicare valemus: alterationem nimirum in pulſu, qui conſtanter intercurrens, parvus itidem, debilis atque inæqualis ſit, indicio, impedimentum aliquod intercedere, ne juſta ſyſtoles & diaſtoles fiat reciprocatio. Oppido vero rarum eſt, quod de Empyica quadam cap. XXVII refert exemplum, eandem ſcilicet, malo adhuc latente & chronico, per ſex menſes circiter, noctu ſemper ſalivationem ſuſtinuiſſe cum lipothymia & dentium vacillatione. Nec prætereunda illa eſt obſervatio, quam de vomitu cruento cap. XXXVI habet, viſum ſcilicet quoque fuiſſe ſanguinem vomitu excretum ſolum dextro lateri incumbentibus ægris, in quibus poſt mortem cruoris via manifeſta patuerit per anatomen, vaſo brevi, uno vel altero ramo e liene ſimul majori in ventriculum hiante, ad calami etiam ſcriptorii magnitudinem. De crepatura viſcerum in ileo, rariſſimo caſu, Autor noſter oculatus teſtis eſt cap. XLIII, ubi habet ſequentia: Finitur ad mortem ileum, (quod in quibusdam vidimus) ſi ipſius viventis adhuc, & non adeo male habere viſi ægri,

Digitized by Google

manifeſto ſenſu, facta diſploſione ſonora, crepare inteſtinum obſervetur. Iſchuriam deſperatam judicandam eſſe, præter torporem, palpitationem cordis & anxietatem, inflammationem faucium, peculiariter ex ſudore in facie inſtar ſalis concreſcente, cap. LV docet. De procidentia uteri vero, affectu a quibusdam in totum négato, poſtquam manifeſtas rationes & exempla dedit, cap. LXIII eandem etiam in virginibus, & nondum virum paſſis ſe obſervaſſe, tribus diſtinctis exemplis probat. Cap. LXX notabile exemplum cancri mammarum allegat, ubi ſcilicet a dextra mamma affecta, totum latus dextrum capitis & brachii tumidum & infinitis glandulis conſpicuum ſe obſervaſſe teſtatur.

JO. CHRISTOPHORI STURMII, PHIL. NAT. ET MATHEM. P. P. Matheſis Juvenilis. Tomus prior &c.

Norimbergæ, apud Jo. Hoffmanni Viduam & Engelbertum Strechium, in 8. Alph. 2. plag. 12. Figurarum plag. 6.

QUi de Matheſi naturalique ſcientia per complures annos, cum doctrina publice privatimque in Academia Altorfina indefeſſo ſtudio inſtituta, tum egregiis ingenii ſui monumentis orbi erudito publicatis (quorum ſubinde in *Actis noſtris* recenſus eſt) præclariſſime meruit Celeberrimus *Sturmius*, præſenti ſcripto diſciplinis Mathematicis, in academiis non ſolum, ſed & in ſcholis & gymnaſiis, apud ſtudioſam juventutem provehendis, velificari conſtituit.

Cum enim juxta cum aliis, ſcientias has publice profeſſis, plus ſatis perſpectum haberet, quantam vaſtitatem culturæ mathematicæ academiis, mox ipſis etiam rebuspublicis, induceret neglectus matheſeos in ſcholis trivialibus; nihil conſultius in hoc negotio ratus eſt, vehementiusque optavit, quam ut, qui Græcorum ſcholis olim ſolennis mos fuit, hodie revocaretur, teneræque ætatis inſtitutionem mathematica etiam argumenta auſpicarentur, eaque inter primordia eſſent præceptorum, quæ in infimis ſcholis tradi conſueverunt. Quod votum, hinc inde apud alios expoſitum, poſtquam Sereniſſimo Würtembergiæ Duci Carolo Friderico, qui ſub illud tempus Illuſtre Gymnaſium Stutgardiæ condiderat, innotuiſſet, occaſioni fuit, ut ſuam ſuper hac re ſententiam laudato Principi *Autor* noſter fuſiori declaratione exponeret. Hæc cogitata

tata ſua generalius concepta, præſentique ſcripto in limine præmiſſa, gemino deinceps ſpecimine, pro infimis duabus ſcholarum claſſibus ſpecialius elaborato, porro illuſtravit & auxit, ut conſilii ſui ratio exinde magis eluceſceret.

Prodit interim huic fini ſcripta *Matheſis Juvenilis*, facilis, plana ac demonſtrationibus diſcentium captui accommodatis illuſtrata: quam quidem *Autor* unico tomo integram exhibere conſtituit; mutato vero conſilio ut in duos partiretur, adductus fuit: quorum *prior* nunc prodiens, Arithmeticam vulgarem cum Algebra, Geometriam inſuper cum Trigonometria, Architecturam militarem & civilem denique cum Mechanica ſiſtit; *poſteriori* Opticam, Aſtronomiam cum uſu globorum, Chronologiam, Eclipſiographiam, Horographiam &c. complexuro.

Ipſam doctrinam viſum eſt *Autori* per quæſtiones expedire, methodo & jam veteribus Philoſophis non inſueta, & plurimis Mathematicorum non ſine ratione uſurpata: ſubjuncto unicuique diſciplinæ non tantum gemino ſpecimine ſupra indicato, pro duabus infimis ſcholarum claſſibus; ſed & auctarii loco, peculiari inſtructione in gratiam & uſum cæterarum claſſium, partitis ſingularium claſſium capitibus, in hanc illamve cum fructu introducendis; quam ſyllabus ubique ſubſequitur celebriorum aliquot veteris & recentis ævi in illo genere ſcriptorum.

Singula ſingularum Operis hujus partium contenta non eſt ut ſigillatim recenſeamus, cum ea conjectare cuivis rerum mathematicarum non ignaro in proclivi ſit. Clariſſimo vero *Autori* uti de luculenta hac opera ſtudioſæ juventuti navata oppido gratulamur, & ut propediem, quod ejus adhuc reſtat, publico impertiatur, peroptamus; ſic juvenibus ut in eadem pervolvenda gnavam operam, ſtudiis ipſorum certiſſime profuturam collocare ne dubitent, ſerio ſuademus.

THE LIFE OF JOHN MILTON &c.
id eſt,
VITA JOHANNIS MILTONI, CONTINENS PRÆter operum ejus hiſtoriam, characteres extraordinarios hominum, librorum item, ſectarum, partium & opinionum.

Londini apud Johannem Darby, 1699. in 8. Plag. 11.

Digitized by Google

CUm auctorem hujus libri eſſe *Johannem Tolant*, Hibernum, cognoviſſemus, quem Socinianis non minus, quam Monarchomachis addictum vulgo putant, & cujus diſſertationem, *Chriſtianity not myſterious*, i. e. *Chriſtianismus myſterii expers*, Parlamenti Hibernici juſſu crematam fuiſſe minime nos latet, fatemur equidem aliquamdiu deliberatum nobis fuiſſe, utrum Vitæ huic fides in omnibus habenda ſit, ejusque recenſio inſerenda Actis noſtris. Denique multa nos permoverunt, ut non omnino nullam ejus mentionem faciendam eſſe decerneremus. Nam, ut ſtatutum nobis ſemper fuit, libros eorumque argumenta hiſtorice recenſemus, nulla habita Auctorum, & eorum, quæ paſſim ab illorum affectibus profluere potuerunt, minus ſæpe ad rem facientium ratione. Noſter vero uti neque omnia fingendi cauſas habuit, neque vitia ipſa Miltoni celavit, & præterea ſubſidiis ad vitam hanc concinnandam inſtructus fuit ſatis luculentis: ita nulli dubitamus, quin grata futura ſit Lectori qualiscunque vitæ Miltonianæ & imprimis librorum a Miltono editorum recenſio. Cum vero ſeorſim prodeat hic Vita, non poſſumus non præmonere Lectorem, cuncta Miltoni opera eodem A. 1699 Londini prodiiſſe, ejusdem Auctoris cura, in folio, ut loqui amant, & Anglica quidem duobus tomis, Latina tertio comprehenſa, quibus Cl. Editor eandem Vitam præmiſit. At quoniam opera illa ad nos advecta nondum ſunt, tanto magis e re futurum arbitramur, ut eorum hoc loco catalogum conſignemus.

Johannes Miltonus, ſtirpe nobili oriundus, patre Johanne, muſico excellente, ſed profeſſione ſcriba (quippe quem parentes ideo, quod Proteſtantium religionem amplexus fuerat, hæreditate privaverant) matre Sara Caſtonia, Londini A. 1606 natus, ſororem habuit Annam, quæ nupſit Eduardo Philippo, fratrem vero Chriſtophorum ad diſcenda jura educatum, ſed noſtro diſſimillimum & ad res gerendas minime aptum. A puero fuit diſcendi cupidiſſimus, adeo ut poſt duodecimum annum ante mediam noctem raro cubitum iverit; unde minus mirum videri poſſit, eum oculorum deinde, quo magis adolevit, aciem amiſiſſe, atque capitis quoque doloribus vexatum frequenter fuiſſe. Miſſus deinde anno ætatis decimo quinto Cantabrigiam fuit, quo anno prima poëtici genii

Digitized by Google

genii documenta dedit, a Pſalmis potiſſimum exorſus, quorum aliquos carmine transpoſuit. Poſtquam itaque commoratus illic fuiſſet per ſeptennium, Magiſtri artium honores ſuſcepit, atque annos deinde aliquot ruri degens, Græcos Latinosque ſcriptores diurna nocturnaque manu verſavit, evagatus quandoque etiam Londinum, cum librorum emendorum gratia, tum potiſſimum ut in Matheſi vel Muſica proficeret, quibus ille ſtudiis mire delectabatur. Ad peregrinationem inde animum applicans, in Galliam primo profectus eſt, atque illic Anglici Legati commendatione innotuit celeberrimo Grotio, Reginæ Sueciæ iſto tempore Legato. Iſthinc diſceſſit in Italiam, in qua prima illum cepit linguæ elegantia & civium comitate Florentia; hic enim in Caroli Dati, Gaddi, Chimentelli aliorumque doctorum amicitiam pervenit, & Societatibus eruditis, quas Academias vocant, frequens interfuit. Sed Romæ poſtea non minus ſuaviter eum excepit Lucas Holſtenius, quo conciliatore ipſi Cardinali Barberino cœpit innoteſcere; amiciſſimum vero habuit par poëtarum egregium, Salſillum & Selvaggium, quorum ita de Miltono ille:

Cede Meles, cedat depreſſa Mincius urna;
Sebetus Taſſum deſinat uſque loqui:
At Thameſis victor cunctis ferat altior undas,
Nam per te, Milto, par tribus unus erit;

Hic paulo brevius, nec minus honorifice:

Græcia Mæonidem, jactet ſibi Roma Maronem:
Anglia Miltonum jactat utrique parem.

Neapoli in ſummi Mæcenatis Johannis Baptiſtæ Manſi amicitiam receptus, hoc ab illo diſtichon meruit:

Ut mens, forma, decor, facies, mos; ſi pietas ſic,
Non Anglus, verum hercle Angelus ipſe fores;

cui ut ſe non ingratum præſtaret, terſiſſimam elegiam compoſuit, nomine *Manſus.* Inde in reditu Genevam divertens, Illuſtriſſimum Ezechielem Spanhemium convenit, ibidemque intimam familiaritatem contraxit cum Carolo Deodato, Profeſſore Theologiæ, origine Luccenſi, ſed nativitate Anglo, Phyſices bene perito, Græcarumque litterarum ſcientiſſimo, id quod teſtari Auctor ait epiſtolas duas Græcas, quæ penes ſe ſint; ejus vero immaturum fatum

Miltonus lamentatur ecloga *Damon*, quæ Virgilii Daphnidi Auctoris judicio minime cedit. Tandem poſtquam rediiſſet Londinum, ne nullam nepotum ex ſorore curam haberet, illos in Græcis, Latinis & Hebraicis, nec non Matheſeos partibus nonnullis, Coſmographia item, Hiſtoria, linguisque modernis Gallica & Italica erudiebat, aliis quoque amicorum filiis in doctrinæ ſocietatem adſcitis. His præter alios auctores, quos in ſcholis explicare conſueverunt Angli, Catonem, Varronem, Columellam, Palladium, Cornelium Celſum, Plinii Hiſtoriam Naturalem, Vitruvium, Frontinum & Philoſophos Poetas Lucretium atque Manilium, nec non Græcos, Aratum, Dionyſium Periegetem, Oppianum, Q. Calabrum, Apollonium Rhodium, Plutarchum, Xenophontem, Æliani Tactica & Poliæni Stratagemata expoſuit. Cum vero eo tempore in Angliam rediiſſet, quo multorum in ſe animos concitaverant Epiſcopi, libertatis Anglicæ propugnatorem ſe profeſſus, ſponte ſe litibus illis immiſcebat, & primos *de Reformatione* libros Anglice edebat A. 1641. Poſtea cum Miniſtri nonnulli adverſus dignitatem Epiſcopalem librum vulgaſſent ſub titulo *Smectymnuus*, quo vocabulo initiales auctorum literæ continebantur, eique reſponſum oppoſuiſſet Uſſerius, Epiſcopus Armachanus, dignum eum putabat Miltonus, quem confutaret tractatu ſingulari *de Præſulatu Epiſcoporum*, Anglico itidem idiomate ſcripto. Quin & alium non multo poſt contra Uſſerium edidit librum, ejusdem ferme argumenti, neque minus ad librum Joſephi Hall, *quo is* Smectymnuum refutaverat, *Animadverſiones* Anglicas ſcripſit, & cum rurſus ille ſcurriles eas vocaſſet, & criminatus præterea fuiſſet Miltonum, edita *Apologia* non modo odium in Epiſcopos, Diaconos & Capellanos non diſſimulavit, verum & objecta crimina diluit, atque amorem, cujus in poëmatibus ſuis paſſim teſtimonia exſtent, honeſtum, non laſcivum fuiſſe probavit. Duxerat deinde uxorem A. *1643* Mariam, Richardi Powel, Irenarchæ filiam; aſt illa, ſive quod *philo*ſophica Miltoni vita fœminæ in celebritate verſari ſolitæ *non* arrideret, ſive quod, cum omnis ejus affinitas Regiis *officiis* eſſet devincta, mariti ad democratiam propenſionem, ſeu aliud quippiam ferre non poſſet, poſtquam ad amicos, pace quidem Miltoni, mox poſt nuptias diſceſſiſſet, neque tempore, de quo convenerant, re-

ver-

Digitized by Google

vertebatur, & inſuper habitis Miltoni litteris, eos quoque, qu os accerſitum eam miſerat, cum contumelia dimittebat. Quibus rebus exacerbatus tandem Miltonus, nunquam illam decrevit in thorum recipere, ideoque A. 1644 librum Anglicum, *doctrinam & diſciplinam divortii* complexum, Parlamento offerebat, enixe contendens, ut inter tot curas, quas pro reformatione Angliæ ſuſciperent, ſui quoque rationem aliquam haberent. Id vero potisſimum probare eo libro nitebatur, ingenium difficile & contrarium prægnantiorem longe divortii cauſam eſſe adulterio vel impotentia naturali, modo utraque pars a ſeparatione non abhorreat. Hoc cum illico Theologi deteſtarentur, jamque non nemo cremandum librum pro concione cenſuiſſet, alium mox Parlamento exhibebat librum, *Tetrachordon*, quod ſcilicet quatuor potisſimum Scripturæ loca Gen. I. 27. ſq. Deut. XXIV, 1. &c. Matth. V. 31. & Matth. XXIX, 3. &c. in eo explicarentur, appellatum. Præterea ne novam doctrinam videretur profeſſus, non ſolum Martini Buceri ſententiam de divortio cum ſua conſentire publico ſcripto docebat, ſed probabat ſimul, ſibi Paulum Fagium, Petrum Martyrem, Eraſmum, Grotium aliosque non minimæ famæ viros ſuffragari. Denique his ſcriptis *Colaſterion* quoque addidit, quo eandem ſententiam contra adverſarium parum moderatum acerrime defendit. Per idem tamen tempus *de educatione* quoque libellum Anglicum ſcripſit, quippe ea ſola libertati & gubernationi Reipublicæ provideri optime poſſe cenſens. Prodierunt non multo poſt *Areopagitica*, ſeu Oratio ad Parlamentum pro licentia imprimendi libros ſine cenſura, qua minime eam licentiam cum ordine in Republica pugnare probat, exemplis potisſimum Græcorum atque Romanorum, quibus præter atheos & famoſos libellos nulli ſub cenſuram venerint. Cum deinde Miltonus de alia uxore ducenda cogitaret, ecce ſubito ad genua ejus provolvitur profuga illa, cui veniam cum lacrymis roganti dedit, filiamque ex ea nondum elapſo anno ſuſcepit, quin & parentes ejus, ſororesque aliquas & fratres, rebus Regis inclinatis, domi aluit, donec paulo melior fortuna affulgeret. Paulo poſt Cromwellio & Fairfaxio Londinum cum exercitu peragrantibus, ut Brownii & Maſſii ſeditionem ſedarent, auguſtas ædes ſuas commutabat Miltonus cum remotioribus, ut inter tot turbas externas

quietus

Digitized by Google

quietus cum Muſis habitaret. Verum cum Carolo I capite plexo Presbyteriani quoque, qui Regi nuper fuerant infenſiſſimi, metuentes ne ſectis nonnullis licentia daretur, publice pro inviolabilitate Regis declamarent, non poterat amplius a publica controverſia abſtinere Miltonus, editoque A. 1649 libro Anglico, cui titulus, *Tenure of Kings and Magiſtrats*, probare multis rationibus conatus eſt, Tyrannos a Magiſtratu quolibet inferiori, vel ſi is quoque recuſaverit, ab ipſo populo & confuſa plebe, jure meritoque, & ex conſuetudine omnium omnis ætatis nationum liberarum, in jus vocari poſſe, & ſi criminis atrocioris rei fuerint, capitis damnari. Eo libro de Parlamento optime meritus, cum minime putaret, (nam ſcribendæ tum *Angliæ Hiſtoriæ* unice incumbebat) hanc gratiam retulit, ut munus Secretarii Concilii Status in negotiis externis, quæ Latino idiomate tractanda erant, ipſi deferretur. Atque illæ quidem epiſtolæ quas Senatus Populique Anglicani, nec non Cromwelli & Richardi nomine ad exteros ſcripſit, poſt mortem Miltoni prodierunt, Lipſiæ quoque noſtræ recuſæ, elegantes profecto & acutæ. Interea cum poſt mortem Regis Caroli I liber prodiiſſet ſub ejus nomine, ΕΙΚΩΝ ΒΑΣΙΛΙΚΗ, ſolus idoneus habebatur Miltonus, qui, ne populus in alia omnia traheretur, libri cenſuram adornaret, quam itidem Anglice edidit, *Eiconoclaſtes* inſcriptam. In ea quoniam ſuppoſitus Regi fœtus ille Miltono fuerat creditus, hinc de induſtria Biographus noſter de fraude ea, ſi modo fraus fuit, diſſerit. Nimirum ſuſpectas ſibi imprimis ait precationes, quæ paſſim Carolino operi immiſcentur; earum enim aliquam vix verbo immutatam repertam ſibi fuiſſe in Arcadia Philippi Sidnei: phraſes vero Theologicas cathedram potius vel ſyſtema quoddam Theologicum ſapere, quam a Rege videri profectas. Tum vero e teſtimonio, quod horum operum exemplari cuidam ipſius Angleſei manu adnotatum hodieque exſtat, aperte probat patere, Regem Carolum II & Jacobum tum Ducem Eboracenſem ſæpius affirmaſſe, librum nequaquam Regem Carolum habuiſſe auctorem, verum a *Gaudenio* Epiſcopo Exonienſi exaratum fuiſſe. Denique rem omnem a D. Antonio Walkero aliisque ſtudioſe ait expediri, quorum argumenta eo lubentius omittimus, quo minus ad vitam Miltoni vere ſpectant, tum quod ab aliis ſub examen revocata ſunt. Properandum nobis

Digitized by Google

bis potius eſt ad ea ſcripta, quæ contra Salmaſium ediditMiltonus, pro mala quidem cauſa, ſed elegantiſſima. Nempe Salmaſius A. 1649 a Carolo II exule multo ære conductus, *Defenſionem Regiam* ediderat, in qua & judicium politicum, & puriorem Latinitatem, Anglicorumque nominum peritiam, non immerito deſiderari a Miltono, Noſter exiſtimat, tanto vero imprudentiorem Salmaſium videri, quod, cum a Batavis, gente libera, ſtipendia acciperet, contra libertatem pugnarit. Cum vero in Angliam ejus haud pauca exemplaria perveniſſent, Miltono ex omnium votis id negotii dedit Parlamentum, ut reſponſionem quanto poſſet ſtudio elucubraret. Itaque haud multo poſt edidit *Defenſionem pro Populo Anglicano*, ſtylo ſcriptam eleganti, ſed acerbiori paulo, quam fas erat, quod nec Noſter plane diffitetur; tanto vero apud Anglos receptam plauſu, ut mille librarum ſterlinenſium præmiumMiltono rependerent. Certe ipſe Epiſcopus Bramhal, cum poſtea cauſam Regiam tecto quidem nomine defendiſſet, refutatus quidem a Johanne Philippo, Miltoni e ſorore nepote etiamnum ſuperſtite, minime diſſimulavit, *Defenſionis Salmaſianæ* unicam editionem divendi vix potuiſſe, *Miltonianam* vero toties recudi, ut paginis editionum adeo diſcrepantibus, vix indicari illæ Lectoribus ſatis commode in reſponſione poſſint. Quin & Noſter ait, Salmaſium, qui interea in aulam Chriſtinæ Reginæ Sueciæ fuerat adſcitus, ſimul atque Miltoni reſponſio eo advecta fuiſſet, contemptim haberi cœpiſſe, atque inde diſcedentem Apologiam adornaſſe quidem, ſed cui quo minus ultimam manum adderet, morte fuerit præventus. Miltonum contra, etſi liber ejus Pariſiis a carnifice, non tam Parlamenti juſſu, quam inſtigatione Cleri, & poſtea quoque Tholoſæ igni fuerit traditus, meruiſſe tamen non modo Legatorum, qui Londini tum aderant, imprimis Belgicorum, ſed exterorum quoque, Germanorum pariter & Gallorum prolixas laudes. Nactus deinde, ut ſperabat, majus otium Miltonus, A. 1652 hoſpitio mutato ſecundam uxorem ducit, paulo poſt nuptias exſtinctam. Cumque eodem anno prodiiſſet apud exteros liber, ſub titulo, *Clamor Regii Sanguinis ad Cœlum &c.* (cujus quanquam genuinus auctor eſſet *Petrus Molinæus*, junior, Præbendarius Cantuarienſis, tamen quoniam ab Alexandro Moro concionatore Gallico fuerat prelo mandatus, qui

& nomine bibliopolæ dedicaverat librum Carolo II, is auctor plerumque habebatur) Miltonus mox *Defenſionem ſecundam pro Populo Anglicano* edidit, in qua neque Moro pepercit, quem ſubinde ſale ſatyrico perfricuit, & objectum cœcitatis ſupplicium ita diluit, ut haud peccaſſe ſe pro libertate ſcribendo contenderet, & oculorum morbum continua lucubratione contractum ſibi jamdiu ante probaret, quam contra Salmaſium calamum ſtrinxiſſet. Edito inde a Moro novo libro, cui *Fidei Publicæ* titulum fecit, aliam *Defenſionem pro ſe* divulgabat, cui Morus denique acquievit. Hinc cum pauliſper ad alios labores, *Hiſtoriam* nempe *Magnæ Britanniæ*, *Theſaurum linguæ Latinæ*, & poëma heroicum, *Paradiſum Amiſſum*, (quod unum ex his perfectum in lucem tandem opus prodiit,) rediiſſet, interim tamen & diſſertationes alias *de poteſtate civili in rebus eccleſiaſticis*, *de modo* item *ſubmovendi conductitios ex eccleſia*, Anglico ſermone edidit. Mortuo vero Cromwello, & Richardo ab exercitu dejecto, non deſtitit contra Monarchiam ſcriptis pugnare, & defendere Democratiæ commoda; qua in re tamen nondum ad Harringtoni famam proceſſiſſe Auctori noſtro dicitur, cujus quippe cura nuperrime prodierunt Harringtoniana opera cum vita auctoris, a nobis forte propediem recenſenda. Aſt Rege in Angliam reduce facto, in tutiora ſe recepit Miltonus, donec amneſtia promulgata veniam impetraret, a publicis ſolummodo officiis deinceps excludendus. Inde tertiam uxorem duxit, cum qua ſterile illi conjugium fuit. Interim duas e primo matrimonio filias ita erudiverat, ut Hebraica, Græca, Latina, Hiſpanica, Italica, Gallica, etſi minime intelligerent, legere ſine hæſitatione poſſent, quod ipſi jam oculorum uſu deſtituto inſigniter profuit. Etſi vero commercio litterario, quod illi erat cum Millio, Oldenburgio, Heimbachio, de Braſſ, Leone ab Aizema, Emerico Bigotio aliisque, quorum nomina paſſim inſcripta litteris ejus familiaribus videas in nova Operum Miltonianorum editione, ab A. 1652 usque ad *1660* præcipue occuparetur, nec qualibet anni tempeſtate ad poëma ſcribendum aptus eſſet, (nullum enim ei tempus erat convenientius, quam quod brumale & æſtivum ſolſtitium interjacet,) tamen *Amiſſum Paradiſum* elucubravit tandem, & A. 1666 primum in lucem emiſit. Quod poëma quoniam ex merito laudavimus, cum novæ ejus

Digitized by Google

ejus editionis mentionem faceremus in Actis A. 1696, p. 227, judicium Drydeni, ſummi poëtæ, in cujus laudes Noſter quoque excurrit, & qui ex toto opere tragœdiam eodem titulo concinnavit, recenſere ex Auctore ſuperſedemus. Poſt A. 1670 edidit *Paradiſum Reparatum*, *Amiſſo* multo, ut omnes cenſent, inferiorem; unde dictum percrebuit, Miltonum fruſtra quæri in Paradiſo Reparato. Procuderat una quoque tragœdiam, *Samſon Agoniſtes*, eodemque anno prodiit quidem *Hiſtoria Magnæ Britanniæ*, Anglice, ut pleraque ejus opera, conſcripta, ſed quam ultra Normannorum tempora producere non potuerat. Ut vero alios ejus libros minoris momenti taceamus, duorum amplius mentionem facimus; alter eſt *Epiſtolarum familiarium liber unus*, *cui acceſſerunt Proluſiones quædam Oratoriæ*, alter Anglicus, idemque poſtremus Miltoni fœtus, *de vera religione*, *hæreſi*, *ſchismate*, *tolerantia & modis optimis*, *quibus præveniri Papismo poſſit*, uterque A. 1674, quo ex vita diſceſſit, excuſus. *Theſaurus Linguæ Latinæ*, quo Stephanum complere ſtatuerat, nunquam prodiit, Littletono tamen lexicographo non nulli uſui fuit. Ceterum quod Bibliothecæ ſuæ partem maximam paulo ante obitum vendiderit, minime paupertatis in illo indicium fuiſſe Auctor ait, quippe 1500 libras Sterling. poſt ſe reliquit, exſtinctus podagra, qua vehementer per complures annos laboravit, inſigni adhuc monumento ornandus, quo conſtet omnibus, ſuum etiam ſub Potentiſſimo Rege Wilhelmo eruditis in Anglia honorem haberi. Exhibet ultimo loco characterem ejus Biographus, neque laudibus parcit, quas huc transferre noſtrum non eſt; inconſtantiæ tamen ſigna luculenta non poſſumus ex ipſo tacere. Nempe religione varius fuit Miltonus, quippe Proteſtantium, qui tum Puritani vocabantur, partibus acceſſit juvenis, inde media ætate Independentibus & Anabaptiſtis arctius adhæſit, ſenex vero nulli Eccleſiæ nomen ſubſcripſit, neque templa amplius frequentavit, incertum quam ob cauſam.

Quod reſtat, ignorare Lectorem benevolum nolumus, libri hujus refutationem quandam ſuſcepiſſe auctorem anonymum opuſculo, cui titulus, *Remarks on the Life of Mr. Milton*, eique iterum reſponſum a Biographo fuiſſe libello alio, quem inſcripſit, *Amyntor*, quorum, ſi tanti videbuntur, recenſum alibi forſan ſumus exhibituri.

SERIES CHRONOLOGICA OLYMPIADUM, PYTHIADUM, ISTHMIADUM, NEMEADUM, quibus veteres Græci tempora ſua metiebantur &c. per GUILIELMUM LLOYD, A. M. Epiſcopi Wigornienſis Filium.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, A. 1700. fol. plag. 14.

CUm in Actis noſtris A. 1698 menſe Martio pag. 118, 119, novam Pindari editionem Oxonienſem recenſeremus, non omiſimus indicare maximum ejus ornamentum, Chronologicam nempe ſeriem Olympionicarum, a Reverendo admodum Epiſcopo, tunc Lichfieldenſi, hodie Wigornienſi, *Guilielmo Lloyd*, adornatam. Hoc autem opuſculum, Richardo Weſt, Pindari editori, inſcriptum, nos docet, eam a doctiſſimo Epiſcopi Filio cognomine, Parentis juſſu ac hortatu concinnatam eſſe, ſed typothetarum incuria imperitiave tam infeliciter excuſam, ut in tabulis illis cum Pindaro editis, æra Chriſti a capite ad calcem decurreret, cum Olympiadum annis male compoſita; & præterea Olympionicarum nomina, ad tertium quemque Olympiadum annum apponerentur. Huic infortunio ut mederetur, Patrisque honori pro officio conſuleret, tabulis Chronologicis manum iterum admovit, ita ut æra nati Chriſti primum laterculum teneat; proximos Olympiadum & Pythiadum luſtra, cum nominibus in ſtudio Olympico victorum; Iſthmiadum & Nemeadum trieterides ſequantur; quibus appoſuit omnia ad ſingulos Ludos ſpectantia, quæ ex antiquis auctoribus, ad certa illorum tempora affixa, colligere licuerit. Anni Romæ conditæ, & Regum ex Ptolemæi Canone deſumti, columnis præcedentibus accommodantur: Epocha Nabonaſſari, apud Aſtronomos omnium celeberrima, agmen claudit. Annos ab Orbe condito omiſit: tum propter numerorum, majorum, quam ut memoria quis complecti queat, incommoditatem; tum ob principum Chronologorum, in hujus Æræ rationibus ineundis ſubducendisque diſcrepantiam. Præfationem ſequuntur Notæ quædam Chronologicæ, de origine & variationibus horum ludorum; quas excipiunt ipſæ Tabulæ, nominibus præſertim victorum Olympicorum, variisque ad ludos pertinentibus obſervationibus Hiſtoricis ſubinde diſtinctæ. Incipiunt anno ante Chriſtum 776, finiunt anno Chri-

Digitized by Google

Chriſti 220. Longum foret ire per ſingula, nec noſtro judicio operam male ludet, qui opuſculum hoc breviſſimum, ſed ſummam in omni veterum Græcorum hiſtoria utilitatem præſtans, perlegere voluerit integrum.

JOH. KEPLERI & JACOBI BARTSCHII TABULÆ MANUALES Logarithmicæ &c. curante JOH. CASP. EISENSCHMID, P. E. M. D.

Argentorati, apud Theodoricum Lerſe, A. 1700. in 8. plag. 19 ½.

TÆdioſiſſimas calculorum Trigonometricorum tricas, adoleſcente hoc, quod proxime finituri ſumus, ſeculo, Illuſtrem *Neperum* ingenioſo Logarithmorum invento feliciſſime expediviſſe, tam certum vulgatumque eſt, ut apud rerum mathematicarum peritos omnis eam in rem oratio merito cenſeri debeat ſupervacanea. Eorum uſum primus omnium in Tabulas Motuum Cœleſtium (*Rudolphinas* ſuas) introduxit ſolertiſſimus *Johannes Keplerus*: condita in hunc finem Heptacoſiade Logarithmorum Logiſticorum, pro calculo, alias ex Logiſtica veterum Sexagenaria operoſe inſtituto; translato etiam ex *Nepero* Logarithmorum & Antilogarithmorum Canone ad ſingula minuta, & Meſo-Logarithmis, quousque eorum hic uſus eſt, hoc eſt, ad quadrantis 10 gradus priores, adjectis. Verum, quod Logarithmi Heptacoſiadis ad quina ſecunda, reliqui ad prima tantum ſcrupula in *Rudolphinis* exhiberentur; in ſupputationibus vero Aſtronomicis ut plurimum arcus quærantur ſcrupulis ſecundis definiti; huic fini obtinendo, ut quicquid ejus defectus eſſet, perficiendis iis Tabulis commode ſuppleretur, merito deſideratum eſt. Reſtabat porro & medicina, calculo anomaliæ orbis quinque Planetarum facienda, quem *Keplerus* moleſtiſſima falſæ poſitionis regula in *Rudolphinis* inſtruxerat; ope tamen Tabulæ cujusdam, Indicis Proſtaphæreſeos, in *Epitome Aſtronomiæ Copernicaæ* p. 751 promiſſæ, planum reddere conſtituit.

Totum autem hoc negotium, ſub auſpiciis ſoceri ſui *Kepleri*, annis 1630 & 1631 perfecit gener *Jacobus Bartſchius*, Magno Canone Logarithmorum & Meſologarithmorum *Benjaminis Urſini*, reſectis tribus ultimis cyphris curtato, & in alium ordinem reducto, ut

tamen ſingulis ſecundis ſcrupulis eruendis ſufficeret; ſupputata *in*ſuper particula (duorum graduum & 6 minutorum) Antilogarithmorum exactiorum ad eadem ſed bina ſingula ſcrupula. Tabulam vero Proſtaphæreſeos Indicem a *Keplero* laxius ſupputatam, ipſe pleniorem reddidit, indito eidem, a numero Logarithmorum contentorum, Chiliadis nomine; *Keplerianam* etiam Heptacoſiadem ad ſingula ſecunda extendit, & a 3600 quibus conſtat Logarithmis, Trichilhexacoſiadem nuncupavit. Hæc junctim *Bartſchius* Sagani Sileſiorum in forma manuali & commoda, quam octavam dicimus, typis excudi curavit, ſed ſine ulla Introductione. Eodem tamen tempore harum Tabularum aliquas, adjunctis aliis, cum dilucida illarum deſcriptione forma majori, & ad *Tabulas Rudolphinas* accommodata edidit, quaque ratione loca Planetarum earum ope ex *Rudolphinis* computanda ſint, perſpicue docuit. Dum hæc commodo Aſtronomiæ aguntur, *Keplerum* febre acuta Ratisbonæ, imminente bruma anno 1630, nec adeo multo poſt tempore *Bartſchium* peſte correptos, humanis rebus mors exemit: ſupellectileque eorum literaria vel direpta vel diſperſa, perpauca memoratarum Tabularum exemplaria e naufragio iſthoc evaſerunt, ipſæque adeo ad paucorum notitiam pervenere.

Hunc itaque libellum utiliſſimum ab imminente interitu vindicare, ex uſu ſtudiorum mathematicorum publico non immerito Clariſſimus *Editor* duxit; cumque forma quidem priſtina, ſed a mendis, quibus olim laborabat, typorum purgatum, nova vero Introductione auctum exornatumque, nuperrime communis uſus & juris denuo fecit. Præfationis loco præmiſit Introductioni hiſtoriolam, libelli fata complexam, quæ modo dictorum materiam nobis præbuit; ipſa vero Introductione, poſt generalia quædam de modo ex Tabulis excerpendi, & tractatione ſignorum proſtaphæreticorum ſive algebraicorum, ſingularum libelli partium, quas ſupra recenſuimus uſum, quem in calculo *Rudolphinarum* præbent, ejusque rationes diſtincte exhibet; quomodoque tandem univerſim quibusque Trigonometricis operis ſolvendorum Triangulorum tam rectilineorum quam ſphæricorum, cujuscunque ſpeciei inſerviant, per certa præcepta dilucide inculcat.

DE-

Digitized by Google

DECLARATIO DATA ILLUSTRISSIMO ARCHIEPISCOPO Pariſienſi a Theologo Societatis Jeſu GERMANO BESCHEFER, Rectore Collegii Pariſienſis offerente, Novitiatus quoque Rectore præſente, ut offenſioni ex Theſi publica oborta fieret ſatis.

DElatis ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Eccleſiæ Principem Archiepiſcopum Pariſienſem querelis, ſuper quadam poſitione mea de excœcatorum & obduratorum peccatis, ex Theſi quam die 14. Decembris anni 1699 propugnavi, quæque ſic habet:

Unum peccatum ſæpe eſt pœna alterius peccati, non tamen per ſe, ſed tantum per accidens, quatenus nempe obcæcatione punitur & obduratione, cum Deus prius deſertus peccatorem deſerit. Tres ſunt deſertionis gradus. Primus gratiam uberiorem, ſecundus minorem aliam, tertius vero omnem omnino excludit. Peccata gravia primo & ſecundo deſertionis gradu in hac vita puniuntur: nulla autem puniri deſertione ſumma, ita ut Deus opem gratiæ omnem peccatori ſubtrahat, magis videtur Auguſtini opinioni congruere, & aperte docet Author libri de vocatione gentium. Eorum, qui ajunt peccatores nonnullos ita deſeri a Deo, ut ab interiore illius luce penitus ſecludantur, & priventur omni motu, non una eſt opinio. Alii enim errant, dum aſſerunt peccatori plane obcæcato & indurato peccata nihilominus imputari: alii tolerabilius ſentiunt, dum negant;

hanc mentis meæ explicationem eidem Illuſtriſſimo Præſuli ſumma qua par eſt animi ſubmiſſione obtuli, paratus deinceps, quoties occaſio tulerit, quam maxima potero obſequii mei argumenta pari cum fiducia reverentiaque exhibere: ut intelligant omnes, quantum tribuam judicio atque authoritati ſapientiſſimi Antiſtitis, quem ſummo Eccleſiæ bono inter ſacræ Doctrinæ cuſtodes atque interpretes divina diſpoſitio conſtituit.

Primum itaque profiteor, nunquam in ea me ſententia fuiſſe, ut crederem eos, qui vocantur obcœcati & indurati, non peccare amplius, vel ſua illis peccata minime imputari a Deo; immo me ſemper tenuiſſe & nunc etiam tenere, ex Scriptura & Patribus certo conſtare, quod peccent, & quod peccata illis imputentur. Simul agnoſco poſitionem meam ita generalibus verbis conceptam fuiſſe, ut juſtam hujus explicationis poſtulandæ cauſam præbuerit.

Pro-

Profiteor inſuper, quantumvis mihi perſuaſum ſit, obduratos nequaquam omni carere interiori gratia, quæ ad implenda præcepta ſufficiat, haud propterea voluiſſe me ulla cenſura notare illos, qui nec pauci ſunt, nec infimi nominis, Theologos e Catholicis, quos contraria in opinione æque in Eccleſia permiſſa verſari certum eſt: neque, cum in prædicta poſitione dixi errare illos, aliud a me intellectum eſſe, quam quod fallantur.

Cujus ſententiæ meæ, pariter & ſingularis adverſus Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Eccleſiæ Principem obſervantiæ ac ſubmiſſionis, ipſo benigne annuente, perpetuum hoc extare monimentum volui manu mea ſubſcriptum. Pariſiis die tertia Aprilis A. 1700.

GERMANUS BESCHEFER.

LIBRI NOVI.

S. G. Fl. Gregorii Epiſcopi Turonenſis Opera omnia; nec non Fredegarii Scholaſtici Epitome & Chronicum; cum notis & obſervationibus Theodorici Ruinart. Pariſiis, apud Fr. Muguel, 1699. fol.

Methodicus ad Poſitivam Theologiam Apparatus, auctore P. Petro Annato. Pariſiis, apud Nic. Couterot, 1700. 4.

Traité Methodique & Abregé de toutes les Mathematiques; par Mr. Charles de Neuvegliſe. A Lion, chez Leonard Plaignard, 1700. 8.

Nouvelle Inſtruction pour la Culture des Fleurs, par feu Mr. De la Quintinye, Directeur de tous les Jardins du Roy. A Paris, par la Compagnie des Libraires, 1700. 4.

Hiſtoria Flagellantium. De recto & perverſo Flagrorum uſu apud Chriſtianos. Pariſiis apud Jo. Aniſſon, 1700. 12.

Elemens de Mechanique & de Phyſique, où l'on donne Geometriquement les principes du choc & des equilibres entre toutes ſortes de corps. Par M. A. Parent. Chez Florentin & Pierre De Laulne, 1700. 12.

Idée Generale de l'Hiſtoire Univerſelle; par Mr. A. D. C. Prêtre. A Paris, chez Pierre Emery, 1700. 12.

Les Elemens de l'Hiſtoire, ou ce qu'il faut ſavoir de Chronologie, de Geographie, de Blazon, de l'Hiſtoire Univerſelle &c. avant que de lire l'Hiſtoire Particuliere. Par M. P. L. L. de Vallemont. A Paris, chez Jean Aniſſon, 1700. 12.

*** *** ***

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Kalendis Septembris Anno MDCC.

DISPUNCTIO NOTARUM XL, QUAS SCRIPTOR ANONYMUS Eminentiſſimi Cardinalis SFONDRATI libro, cui titulus, Nodus Prædeſtinationis, quantum homini licet, diſſolutus, *inuſſit.*

Coloniæ apud Servatium Noethen, A. 1699 in 8. Alph. 1. plag. 6.

QUod magni nominis hominibus plerumque accidit, ut ab his laudentur, ab illis carpantur, utque omnes ipſorum actiones, velut in luce poſitæ, tanquam ſiderum phænomena, contrariis multorum judiciis excipiantur, hoc Eminentiſſimo etiam Cardinali E. R. *Cæleſtino Sfondrato* contigiſſe obſervamus. Ejus profecto fama inter eruditos ob varia partim proprio, partim aſcito Eugenii Lombardi nomine edita, dudum immortalitatem attigit, quæ ſingula nos, ea qua ſolemus fide, recenſuimus. Sed nec unicum inter illa extat, quod non Auctori magnam controverſiarum ac moleſtiarum nubem creaverit, præſertim cum lites ſonticas in illis ut plurimum tractaverit. Inter ea ultimum, quod in Actis hiſce A. 1697 recenſitum deprehendetur, inſcribitur: *Nodus Prædeſtinationis, quantum homini licet, diſſolutus*; in quo Janſenianos cumprimis oppugnavit, & quos homines iſti ex difficili Prædeſtinationis dogmate nectunt, Gordios velut nodos diſſolvere conatus eſt. Etſi enim ambigue plerique de illo ſenſerint, multique fuerint, qui Sfondratum Jeſuitis magnopere adverſari, favere autem Janſenianis crediderint; ita tamen hoc libello mentem ſuam declaravit, ut, minimum in Prædeſtinationis negotio, nihil illi cum Janſenio fuiſſe commercii, appareat. Quamobrem Janſenianorum cenſuras effugere non potuit, hominum qui nullam ſcribendi occaſionem temere præterlabi ſinunt. Ex eorum

Digitized by Google

officinis *Diſquiſitiones duæ de gratuita Prædeſtinatione & de Gratia ſeipſa efficaci*, & ſimiles libelli prodierunt, præſertim vero *Propoſitiones excerptæ ex libro, cui titulus*, Nodus Prædeſtinationis &c. *cum adjunctis quibusdam notis*, quibus Cardinalis noſter acerbiſſima cenſura excipitur. Suſcepit itaque ejus defenſionem Anonymus ex Romanæ Eccleſiæ aſſeclis, qui ſe Theologiæ Profeſſorem egiſſe *in Præfatione* ait, in Academia, ni fallimur, Jeſuitarum regulas ſequenti. Partitur opuſculum illud in ſex ſectiones, quarum *prima* agit de peccato originis & ſtatu parvulorum ſine baptiſmo decedentium, ac X propoſitiones continet, quas contra Cenſoris acumen Anonymus propugnat. Docuerat Sfondratus lib. cit. p. 144. (ut nodum, ex excluſione puerorum ſine baptiſmo decedentium ex æterna felicitate conſtrictum ſolveret) *parvulos, qui ſine baptiſmo decedunt, licet culpa propria careant, non tamen carere aliena & paterna.* Hic Cenſor graviter exaggerat denegatam pueris omnem labem inhærentem, omnem culpam propriam. Noſter reſpondet, primum, Cardinalem originale peccatum nunquam negaſſe, ſed in hoc ipſo ſcripto controverſo clare docuiſſe, illudque deſcripſiſſe ut intrinſecam maculam, & certa ratione cuilibet homini propriam. Diſtinguit porro inter culpam perſonalem, & originalem ſive paternam; hanc a Sfondrato alienam vocari, illam propriam. Nam peccatum originale non fieri & committi, ſed ab alio commiſſum contrahi. Cum vero Sfondratus hic ſimili ab amiſſione feudi etiam in poſteros extenſa rem illuſtraverit, illudque Cenſor ut periculoſum repudiaverit, oſtendit Noſter, Jo. Viguerium & Andr. Duvallium Romano-Catholicos eodem uſos eſſe. Sfondratus, ut nodum amiſſæ propter parentum peccatum totius humani generis felicitatis nodum ſecaret, affirmaverat p. 48, *Adamo peccante, totam quoque poſteritatem, quippe ex patre rebelli natam, omni jure ad cæleſte regnum ſpoliatam eſſe, & id ipſum peccatum originale eſſe.* Cenſorem male habuit, quod Cardinalis doceat, peccatum originale nihil aliud eſſe, quam privationem juris ad æternam beatitudinem, quæ tamen pœna hujus peccati ſit, non ipſum peccatum: unde non ſolum in hoc, ſed & in aliis dogmatibus Auctorem læſæ Concilii Tridentini auctoritatis accuſat. Noſter reſpondet, omnium fere Scholaſticorum conſenſu peccatum originis eſſe privationem

Prop. I. (margin, beside "nymus propugnat. Docuerat Sfondratus…")

Prop. II. (margin, beside "felicitatis nodum ſecaret…")

juſtitiæ

juſtitiæ originalis, quæ ſit ipſum jus ad cœleſte regnum, adeoque Sfondratum non erraſſe, ſed non minus, quam Auguſtinum aliosque doctores, hoc peccatum intrinſecum & inhærens credidiſſe. Solvendus quoque Sfondrato erat nodus infelicitatis infantium non baptizatorum, cujus gratia p. 114 defendit, *parvulos, qui ſine baptiſmo decedunt, beatos quidem non eſſe, nec tamen perire.* Cenſor monet, totum genus hominum, atque adeo hos etiam infantes, lapſu Adami periiſſe, idque Ambroſium, Proſperum & Bernardum docere. Hic facile eſt Noſtro reſpondere, vocem pereundi hic notare non ſolam excluſionem e regno cœlorum, ſed ſupplicium æternum, auctoritate præſertim Auguſtini & Bernardi. Sfondratum igitur nihil aliud docuiſſe, quam quod Corn. Muſſus & omnes prope Romano-Catholici ſtatuant, nimirum pœnam parvulorum iſtorum eſſe damni, non ſenſus. Cardinalis eodem intuitu affirmaverat p. 118. 164, *parvulos illos non damnari.* Hoc Cenſor adverſari ait effato Paulino Rom. V, 18, quod damnationem omnibus adſcribit, ſententiæ Epiſcoporum Africæ in Sardinia exulum, Fulgentii & Gelaſii: imo Bellarminum, qui pœnam ſenſus illis non tribuat, tamen eorum damnationem pro certa habere. Noſtro reſponſionem ſuggerit amphibolia vocis *damnare*, quæ aliquando excluſionem a regno gloriæ, aliquando, & præſertim hic, pœnam infernalem denotet, & hoc ſenſu damnationem parvulorum quoque negare Salmeronem & Requeſenium: Patres iſtos ſtudio Pelagianis contradicendi peculiarem foviſſe de parvulis ſententiam, eos nempe etiam pœna ſenſus, hoc eſt plenaria damnatione, affici: Bellarmini ſententiam videri immodicam, & rectius parvulis illis aliquam beatitudinem naturalem & modicam tribuere Richardum, Lyranum, Marſilium, Leſſium, Arriagem, Catharinum, Pighium, Venoſtum, Viguerium & alios. Eodem tendit Sfrondrati aſſertum p. 98: *qui ſolo originali peccato tenetur, dici non poteſt, Deum deſerere. Ergo, antequam peccata actualia praviderentur, ſicque quantum ex parte Dei fuit, nemo deſertus, nemo reprobus, ergo nemo non electus.* Cenſor oſtendit, propter ſolum peccatum originis parvulos negative reprobari, ſive excludi e regno cœlorum, cum Cardin. de Lauræa. Noſter reponit, Sfondratum ſolum de reprobatione adultorum loqui. Referuntur quoque ad eandem materiam, quæ Car-

Prop. III. Prop. IV. Prop. V. Prop. VI.

dinalis p. 164 docuit: *parvulis ſine baptiſmo decedentibus exhiberi beneficium longe præſtantius, quam gratiam ſufficientem; nam propter merita & redemtionem Chriſti eos præſervari, ne peccent, innocentiam amittant, & æternum crucientur; quod cœleſti gloriæ certa ratione præferendum ſit.* In his primum carpit Cenſor, quod meritorum Chriſti participationem his infantibus tribuat, quæ tamen non niſi baptiſmo acquiratur. Noſter ad hoc reſpondet: parvulis non baptizatis miſericordiam & beneficia Dei non eſſe deneganda, idque auctoritate Bonaventuræ, Brigittæ & Bernardini probat: porro ad illos meritum Chriſti pertinere, imo illis etiam applicari, ex Suareſio, Martinono & Sala propugnat: duplicem eſſe Chriſti redemtionem, liberativam & præſervativam; poſteriorem his parvulis propriam eſſe ex Salmerone, damnationem vero æternam longe minus malum eſſe, quam peccatum, adeoque præſervationem a peccando ex jure contrariorum ipſi æternæ beatitudini præferendam, teſtimoniis Chryſoſtomi, Baſilii, Ruperti Tuitienſis, Tauleri, Soto & aliorum contendit. Cenſor porro arguit, male præſervationem a peccando cœleſti gloriæ anteponi; & Eccleſiam longe alia ratione infantes conſiderare, quippe quos ſub poteſtate Diaboli eſſe, vel ſolo exorciſmo teſtetur. Noſter ad prius jam antea reſponderat: ad poſterius regerit, eſſe eos ſub Diaboli poteſtate qua maculam originalem & pœnam damni. Pertinet huc alia Sfondrati

Prop. VII. & VIII. theſis, quam p. 14 & 120 defenderat: *Infantes baptiſmo non tinctos ad aliquid, quod ipſa vita æterna melius ſit, & quod omnes ſapientes, ſi poteſtas eligendi daretur, longe cœlo præferrent, deſtinari.* Cenſori hoc inauditum audit, aliquid cœleſti gloria præſtantius dari: hoc conceſſo, ſanctiſſimos quosque juſtitiæ ſibi per fidem collatæ & omnibus divinæ gratiæ theſauris ſtatum horum parvulorum anteferre debere, imo Petrum aliosque ſummates ſanctos talibus infantibus eſſe poſtponendos. Ad hæc Noſter reſpondet, per bonum illud cœleſti gloria majus, intelligi innocentiam perſonalem & præſervationem offenſæ Dei: Sfondratum de gloria cœlitum præclare ſentire: de ſtatu iſtorum infantum, qui pœnam damni patiuntur, ita loqui, ut infelix exilium appellet, ſi in ſe conſideretur; ipſorum vero innocentiam cœleſti felicitati adultorum, qui peccatores olim fuerint, anteferri, ſi offenſi Dei ratio habeatur: cœleſtem gloriam hic

Digitized by Google

hic conſiderari abſtractive: majus eſſe malum culpæ, quam pœnæ; ergo etiam majus bonum eſſe carentiam mali culpæ, quam oppoſitam malo pœnæ æternam gloriam: probum quemlibet, data optione inter carentiam beatitudinis ſine ullo peccato, & fruitionem ejus poſt perpetrata mille peccata, priorem electurum eſſe: melius enim eſſe in æternum annihilari, quam unicum peccatum committere: huc pertinere Moſis, Pauli, Anſelmi, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & Alex. a S. Franciſco vota, damnationem ſibi exoptantium, ut ulteriorem Dei offenſam impedirent: Catharinam Genuenſem recte docuiſſe, minimam Dei offenſam intolerabiliorem inferno eſſe: Sanctos, qui olim peccaverant, non anteponi innocentibus parvulis in ſe, ſed intuitu electionis, quam ipſi, ſi poſſent, facturi fuiſſent; imo Ruiſium recte docere, Deum innocentem magis amare, quam pœnitentem. Pungit quoque Cenſorem, quod Sfondratus p. 98 propoſuerat, parvulos iſtos Deum nunquam deſeruiſſe, adeoque etiam a Deo non deſeri; ubi Noſter deſertionem per peccata actualia, quæ cauſa reprobationis poſitivæ ſit, intelligi ait. Denique cum Sfondratus p. 119 inquiat, *rationem & omnium Theologorum auctoritatem evincere, quod dicti infantes a pœna ſenſus immunes ſint*, Cenſor colligit, ex Cardinalis ſententia Auguſtinum, Fulgentium, Gelaſium, Gregorium M. Iſidorum Hiſpalenſem, Alcimum, Anſelmum, Ariminenſem, Oviedum, Conrium, Paludanum, Cocquium & Noriſium ratione deſtitui, & Theologos non eſſe, quia pœnam ſenſus illis parvulis adſcribant. Reſpondet Noſter, non ideo rationem adverſariis denegari, quia noſtram ſententiam ſana ratione niti dicamus: per Theologos hic intelligi non Patres, ſed Scholaſticos Sententionarios, & vocem *omnes* etiam in ipſa S. Scriptura ſæpe accipi pro pleriſque. Sequitur *Sect. II*, quæ de amore Dei, & merito Chriſti univerſali tractat. Hic Sfondratus, ut diſſecaret nodum, quem nonnulli conſtringunt, dum Deo cauſam reprobationis multorum hominum tribuunt, dixerat *p. 6*: *duas eſſe in Deo voluntates, primam abſolutam, efficacem & independentem ab hominum merito, qua Deus naturaliter velit omnium ſalutem, & hanc vocari antecedentem: alteram conditionatam, & hanc dici conſequentem*. Cenſori diſplicet, quod voluntatem antecedentem efficacem & abſolutam appellet: ſed reſpondetur, ita Scholaſticos

Prop. IX.

Prop. X.

Prop. XI.

ſticos pleroſque loqui; nominari autem eam efficacem, quantum in Deo ſit, & abſolutam, non reſpectu ipſius ſalutis, ut finis, ſed intuitu mediorum. Cardinalis de voluntate antecedente docuerat
Prop. XII. XIII. p. 2. & 43: *Deum ſerio, impenſiſſime, &, quantum in ſe eſt, efficaciſſime omnium ſalutem velle.* Cenſor illum caſtigat, aitque, omnipotentiam Dei ruinam pati, ſi quid non fiat, quod Deus ſerio & efficaciſſime velit; itaque antecedentem voluntatem eſſe potius velleitatem, quam veram voluntatem. Noſter oſtendit, hæc eſſe Calvinianorum ἐγκλήματα: voluntatem antecedentem non eſſe executivam, & propterea omnipotentiam Dei non tolli, ſi in actum non traducatur ob hominis reſiſtentiam, quam Deus vi auferre nolit: eſſe eam efficacem ſecundum quid, & in actu primo ac inadæquate: velleitatem interdum vocari, ſed in ſenſu puriori, ut tamen actum formalem in Deo dicat: manere eam conditionatam ex parte finis
Prop. XIV. principalis. Porro cum Sfondratus p. 128 affirmaſſet, *Deum omnibus hominibus effuſiſſime omnia ſalutis media ſuppeditare, quæ non modo ſufficiant, ſed etiam abundent*; Cenſor in medium vocat infantes ante baptiſmum obeuntes, Gentiles, qui ante Chriſti adventum vixere, & Barbaros in novo orbe, omnes ſalutis mediis deſtitutos. Defenſor infantes illos a Sfondrato manifeſte excipi, Gentilibus vero & Barbaris partim lumen naturæ, partim inſpirationes bonas ex divite penu miſericordiæ divinæ datas eſſe, plurium & majorum beneficiorum ob repugnantiam indignis, reſpondet. Spectat huc
Prop. XV. aliud Cardinalis aſſertum p. 17, 18: *palam eſſe, nullum hominum eſſe, quem Chriſtus nolit efficaciter ſalvum eſſe.* Cenſor opponit ex Jo. XVII, 9, Chriſtum non pro mundo oraſſe; ſed reſponſi loco accipit, quaſdam orationes Chriſti pro rebus ſingularibus, qualis hæc ſit, particulares eſſe, reliquas pro hominum æterna ſalute univer-
Prop. XVI. ſales. Idem Cardinalis docuerat p. 10: *Chriſtum non fore omnium Dominum & Mediatorem, ſi non omnium ſalutem efficaciter vellet*; ubi Noſter ad Cenſoris argutias refutandas addit, *quantum eſt*
Prop. XVII. *ex ſe.* Denique p. 15 Sfondratus dixerat: *temerarios eſſe eos, qui Scriptura toties & tam claris verbis docente, Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, ita hæc explicent, ut ex omnibus aliquos faciant, vel de generibus ſingulorum intelligant.* Hyperaſpiſtes ſubjicit, Auguſtinum igitur, Fulgentium, Proſperum, Gregorium, Remigium Lugdu-

dunenſem, Thomam, Eſtium, Fromondum, Lauræam temerarios eſſe, qui ita doceant. Hos Auctor noſter excuſat, vel quod ob controverſias cum Pelagianis ita locuti ſint, vel quod alibi melius mentem ſuam proponant. *Sectio tertia* agit de gratia orandi, quæ omnibus datur; ita enim appellant gratiæ convertentis initium. Sfondratus ſoluturus nodum Janſenianum, quod Deus non omnibus ſufficientia ſalutis media ſuppeditet, monuerat p. 181, 138, *gratiam orandi omnibus oportuno tempore dari.* Cenſor paratragœdiatur, prorſus abſurdum eſſe, orationem dari, ubi nulla ſit fides, nempe in Paganis. Noſter ait, intelligi primum gradum orationis, ſive preces imperfectas & deſideria bona, idemque cum Sfondrato docere Cardinales Bellarminum, Lugo, de Lauræa, Aguirrium & Noriſium, Epiſcopos Habertum & Abelium, nec non Ferrium Thomiſtam, Maſtrium Scotiſtam, & Lemonium Sorboniſtam. Idem Cardinalis p. 184 aſſerit: *fruſtra omnes ad quærendam ſalutem invitari, ſi donum orandi non haberent.* Hoc Cenſor Pelagianum vocat: Defenſor vero negat, additque, Pelagianos donum orandi pro naturali habuiſſe, Sfondratum vero illud gratiæ vindicare. Alium nodum ſolvit Cardinalis p. 182 docens, *gratiam orandi quoad initium non a Deo peti, ſed ultro dari,* ne vel in Pelagianiſmum, vel progreſſum in infinitum incidamus. Cenſor excipit, omnino hanc gratiam precibus Eccleſiæ a Deo peti & Paganis impetrari. Ad quæ Noſter, de propriis, non alienis precibus agi, reſpondet. Poſtquam de Auguſtini & Thomæ Aquinatis ſententia circa hanc controverſiam diſputaſſent, quam quilibet ſuam facit, alia Sfondrati propoſitio in cenſum venit, quando videlicet p. 148 dixerat: *ſine gratia orandi neminem habere poteſtatem legem ſervandi, atque ideo eam peccato nullo amitti, imo illa ſublata, libertatem omnem tolli.* Intolerabile hoc Cenſori videtur; inde enim ſequi putat, quod gratia illa, non aliter, ac ratio, omnibus etiam citra Chriſti meritum naturaliter debeatur; quod fides, quæ cum ratione indivulſim connexa eſt, nec per apoſtaſiam, vel atheiſmum amitti poſſit: quærit, quo pacto gratia iſta eſſe poſſit in Stoicis, qui ſe virtutem a ſeipſis habere putabant; in Epicureis, qui curam rerum noſtrarum Deo denegabant; in Judæis, quin & Pelagianis, qui auxilio Dei ſe non indigere putabant; denique in Atheis? Noſter ad hæc re-

Prop. XVIII

Prop. XIX.

Prop. XX.

Prop. XXI

Prop. XXII, XXIII.

gerit,

Digitized by Google

gerit, non id omne naturæ eſſe, quod commune ſit, ſed gratiam quoque primam communem eſſe, etſi Janſeniani negent; hoc in reſurrectione mortuorum eluceſcere, quæ univerſalis, non tamen naturalis futura ſit: Stoicos, Epicureos, Judæos, Pelagianos & Atheos habuiſſe gratiam orandi incompletam & remotam, quam, ut completa & proxima fieret, ipſi erroribus ſuis impediverint. Progrediuntur diſceptantes ad *ſectionem quartam*, de gratia ſufficienti & efficaci agentem, & poſtquam de γνησιότητι quorundam Auguſtini librorum diſputaverant, aſſertionem Sfondrati p. 36 occurrentem, *quod Nabuchodonoſor, non Pharao, punientem Deum agnoverit, id ad merum ipſorum arbitrium referendum eſſe*, examinant. Cenſor eam Pelagianam vocat; Defenſor negat, & hunc illi ſenſum tribuit: ſi quæratur, cur Pharao, aut alius reprobus non convertatur, omnem rem ultimo reſolvi in defectum voluntatis reprobi, qui in peccato perſiſtere voluit; ſin interrogetur, cur electus convertatur, ultimo recurri ad divinam gratiam, omnemque adeo laudem huic integram manere. Solvendus erat Cardinali difficillimus nodus, cur gratia Dei non ſemper efficax ſit. Hanc in rem affirmaverat p. 129: *Gratiam ſufficientem & efficacem eſſe, quæ interdum impletur, interdum repugnante libero hominis arbitrio non impletur.* Cenſor criminatur, ita efficaciam gratiæ a noſtra voluntate ſuſpendi. Noſter reſpondet, hanc ſtare Cardinali ſententiam: omnem gratiam Dei eſſe efficacem in actu primo, quandam vero effectricem, ſive efficacem in actu ſecundo, ob obicem non poſitum. Ubi notari par eſt, Bullas Pontificum circa hanc materiam ſibi contradicentium, ex una parte Clementis VIII & Pauli V, ex altera Urbani VIII & Innocentii X ab ipſo Auctore citari. Idem Cardinalis p. 129 contendit: *eos, qui ſtatuant gratiam ſufficientem, quæ nunquam effectum ſuum aſſequatur, ſtatuere gratiam, quæ gratia non eſt.* Cenſor hanc omnium Thomiſtarum ſententiam eſſe ait: Noſter negat, & ad Thomam Lemos, Thomiſtam provocat, ac vocem *ſufficientis* in ſuo conceptu efficaciam (etſi non ſemper effectum) involvere, arguit. Defendit quoque aliam Sfondrati Propoſitionem ex p. 129 petitam, quod ſcilicet *Anti Janſeniani non omnem gratiam ſufficientem negent, ſed ſolum Janſeniano ſenſu acceptam*, hoc eſt, quæ efficaci opponatur. Cum Cardinalis *p. 217* dixiſſet,

Prop XXIV. Prop. XXV. p. 258. Prop. XXVI. Prop. XXVII. Prop. XXVIII.

Digitized by Google

xiſſet, *ex ſententia Auguſtini gratiam effectricem nihil aliud eſſe, quam quod Deus objectum tam proportionatum, & tali modo proponat, ut voluntas ad illud amplectendum magnetiſmo & ſympathia quadam certiſſime moveatur*; Cenſor hoc Pelagianum vocat, & gratiam eo pacto enervari clamat: Noſter, non de ſola perſuaſione, ſed de potenti ſimul voluntatis motu hæc verba intelligenda eſſe, ex magnetiſmi & ſympathiæ vocabulis probat. Præterea Sfondratus docet p. 220, *voluntatem a nullo alio quam ſeipſa determinari, idque Thomam apertiſſime ſtatuere.* Cenſor objicit, doctrinam de præmotione Thomiſtis uſitatiſſimam: Noſter addit, omiſſa eſſe Sfondrati verba, *dependentes a cauſa prima*, quibus præmotio voluntatis ſalvetur. Sfondratus extricaturus nodum, quem nonnulli ex gratia reprobis parcius quam electis data nectunt, affirmaverat p. 67, 106, 107, *plures & majores interdum gratias reprobis, v. gr. Judæ, quam electis, v. gr. Petro, Zachæo dari.* Contradicit Cenſor, quia omnia ob electos fiant, hos Deus ſingulariter amet, & ſummo perſeverantiæ dono beet: præſertim dolet, Petrum, Eccleſiæ principem, in gradu gratiæ Judæ poſtponi. Noſter reponit, ſermonem hic eſſe non de gratia effectrici & victrici, ſed de efficaci: gratiam Judæ datam majorem dici gratia Petro data, non abſolute, ſed in ordine ad evitandum peccatum proditionis; ſepties enim Judam a Chriſto monitum eſſe, Petrum ſemel: imo idem docere Hurantium, Fraſſenium, Vieyram, & alios. Obſervat hic quoque Cenſor, Sfondratum per auxilia gratiæ non intelligere inſpirationes, motiones internas & ſubminiſtrationes Spiritus, ſed adhortationes, minas, beneficia & alia externa: hoc Reſpondens negat, & interna auxilia ab externis in Sfondrati libro diſtingui probat. Propugnat Cardinalis p. 99, *Deum etiam induratos ita non deſerere, ut non eis gratiam tribuat, qua pœnitere poſſint, & actu pœniteant, idque Pharaonis exemplo patere.* Cenſor ſugillat, quod Pharao vere pœnitens dicatur, & gratia cum induratione ſtare poſſe putetur, cum tamen induratio ſubtractio gratiæ ſit. Reſpondetur, de pœnitentia Pharaonis idem docuiſſe Auguſtinum, Driedo, Ruiſium & Gouyardum; induratis vero auxilia gratiæ omnia non ſubtrahi, eſſe communem Conciliorum & Patrum, nec non Medinæ, Soto, Abellii & aliorum ſententiam. Denique dixerat Cardinalis p. 162, 195, 197,

Prop. XXIX. Prop. XXX. Prop. XXXI. Prop. XXXII.

Digitized by Google

nec Tiberium, nec Neronem, nec ſceleſtiſſimum quemque a Deo plene deſeri, ſed per conſcientiam moneri. Hoc portentoſum Cenſori habetur, & contrarium Apoſtoli verbis Rom. I, 24. de traditione in reprobum ſenſum. Noſter reſpondet, idem docere Bailium, Pennotum & Philippum a SS. Trinitate; diuturnitatem peccandi inferre quidem difficultatem, non vero impoſſibilitatem emendationis. In *Sectione V* tractatur de Prædeſtinatione & Reprobatione. Offerebat ſe hic nodus de reprobatione, neceſſitatem pereundi reprobis imponente. Hunc Sfondratus ita ſecat. Primum docet, p. 22, *Deum in negotio prædeſtinationis neminem deſerere, aut excludere;* ubi Noſter monet, eum ſolum de adultis loqui. Porro defendit, *Deum in prædeſtinando, quantum in ſe eſt, inter electum & reprobum non diſtinguere, ſed omnium ſalutem æqualiter velle, & indiſcriminatim omnibus dare media, quæ non ſolum ſufficiant, ſed etiam abundent.* Cenſor in his taxat, quod ab arbitrio humano ſalutis negotium ſuſpendatur, contra 1. Cor. V, 7. & Rom. IX, 16. ubi Deo volenti omnia ultimato aſſerantur; quod æqualitas mediorum ſalutis ſtatuatur contra clara Scripturæ verba, populo Iſraelitico majorem quam aliis gratiæ gradum tribuentis. Noſtro facile eſt reſpondere, Sfondratum loqui de voluntate antecedenti; omnino qua actum electionis, omnia in Deum reſolvenda eſſe, quia bonum hominis velle a Deo ſit, & hanc eſſe mentem dictorum Paulinorum. Interſpergit hoc loco Cenſor magni momenti obſervationem, nimirum ſolutionem nodorum Prædeſtinationis ex ductu rationis, qualem Cardinalis tentet, periculoſam & Spiritus S. intentioni contrariam eſſe, qui hanc doctrinam abyſſum imperſcrutabilem eſſe voluerit. Noſter hæc ita ſolvit: in Prædeſtinatione quædam facilia captu eſſe, quædam difficillima, nempe rationes, cur uni, non alteri, media Deus providerit, quibus efficeretur, ut ſalvari vellet. His poſitis Sfondratus docet p. 41, *in arbitrio & poteſtate hominis eſſe, ut eligatur.* Cenſor hoc negat, quia hoc pacto numerus electorum incertus & nequaquam ab æterno definitus eſſet; Defenſor reſpondet, id dici ratione noſtri, non reſpectu Dei. Supereſt *Sectio ſexta*, in qua de Peccato Philoſophico & ignorantiæ, nec non de ſalute Gentilium diſquiritur. Sfondratus, ut ſolvat nodos ex ignorantia Dei apud barbaras gentes nexos affir-

Prop. XXXIII. Prop. XXXIV. P. 330. Prop. XXXV.

Digitized by Google

affirmat p. 161, *quicquid non ſit contra conſcientiam, non eſſe peccatum.* Cenſor inde ſequi ait, quod nulla dentur peccata ignorantiæ. Noſter reſpondet, Sfondratum loqui, non de regula fundamentali & objectiva actionum moralium, ſed de formali & proxima, nempe conſcientia, quæ reſpectu noſtri actum bonum vel malum facit. Conſimili ex ſcopo docuerat Sfondratus p. 152, *ſublata cognitione Dei, neceſſario ſequi, nec peccatum, nec pœnam æternam eſſe.* Cenſor hoc Philoſophico peccato magis horrendum eſſe clamat, & barbarorum furta, adulteria, ſimilesque labes hoc pacto laude dignas fieri. Noſter replicat, Cardinalem paſſim docere, neminem eſſe, vel ex ſumme barbaris, qui Deum invincibiliter ignoret, adeoque caſum impoſſibilem ponere, dum de plenaria ſublatione cognitionis Dei loquitur; idem Salmanticenſes, Pallavicinum, Aguirrium & alios docere. Statuerat quoque Cardinalis p. 152, *Barbaros v. gr. Braſilianos magnum beneficium accepiſſe ex ignorantia Dei, dum per illam impeccabiles redditi ſint.* Cenſori hic monere placuit, ignorantiam pœnam potius, quam beneficium eſſe; imo ſi id omne pro beneficio habendum eſſet, quod impeccabiles reddit, lapidi majus beneficium, quam homini a Deo collatum eſſe. Noſter reſpondet, propoſitionem illam conditionalem eſſe, & quidem in re impoſſibili, adeoque nihil ponere; poſſe aliquid ſimul beneficium & pœnam eſſe, diverſo reſpectu. Poſtremo Sfondratus docuerat p. 153. 169, *non improbabile videri, Socratem, Platonem, & Sibyllas veram religionem agnoviſſe.* Cenſor objicit, Socratem Dæmonium habuiſſe, Æſculapium coluiſſe, puerorum turpi amori litaſſe; Platonem idola coluiſſe, uxorum communionem docuiſſe, infantium cædem permiſiſſe. Ad hæc Noſter reſpondet, ex Juſtino Martyre Cardinalem ſua hauſiſſe, & hunc male a Caſaubono perſtringi, quod docuerit, ſolam rationem poſſe hominem ad ſalutem perducere; Juſtinum enim per rationem intelligere qualemcunque notitiam λόγȣ æterni: Dæmonium Socratis fuiſſe bonum Angelum, reliqua in illum dicteria calumniæ proxima eſſe: ante Chriſti adventum multos ſine auditu verbi & fide explicita in Chriſtum ſalvatos eſſe, imo hoc etiam poſt Chriſti adventum fieri poſſe, idque Javellum, Soto, Azorium, Hurtadum, Vegam & alios docuiſſe. Quibus expoſitis, Noſter valde

Prop. XXXVI. Prop. XXXVII. Prop. XXXVIII. XXXIX. Prop. XL.

Digitized by Google

indignabundus perorat, Cenſoremque, quod religioni non duxerit, Eminentiſſimum Cardinalem ob Apologiam pro unigenito Filio Dei humani generis vindice, immenſaque Dei bonitate & miſericordia erga humanum genus, ſapientiſſime contra errores Calvini & Janſenii elucubratam audacter exagitare, graviſſimis verbis redarguit, & ad palinodiam hortatur.

THESAURUS LIBRORUM PHILOLOGICORUM ET HISTORIcorum. Collegit ac recenſuit THOMAS CRENIUS.

Lugd. Batav. apud. Henr. Teeringh, 1700. in 8. Alph. 1. Plag. 8.

MAximopere, nec præter rem omnino, Celeberrimus ingemiſcit Crenius ob adverſa fata, quæ libros ſæpe eruditiſſimos poſt Autorum obitus manere ſoleant, quæque non ex aliena modo, ſed propria etiam experientia recenſet. Inter alia enim, quæ in præfatione hujus, quem nuncupavit, Theſauri erudite diſſerit, ad incuriam provocat hæredum magni cujusdam in Germania Theologi, cujus bibliothecam luſtrare ipſe conſtituerit, aſt præter omnem opinionem non librorum modo repoſitoria magna ex parte vacua librisque optimis privata, ſed & eruditiſſimorum maximorumque in Germania Theologorum epiſtolas manuſcriptas, conſiliaque & reſponſa iſti Theologo ſuppeditata, una cum ipſius illius ſchedis, in terram projecta, pedibusque conculcata repererit. Neque edendorum modo librorum adverſam hanc fortunam eſſe queritur, ſed editorum quoque, præſertim minutiorum, qui parum vulgo curati diſpergantur nimis cito, poſteritatique ſubtrahantur. Ubi cumprimis indignatur, Litanias, Lectiones & Conciones publicas, a Seelandiæ Epiſcopis vel Concionatoribus aulicis in ſolennibus deprecationum & ſupplicationum diebus dictas, junctim haud vulgari, cum tamen palam ſit, quantum Brochmandus, Winſtrupius, Reſenius, Suaningius in ſtudio exegetico valuerint. Ab his ergo ſeculi perverſi moribus alieniſſimum ſe ut nunquam non probavit Crenius, ita & impoſterum non minus talem ſe futurum ſancte pollicetur, inque ejus rei fidem Syllogen hanc tractatuum utiliſſimorum, ſed quorum copia ægre hactenus obtineri potuit, cum gratis operum eruditorum, mole licet exiguorum, æſtimatoribus communi-

Digitized by Google

municat. Complectitur autem hæc I. Bonaventuræ Cornelii Bertrami Lucubrationes Francktalenſes, a loco, ubi, Geneva relicta, cum easdem conſignaret, agebat, appellatas. II. Theodorici Hackſpanii Interpretem errabundum. III. Laurentii Fabricii Partitiones Codicis Hebræi. IV. Joannis Erici Oſtermanni Diſſertationem de conſultationibus veterum. Quod vero ad ſingulorum horum tractatuum contenta attinet, non eſt cur pluribus eadem proſequamur, cum dudum illi manibus eruditorum triti fuerint; nec omiſit Editor ſolertiſſimus teſtimonia allegare, e quibus, quid de plerisque viri docti ſenſerint, abunde diſpaleſcit.

ANGELI CANINII ΕΛΛΗΝΙΣΜΟΣ, *ex editione THOMÆ CRENII.*

Lugd. Batav. apud Frid. Haaring, 1700. in 8. Alph. 2. plag. 7.

ANgelum Caninium omnibus Grammaticis Græcis, quot ſunt, quotve fuerunt, longius anteponendum eſſe, dudum judicavit Tanaquillus Faber; unde ejus Hellenismum ſeu Grammaticam Græcam de Dialectis optime tractantem eo lubentius in lucem publicam denuo emiſit Clariſſimus Crenius, quo diutius ea ab elegantiorum harum literarum ſtudioſis in tabernis librariis hactenus, poſt ſecundam editionem Londinenſem, quæſita fuit. Legit vero eam, recenſuit, emendavit, & adjecta Græcarum dictionum verſione Latina adauxit, loca ſcriptorum a Caninio citata contulit, multa correxit, plurimaque omiſſa addidit. Ejusdem præterea Autoris dedicationem & præfationem Inſtitutionibus, quas ſcripſerat, Linguæ Syriacæ præmiſſas, una cum ipſius explicatione non inutili nec indocta locorum Novi Teſtamenti adjunxit, ipſis quidem Inſtitutionibus omiſſis, quippe quas & diligentia & accuratione recentiorum ſcriptorum facile vinci, perſuaſum ſibi habuit. More autem ſuo nonnulla, & prolixe ſatis, præfatus eſt de Angelis, eo, quod Angeli prænomine clarum deprehendit Caninium. Eximium proinde quodvis, ac præ cæteris elegans, in Scriptura Sacra Angeli nomine venire, ex adductis in medium locis, Judic. XIII, 6. II. Sam. XIV, 17. XIX, 27. aliisque probatum dat, maxime vero omnium circa Pſalmi LXXIIX verſiculum 25 occupatur, quidque ſibi velit panis

nis אבירים, quem Vulgatus & Lutherus panem Angelorum dixere, diſquirit. Deinde inter ſcriptores Angeli nomine claros nullum eſſe innuit, qui non eximius & præ cæteris egregius vocari mereatur. Hocce ſuum effatum ut eo magis erudito Lectori approbet, integrum virorum iſthoc nomine illuſtrium catalogum nectit, in quo tamen multum præ reliquis operæ impendit in Angelum Politianum & Joannem Angelum a Werdenhagen, illius namque famam a pag. 19 ad 34 vindicat, hujus vero hiſtoriam a pag. 68 ad 74. enarrat. Quinimo & fœminas aliquot Angelico nomine inſignitas, Angelam puta virginem, Raimundi Bohemorum Regis filiam, quæ in Tyro Palæſtinæ poſt mortem genitoris ſub Doctore Brocardo Hieroſolymitano, circa finem ſeculi duodecimi, Carmeli velamen accepit, vitamque duxit anachoreticam; *Angelam Zabatam*, Ludovici Vivis civem, & *Angelam Sartoriam* Wolfgangi Muſculi matrem, commemorat, inque indice Angelam de Fulgino notatam a Sandæo in Theologia myſtica ſuperaddit.

DE REBUS GESTIS CHRISTIANORUM SUB APOSTOLIS Commentarius PHILIPPI JACOBI HARTMANNI, D. & PP.

Berolini, apud Joannem Völckerum, 1699. in 4. Alph. 3. plag. 15.

MAle admodum cohærere antiquitatum Chriſtianarum memoriam, aliorum ſcriptis ad nos derivatam, eruditiſſimus Autor dum conqueritur, ejus rei cauſam potiſſimum iſti adſcribendam negligentiæ exiſtimat, quod nemo civili doctrinæ Chriſtianas origines conformarit, deque gubernandi rationibus in rebus priſcorum tradendis fuerit ſollicitus, ut *ſocietatem*, non *turbam*, ut *corpus*, non *factionem*, ut *eccleſiam*, non *tumultuarium cœtum* olim extitiſſe pateret. Sibi ergo ex muneris, quo in illuſtri Academia Regiomontana fungitur, hiſtorias pandendi ratione, id incumbere exiſtimavit, ut malo huic pro virili mederetur, eccleſiaſticamque hiſtoriam ea, quæ civili alias vulgaris, ratione delinearet, ac Chriſtianiſmum non aliam, quam ſocietatis alicujus, faciem præ ſe ferre oſtenderet. Natum inde opus, cujus aliquam tantummodo partem ſe jam exhibere teſtatur, quandoquidem in condenda antiquitatum Chriſtianarum hiſtoria non ultra ævum Conſtantini M. progredi voluerit.

Fate-

Digitized by Google

Fatetur vero, ſe non ſatis adſtipulari Centuriatorum Magdeburgenſium deſideriis, quando omnem Chriſtianorum & Hæreticorum doctrinam cum animadverſionibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ inſerendam contenderint: nihil enim aliud tunc Hiſtoriam quam Theologicam demonſtrationem aut diſputationem fore arbitratur; cum viciſſim Hiſtoricus doctrinam equidem attingat, verum nude, prout in publicis documentis extet, non explicans aut confirmans vel refellens ullum caput, niſi de teſtimonio fidei fuerit diſceptatio, aut ſingulari eventu doctrinam probari rejicive contigerit. Ipſe ergo curam iſtam abs ſe in alios devolvit, nudumque ſe acturum eſſe Hiſtoricum pollicetur. Equidem primis his, quæ perſequenda ſibi ſumit, temporibus magnam idoneorum teſtimoniorum penuriam deprehendi monet, deque ea in duabus diſſertationibus peculiaribus prolixe commentaturum ſe promittit; aſt ea tamen, quæ undique colligere potuerit, ad duo maxime memorabilium temporum intervalla reducit, quorum alterum ſub Apoſtolis primo a nato Chriſto ſeculo, alterumque ſub Epiſcopis per duo ſecula ſequentia elapſum fuerit. Statum igitur ante omnia Judaicum & Gentilem ſub Apoſtolis conſiderat, ubi nempe poſt aſcenſum Salvatoris in cœlos Gentiles legem ex natura ſolum, Judæi vero ex revelatione divina cognitam habuerint. Aſt Gentilium nihilominus ac Judæorum ſocietates tunc corruptiſſimas fuiſſe, ex multitudine ſectarum utrinque obvia probatum dat, quippe quæ non parum divinas æque ac naturales leges corruperit, prout & ſigillatim religionis ſcopus, dilectioque & contemplatio Numinis perquam male ideo curata deprehendatur. Inde Judaicæ religionis imperfectionem ad univerſum humanum genus convertendum, e Patrum quoque antiquiorum conſenſu manifeſtam reddere nititur; in Gentili vero, non obſtante Philoſophorum diſciplina, Theologiæ veræ everſionem luculentam demonſtrat. Merito itaque Apoſtolos de horum defectuum mutatione cogitaſſe monet, qui Judæis primum ac poſtea Gentilibus oſtenderint, quomodo leges naturales ac divinæ ab illis concuſſæ ſint, & qui ſcopus actionum recto Numinis cultu præcipue attingi debeat. Ex his illos, qui rebus apud Judæos & Gentiles præfuerint, ſalutaria Apoſtolorum conſilia rejeciſſe, privatis interim eadem probantibus, e quorum numero creſcente, ineunda fue-

fuerit ſocietas, ita tamen, ut hi non illico a Judæis ſeceſſionem facerent, ſed legibus patriis convenienter viverent, Gentibusque obſequium ſolito more præſtarent. At vero poſteaquam Præfecti Judæorum & Gentium ea, quæ legibus naturalibus & divinis repugnarent, imperarint, veritatisque propalationem interdixerint, cœtibus ſeorſim inſtitutis proprium Chriſtianorum nomen eos eſſe conſecutos, Tiberii forſan aut Claudii temporibus. Facta ergo ſocietate & politia quaſi aut civitate Chriſtianorum, ordinem in ea ſervandum minime deſideratum fuiſſe innuit. Summum imperium non penes homines, ſed penes leges ſtetiſſe, unde ut Judæorum Reſpublica Theocratia, ſic Chriſtianorum Chriſtocratia dici mereatur, cujus unicum caput, Rex unicus, Archipresbyter & Archiepiſcopus Chriſtus. Apoſtolos non ut Clericos ſive *ratione* officii Sacerdotalis, ſed ut fundatores & gubernatores Eccleſiarum, adeoque reſpectu officii regii, a Chriſto majeſtatem accepiſſe, iſtaque ratione Apoſtolorum ſucceſſores non eſſe Sacerdotes, ſed Chriſtianos Principes. Primam Chriſtianorum ſocietatem Hieroſolymis initam Apoſtolis imperium transſcripſiſſe, non jure cujusdam cum Chriſto cognationis, ſed merito virtutis & ſcientiæ, qua alios diſcipulos ſuperarint. Eos autem imperium geſſiſſe non diviſim, ſed conjunctim, ut collegas, aſſerit, nullamque Monarchiæ ſpeciem tunc obviam agnoſcit. Ordinem hunc Apoſtolorum Ariſtocraticum diſceſſu unius alteriusve mutatum fuiſſe negat, & imprimis Jacobi Epiſcopatum ſine collegis in urbe Hieroſolymitana adminiſtratum impugnat. Apoſtolis Diaconos adjungit & ſubordinat, ſeptuaginta Diſcipulos populo accenſet, at eos una cum Phariſæis, Sacerdotibus & Levitis ſubditos vocandos venire non concedit, quippe qui jura Politiæ exercuerint; unde Hieroſolymitanæ gubernationis formam ex Politia & Ariſtocratia mixtam fuiſſe contendit. Presbyteros Hieroſolymitanos Populari magis quam Ariſtocratico ordini annumerat, nullumque eorum peculiare *munus* agnoſcit, niſi quod in conſultationibus & judiciis populum *repræſentarint*. Extra Hieroſolymas plures mox ſocietates Chriſtianas coaluiſſe, e tot Eccleſiis paſſim celebratis colligit, licet integras civitates cum Senatu populoque fidem Chriſtianam ſeculo primo aut ſecundo amplexas fuiſſe, haud credat. De Indorum, Parthorum, Æthio-

Æthiopumve Eccleſiis nihil diſtincti aut certi ex horum temporum monumentis elici poſſe, & Africanarum nullam mentionem fieri fatetur, Aſiaticas vero & Europæas latius recenſet. Quod creſcente ubique Chriſtianorum numero, idem ordo, qui in Hieroſolymitana, etiam in aliis Eccleſiis obſervatus fuerit, indubitato prorſus affirmare non audet. Inter Gentes in gubernandis Eccleſiis quosdam ab Apoſtolis peculiariter commendatos, initio quaſi arbitro inter neophytos ceteros egiſſe, juſta autem multitudine enata eosdem Presbyterorum vel Epiſcoporum nomine ſolenniter ab Apoſtolis aut diſcipulis vicariis iisdem præfectos; formulas electionis ordinationisve ſucceſſu demum temporis, ad evitandos tumultus adhibitas; poteſtatem eligendi penes Apoſtolos & illorum diſcipulos vicarios ſtetiſſe; candidatos ex virtutis & ſcientiæ meritis æſtimatos; ſolennia oratione, jejunio & manuum impoſitione celebrata fuiſſe; alicubi Presbyteros & Diaconos ſimul, verum alibi ſolos Presbyteros repertos, quosvis autem in Eccleſiis naſcentibus pro lubitu Diaconos egiſſe extemporales; Presbyterorum & Diaconorum numerum nuſpiam definitum; Epiſcopum ſupra Presbyteros cum Diaconis ætatem hanc haud agnoviſſe, Epiſcoporumque & Presbyterorum vocabula in Scripturis æquipollere docet. Populum ait de rerum ſumma participaſſe; in Eccleſiis extra Hieroſolymas munia non fuiſſe diſtincta, ideoque idoneis promiſcue permiſſa, unde & mulieres virilia officia obiiſſe videantur; qua occaſione de viduis ſeu Diaconiſſis commentarius inſeritur. Jus etiam Chriſtianæ civitatis patuiſſe omnibus docet, quippe quod per fidei in Trinitatem profeſſionem ante Baptiſmum adipiſci quilibet potuerit. Inter ſocietates Chriſtianas diverſarum regionum confœderationem admittit, inque ea Hieroſolymitanæ, ac poſt iſtam Antiochenæ & Epheſinæ Eccleſiæ prærogativam tribuit; de aliis vero hac in parte nil conſtare putat, niſi quod in illuſtrioribus urbibus Apoſtoli diutius commorari, aut ad easdem literas peculiares exarare ſueverint. Neque tamen in hac conſideratione ulli Eccleſiæ in alteram poteſtatem conceſſam putat, ordinisque ſpecialis Diœceſanæ, Provincialis aut univerſalis confœderationis per Imperium Romanum nulla veſtigia ſupereſſe perhibet; majores autem Eccleſias Ariſtocratiam quaſi, & minores Politiam formaſſe conjicit.

Digitized by Google

His deductis ad media, quæ Societates Chriſtianas conſervarint, progreditur, interque ea primo loco nominat Chrematiſticam. Communionem bonorum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ velut propriam vindicat, eamque nec Theſſalonicenſi, nec Antiochenæ, nec Corinthiacæ communem fuiſſe largitur. Introductum poſtea monet ærarium, quo ſalaria illis, qui Eccleſiæ præeſſent, & ſtipes indigentibus ſuppeterent; ubi maxime delectum Chriſtiani habuerint eorum, quos publicis ſuſtentarint ſumtibus. Ærarium pios locupletaſſe libere & ſponte ait, ac ſub decimarum nomine tributum ullum impoſitum penitus inficiatur. Ærarii curam Rectoribus Eccleſiæ adſcribit, nec nummos ſolum, verum res quoque alias offerre uſum tuliſſe ſignificat. Alterum conſervandi Societates Chriſtianas inſtitutum facit educationem, corporis ac animi cultum reſpicientem. Ac corpus quidem in virtutum patientiam frugalitate victus & ſanctimonia, contra quam apud Gentiles, aſſuefactum; quam veſtem quis geſtare vellet, cujuslibet permiſſum arbitrio, modo ſimplex, luxusque & laſciviæ ignara ea eſſet. Pallii uſum Chriſto, Apoſtolis & Aſcetis, ſecus, quam viſum Salmaſio, abjudicat. Habitus muliebris & virilis diſcrimen allegat, velamenque mulieribus Corinthiacis a Paulo commendatum non ubivis adhibitum exiſtimat. Plus autem animi culturæ datum affirmat, anſamque inde capit ad vitam integram ſceleriſque puram, a qua Eſſeni commendentur, excurrendi. Hos quidem cum Therapeutis coincidere, adverſus Valeſium, eosque theoreticos æque ac practicos fuiſſe, contra Scaligerum, hos ab iſtis dividentem, adſtruit; ſed & de *Diſciplina arcani* adverſus Schelſtratenum diſputat, ac doctores inter Chriſtianos nil quicquam diſcendi cupidos & idoneos, ſeu Pagani illi, ſeu Judæi, ſeu Catechumeni eſſent, celaſſe obtendit. Animi culturam maxima ex parte Scripturæ Sacræ cognitione abſolutam monſtrat, ac proin de libris Novi potiſſimum Teſtamenti, eorundemque autoritate atque ordine paulo prolixiorem commentarium ſubnectit. Tertium adminiculum amicitiam appellat *civilem*, quæ & in herili, paterna & conjugali ſocietate illibata viguerit; quarum poſtrema maxime per cœlibatus exactionem ſublata aut ignominiæ expoſita nequaquam reperiatur. Digamiam ſucceſſivam nuſpiam legi cenſet prohibitam, utut monogamiæ prærogativa,

apud

apud Clericos imprimis, quamvis non per modum præcepti, ſed conſilii, aſſerta conſtet. Fraternitatis Chriſtianorum Autor hoc in loco non eſt immemor, ac uſum oſculorum, agapas item inſtitutaque alia ad eandem fovendam facientia enumerat. Quin & obedientiam Chriſtianorum erga Majeſtatem & Magiſtratus Paganorum Judæorumve vindicat. Quarto loco juſtitiam quoad commutationes, præmia & pœnas in medium profert. Damni lucrive ergo in jus vocare, non licuiſſe ſtatuit. Præmia in vivos rarius, frequentius viciſſim in mortuos collata ubi memorat, de cœmeteriis veterum Chriſtiãnorum Lectorem inſtruit, & ſepulchralia Apoſtolorum monumenta attingit; cultum autem reliquiis extra ſepulchrum exhiberi conſueviſſe, totus abnuit. Metum futuri judicii magis in officio continuiſſe Chriſtianos, quam Paganos & Judæos corporalia ſupplicia, quorum apud iſtos uſus ullus haud floruerit, unicam ſi excommunicationem exceperis; cujus modum atque rationem dilucidius heic pandit. Religio ipſi quintum eſt Societates Chriſtianas conſervandi inſtitutum, quatenus ea diverſimode exercita inveniatur, utpote circa congregationes primo & illarum loca publica, quorſum Synagogas & (quæ ipſi non diverſæ ab his videntur) Proſeuchas refert; Templorum vero magnificentiam, imo & nomen priſcis ſeculis obvium ignorat, certas tamen ædes publicis conventibus dicaſſe Chriſtianos non diffitetur. Quoad tempus, religionem primævam congregationes interdiu & noctu permiſiſſe; horarum Canonicarum tertiæ, ſextæ & nonæ obſervationem a privatorum arbitrio ortum traxiſſe reputat: ac diem Dominicum non ſtatim naſcente Chriſtianiſmo cultui Numinis ceſſiſſe autumat, ſed Sabbathum, in cujus locum ſeculo demum adulto iſte ſurrogatus fuerit; Paſchatis & Pentecoſtes feſtum diei Dominico & Sabbatho aſſociat, iſtud autem ab Apoſtolis autoribus ut derivetur, haud concedit; Nativitatis Chriſti feſtum in ſeculi ſecundi monumentis primum memorari, hocque ipſo legitima & ſtata jejunia, quæ porro deſcribit, cœpiſſe obſervat. Religionem circa agenda declaratam conſtitiſſe ait in precibus primum, dehinc in lectione Scripturæ & ejusdem interpretatione, itemque in Euchariſtiæ celebratione, circa quæ ſingula ulterius occupatur. Baptiſmum in congregatione adminiſtratum removet; Chriſmatis

Digitized by Google

uſum Apoſtolis multo recentiorem conſtituit, manuumque in Baptiſmo impoſitionem ab aliis plane, quam ab his, derivat. Religionem circa perſonas, quæ ſacris publicis interfuerint aut præfuerint, dum excutit, neminem, cujuscunque ſexus aut ætatis, a congregatione arceri ſolitum probat, perſonarum vero ſacra, & Euchariſtiam cumprimis, tractantium obſcura indicia ſupereſſe dolet. Omnibus fuiſſe facultatem datam innuit donis, quibus quisque polleret, in congregationibus utendi, quamvis citra ullam confuſionem, impoſito cæteroquin mulieribus ſilentio. Inſtrumentorum ornamentorumque religionem quod concernit, panis inter alia Euchariſtici meminit, eumque ſub primordia Eccleſiæ obvium quemvis, ſive azymum ſive fermentatum, eſſe potuiſſe dicit, ſed deinceps ob Judaizantes, rejecto azymo, fermentatum ſolum obtinuiſſe, & ſolidum quidem, non foliaceum aut bracteatum. Habitum ſacra adminiſtrantium peculiarem haud facit. Thymiamata, quæ Canones Apoſtolorum vocitent, nullos tum ſparſiſſe vult odores. Menſarum ſuffeciſſe miniſterium, altaribus ne ſeculo quidem ſecundo cognitis. Vaſa conſecrata nulla, nedum argentea aut aurea comparuiſſe; luminaria nonniſi veſperi aut noctu arſiſſe; nulla ſeu ſtatuarum ſeu imaginum ſimulacra, nullos ſuggeſtus, nulla ſubſellia, nullas Apoſtolorum cathedras admittit. Ad pacem denique & bellum, tanquam ad ſextum Societates Chriſtianas conſervandi inſtitutum properans, Judæos velut perſecutionum contra Chriſtianos exortarum autores accuſat, cauſasque illorum in hos odii indagat; mox mota Paganorum adverſus Chriſtianos bella contemplatur, ultimoque Hæreticorum & Schiſmaticorum impugnationes nominat; ubi ſimul Hæreſeologorum vitia taxat, quando videlicet præter rem innocua vitæ inſtituta, errores qualescunque, Judæorum & Paganorum pravas ſententias aut ſuperſtitiones, Magorum itidem, Atheorum & impoſtorum præſtigias, in hæreſium numerum referant, & unam harum claſſem conſtituant, *cum tamen* Hæretici, qui regulam fidei ſive Symbolum Apoſtolicum tenuerint, adeoque non opus habuerint rebaptizari, ab aliis diſcernendi veniant, qui haud iſtius generis fuerint, niſi forſan iſtos numero Hæreticorum prorſus eximere, & inter errantes aut diſſidentes collocare volueris. Sed & multas ſæpe hæreſes ad unam referri

Digitized by Google

ri poſſe ait, inglorias & turpiſſimas omitti optat, & quæ ſunt alia. Ante Concilium Nicænum Scripturæ tantum, non Patrum autoritate adverſus hæreſes pugnatum, ſed poſt Concilium & ad horum conſenſum provocari cœptum eſſe docet, non tamen, ut κατ᾽ ἀλήθειαν ex illo certi quid demonſtraretur, ſed ut Hæretici κατ᾽ ἄνθρωπον facilius refellerentur. Chriſtianorum interea in fugienda Hæreticorum converſatione prudentiam, Apoſtolorumque vigilantiam extollit; hisque ipſis remediis, poſt ſchismata quoque ſuppreſſa, virginale decus Eccleſiæ illibatum manſiſſe innuit. Addit denique anacephalæoſin cum criſi, quod Evangelici multo propius ad Chriſtianorum primævorum mores accedant quam Pontificii, idque e collatis iſtorum inſtitutis cum ſuperioribus Apoſtolici ævi pariter & cum Pontificiorum in Concilio Tridentino placitis evictum dat.

JO. SCHILTERI DE PACE RELIGIOSA LIBER SINGULARIS. Acceſſerunt Acta, Conſilia, Reſponſa & ſimilia hoc argumentum illuſtrantia.

Argentorati apud Jo. Reinh. Dulſſecker, 1700. 8. Alph. 1. pl. 8.

DUm Pacis Religioſæ, occaſione Reformationis in Germania factæ, hiſtoriam ac moralitatem Illuſtris Auctor perſecuturus eſt, initio quidem præſupponit, Eccleſiam tam internam, quam externam, eſſe unam, eamque unitatem per unionem Eccleſiæ cum Republica, imperante Conſtantino M. magis fuiſſe ſtabilitam, ac in Occidente per generalia Concilia, & Imperatorum atque Regum manutenentiam, usque ad Sec. XVI conſervatam. Hinc ob ſubingreſſos abuſus in doctrina & diſciplina, Reformationem diu deſideratam primo privatim, mox publica etiam autoritate cœpiſſe; & primo quidem modum reformandi ſine ſchiſmate placuiſſe, ſed Aula Romana abuſus pertinaciter defendente, ſchiſma ſecutum eſſe, quod adeo illi, non Proteſtantibus imputandum ſit. Ab hoc tempore res ad bellum ſpectavit, quo etiam ſecuto, auſpiciis Electoris Mauritii tandem *Pacem Religioſam perpetuam* eſſe obtentam, Noſter amplius oſtendit, eamque recte etiam *publicam* vel *civilem* dici, inſuper docet. Explicata ita generaliter in cap. 1. Pacis Religioſæ origi-

origine & natura, deinde ejus hiſtoriam & tenorem ſpecialius perſequitur cap. 2. Quid igitur in Comitiis Noricis, A. 1524 celebratis, eo nomine actum ſit, per excerpta Receſſus proprii indicat, eaque obſervationibus aliquot illuſtrat; inde acta ſequentium Comitiorum, inſperſis pro re nata documentis publicis, pertexit usque ad annum 1532, quo prima Pax Religioſa Norimbergæ die 23. Julii, durantibus Comitiis Ratisbonenſibus confecta eſt, cujus formulam, cum in corpore Receſſuum Imperii non exſtet, ex Goldaſto exhibet, additis pro ejus illuſtratione diverſis monitis. Hinc novæ lites oriebantur, inprimis vero contentio inter Ferdinandum & Jo. Fridericum, de illius in Regem Romanorum electione, exiſtebat, quæ res conventui & transactioni Cadavienſi occaſionem præbuit, cujus formulam Germanicam ex Hortledero, notulis hinc inde inſperſis, Noſter adducit. Inter alia vero abolitionem proceſſuum Cameralium in cauſis religionem concernentibus illa continebat, ſed Camera neglectis inhibitionibus perſeverabat; hinc eam Proteſtantes velut judicium ſuſpectum recuſabant, ex quo nova litigia aliique conventus propullularunt, quæ usque ad transactionem Paſſavienſem, A. 1552. d. 2. Aug. initam, Noſter perſequitur, addita ejus formula Latina. Iſta transactio in Comitiis præcipue Auguſtanis A. 1555 unanimi conſenſu confirmata eſt, unde tandem ſalutaris Pax Religioſa prodiit, quam integram ex Receſſu proprio Noſter recenſet, adjuncto ex Pace Weſtphalica aliquo ejus ſupplemento & confirmatione. In cap. 3. juſtitiam Pacis Noſter deducturus, primo quidem generales quasdam aſſertiones, ex quibus applicatio deinde facienda ſit, profert; nempe ſummam in Republica Poteſtatem poſſe & debere religionem, quam veram, cauſa ſatis cognita, judicat, præcipere, & falſam ac ſeductoriam prohibere & non admittere. Quod ſi illa officium negligat, iſtam curam ad Superioritatem territorialem devolvi; hac etiam muneris ſui oblita, quemvis ſubditorum teneri verum ſalutis medium indagare & amplecti. Porro jus & obligationem conſervandi veram & puram religionem, quoad ſummam Poteſtatem, eo etiam extendi, ut Doctores falſæ religionis, cauſa ſatis cognita, ejicere, eosque in caſu contumaciæ aut blasphemiæ, pœna condigna, etiam capitali, cum hæreſi accedat crimen publicum læſæ Majeſtatis divinæ aut humanæ,
affi-

afficere debeat; denique ad totam provinciam obligationem illam pertinere, ea ratione, ut exercitium publicum heterodoxæ religionis in illa haut ſit tolerandum, ſed potius provinciales ad media legitima, quibus orthodoxa religio agnoſci poſſit, adigantur; nam nec jus divinum omnem vim externam excludere, & hac ratione Conſtantini M. ſucceſſores, nec non Carolum M. paganiſmum ſuſtuliſſe; quamvis de tolerantia amplius ex diverſitate religionis receptæ & recipiendæ, impuræ & falſæ, judicandum eſſe arbitretur. Poſtea in ſpecie diluit Noſter dubium a defectu conſenſus Clericalis petitum, exiſtimans conſenſum Cleri Germanici conventionibus religioſis acceſſiſſe, Sedis Romanæ autem approbationem haut eſſe neceſſariam; cum pacem religioſam facere, non ſit actus juris ſacrorum; nec enim circa ipſam religionem articulos ejus occupari, ſed diſſentientium ſaltem tolerantiam civilem. In cap. 4. articulum XVIII Pacificationis Religioſæ, ſeu Reſervatum Eccleſiaſticum expendit Noſter, ejusque hiſtoriam ex autoribus propriis vel indicat vel exponit, in ſpecie docens, quod Legati Proteſtantium in Comitiis Auguſtanis A. 1555 ſuo non ſatisfecerint officio, dum Receſſum ſubſcriptione ſua quoad omnia puncta pure receperint, cum tamen, vel ex propria confeſſione, debuerint contra declarationem Regiam proteſtari; porro, quod rectius acturi fuiſſent Status Proteſtantes, ſi conſilium Lutheri, quod in prima pacificatione religioſa Norimbergenſi dederat, ſecuti, controverſiam de Epiſcoporum reformatione in Epiſcopatibus ſuis plane omiſiſſent, nec intempeſtiva admonitione Reſervato Eccleſiaſtico occaſionem præbuiſſent. In cap. 5, quid pro libertate ſubditorum quoad amplectendam Proteſtantium religionem, & contra iniquioris emigrationis neceſſitatem, irrito tamen fere conatu, actum ſit, breviter recenſet. In cap. 6. circa extenſionem Pacis Religioſæ ad Reformatos occupatur Autor Clariſſimus, & ab initio quidem, dubiis velut votis de excluſione vel admiſſione Reformatorum certabatur, donec hi per Formulam Concordiæ, ab Auguſtana Confeſſione penitus excluderentur: tum enim animoſius Pontificii pacis religioſæ communionem negare Reformatis, hi contra potentia aucti, vehementius eam ſibi aſſerere cœperunt, ſecutoque ferali bello civili, hoc porro egerunt, ut lege publica Religio reformata palam probaretur, quod etiam,

obni-

Digitized by Google

obnitentibus licet aliquamdiu adverſariis, tandem in Pace Weſtphalica obtinuerunt. Cum autem Proteſtantes conventionibus religioſis plura bona eccleſiaſtica conſecuti ſint, inde Noſter cap. 7. occaſionem ſumſit diſquirendi, an etiam habeant jus illa ſeculariſandi ſeu ad uſus ſeculares adhibendi? Regulariter id negat, cum illa bona ſint extra commercium privatorum, & dominium eorum ad Eccleſiam pertineat, adeoque inde fluat regula: *Bona Eccleſiaſtica ab uſu ſacro, cui in perpetuum appropriata, invita Eccleſia ſua aut ſocietate Eccleſiaſtica, ad uſus profanos repeti, h. e. ſeculariſari non poſſe, ſed ſuum Eccleſiæ relinquendum*; quam deinde varie ampliat, reſtringit ac contra objectiones, a dominio illarum rerum, libertate Eccleſiæ, a fundatione bonorum ſuperſtitioſa, erronea, idololatrica, a doloſa illorum acquiſitione, luxurioſa ac perdita Cleri adminiſtratione, ab Imperatorum bona ſacra Gentilium fiſco vindicantium exemplo petitas, defendere nititur. In cap. 8. confirmationem pacis religioſæ Osnabrugenſi Pacificatione factam adducit, ac partitim hujus Artic. V. exponit, inter alia obſervans, quod ex ſancita inter Status Pontificios & Proteſtantes æqualitate, ſequatur, hos etiam ſolii Imperialis capaces eſſe, ſecus ac ſcriptori Gallico, Caninio viſum fuerat. Tandem in cap. 9. quæſtiones dubias, quæ ex pace Religioſa & Osnabrugenſi oriundæ, deciſionem in Comitiis adhuc deſiderent, ex Legati cujusdam, A. 1652 ad Comitia Ratisbonenſia miſſi, inſtructione recenſet, quidque ſibi circa illa dubia videatur, inſperſis notis oſtendit. In majorem tractatus, breviter hactenus relati, illuſtrationem, adjecit Celeberrimus Autor diſſertationem Academicam, ſolenniter defenſam a Nobiliſſimo Domino Philippo Jacobo Reinhardo, de Termino a quo Reſtitutionis Bonorum Eccleſiaſticorum ad Inſtr. Pac. Weſtph. art. 5. §. 2. in qua id demonſtrandum ſibi ſumſit, ſanctionem illam pertinere ſolum ad Pontificios & Proteſtantes inter ſe ſpectatos, nec non ad bona poſt pacem religioſam occaſione Reformationis occupata. Denique Actorum miſcellorum ad pacem religioſam facientium adjunctione toti labori finem impoſuit.

Digitized by Google

Des Chur- und Fürſtlichen Hauſes Sachſen *ANNALES &c.*

i. e.

ELECTORALIS DUCALISQUE DOMUS SAXONICÆ ANnales, ab A. 1400 ad A. 1700. Auctore JOH. SEBASTIANO MULLERO.

Vinariæ, ſumptibus Joh. Ludovici Gleditſch, Bibliopolæ Lipſienſis, 1700. fol. Conſtant Alph. 9 & plag. 14.

QUanto pauciora extant Saxonicæ Hiſtoriæ monumenta, quæ quidem quantivis videri poſſint pretii: tanto majorem apud omnes gratiam Clariſſimum Auctorem exiſtimamus initurum, qui non juſtis quidem commentariis Hiſtoriam hanc contexuit integram, attamen trium noviſſimorum ſeculorum memorabilia, Annalium in modum, inſigni hoc opere eſt complexus. Neque vero eſt, ut quis arbitretur, non niſi tempeſtates, incendia, inundationes aquarum, peſtilentias, illata ſontibus ſupplicia, ſimiliaque alia, ut fieri fere ſolet in vulgaribus Chronicorum libris, in eo enarrari, ſed Principum potius natales, cretiones ditionum, conjugia, tabulas dotales, peregrinationes, pacta, fœdera, teſtamenta, deceſſus, funera, & quæ ſunt alia pragmatici generis, ſtudioſe annotanda, non neglectis tamen plane reliquis, diligentiſſimus Auctor ſumpſit, & inveſtiturarum inprimis feudalium ſolennia, ceremoniasque alias inter Principes uſu receptas, at pro temporum ratione mutationibus obnoxias, ea accuratione recenſuit, ut videri jure meritoque poſſit, non Chronicon ſolum, ſed vel maxime *Ceremoniale Saxonicum* exhibuiſſe. Nec quæ in eo literis conſignata deprehenduntur, ex vanis rumoribus famaque ſubinde fallaciſſima, aut libellis trivialibus hauſta ſunt, ſed magnam partem ex chartophylaciis ſecretioribus Principum deprompta; cum ea Auctori felicitas obtigerit, ut non ſolum ultra quadraginta annos Archivo, tum quod Sereniſſimæ Domus Saxonicæ Stirpi Erneſtinæ commune eſt, tum quod Vinarienſibus & Iſenacenſibus Ducibus proprium, præfuerit, ſed occaſionem quoque nactus fuerit, commune univerſæ Domus Saxonicæ Archivum, quod Wittenbergæ cuſtoditur, perluſtrandi, atque ex eo obſervandi, quæ ſuo inſtituto inſervirent. Quæ cum ita

 ſint,

Digitized by Google

ſint, neminem futurum arbitramur, qui non præclara quæque ex hoc opere ſibi polliceatur. Nos vero ex tanta rerum notabilium, quæ obviæ in eo ſunt, copia, pro inſtituti noſtri ratione nonniſi pauciſſima quædam, ſpeciminis in modum, delibabimus.

Ad A. 1414 notat Auctor, Flagellantium hæreſi Thuringiam quoque infectam fuiſſe, treſque illorum, quod renuntiare errori præfracte abnuerent, vivos Sangerhuſæ combuſtos. Ad A. 1419 obiter monet, celebrem Franconiæ urbem ac Epiſcopatus ſedem, Herbipolim hodie vulgo dictam, olim non Würtzburg/ quaſi ab herbis aut aromatibus, ſed Wirthsburg ſeu *Virorum Caſtellum* (voce enim Wirth quemlibet patremfamilias deſignari) appellatam fuiſſe. Ad A. 1436 & ſequentes de *Sigismundo* Friderici Bellicoſi filio, Friderici Placidi & Wilhelmi fratre, memorat non ubivis forte obvia: Principem nimirum monialis cujusdam nobilis amore incenſum, ut eo ſecretius illi indulgeret, Sacerdotali ordini ſe addixiſſe, a Martisburgenſi Epiſcopo ſolenniter initiatum: mox, cum clandeſtini amores erupiſſent, captum a Fratribus, Friburgique datum in cuſtodiam: eorundem tamen ſtudio A. 1441 ad Epiſcopatum Herbipolitanum promotum, ſed poſtquam illum triennio poſt, regimini forte impar, aut vi majore compulſus reſignaſſet, a Fratribus in cuſtodiam retractum, inque ea Scharfenſteinii primum, poſt Rochlitii, ad A. 1464 usque, quo ex hydrope deceſſit, habitum. Ad A. 1477 originem refert *Advocatiæ Abbatiatus Quedlinburgenſis*, occaſione diſſidiorum inter Abbatiſſam Hedwigem, Erneſti & Alberti Saxoniæ Ducum ſororem, & civitatem Quedlinburgenſem exortorum, Saxonicæ Domui vindicatæ. Erneſtum enim Electorem, ut ſorori velificaretur, urbem obſediſſe, expugnaſſe, diripuiſſe, ſtatua etiam Rolandina, libertatis monumento, everſa: viciſſim Hedwigem fratribus Erneſto & Alberto Advocatiam Quedlinburgenſem in feudum jure perpetuo conceſſiſſe; tametſi id non niſi improprie & abuſive feudum dici, & hoc loco Auctor monet, & ad A. 1695 uberius declarat. *Peregrinationes* a Saxoniæ etiam Ducibus *in Palæſtinam*, ad inviſendum Sanctiſſimi Servatoris noſtri, quod creditur, ſepulchrum, pro temporum illorum curioſitate dicam an religione ſuſceptas, & Wilhelmi III quidem ad A. 1461, Alberti Animoſi ad A. 1476, Friderici Sapientis Electo-

Electoris ad A. 1493, ſtudioſe enarrat, ſingulorum etiam comitatu, tantis Principibus digno, accurate deſcripto. Ad A. 1519 memorat, Electorem Saxoniæ *Fridericum Sapientem* unanimi cæterorum Electorum ſuffragio Francofurti Imperatorem Romanum fuiſſe deſignatum, inque ea ſententia per integrum triduum Electores perſtitiſſe; aſt conſtanter ac generoſe ſupremam hanc dignitatem, ob ingraveſcentem ætatem, declinaſſe Fridericum, commendato potius enixe Carolo Auſtriaco, & titulo tantum *Imperii Locum Tenentis Generalis* (quippe quo uſus, etiam in moneta publica, jam ſub Maximiliano fuerat) usque dum viveret, ſibi reſervato. Unde & Carolus V axioma hoc ipſi perpetuo tribuerit: dem Hochgebohrnen/ unſerm lieben Oheim/ Churfürſten/ Rath/ und Stadthalter/ General Friedrichen/ Hertzog zu Sachſen. Ad A. 1538 monet, Johannem Fridericum Electorem Saxoniæ *Burggraviatum Magdeburgicum*, quem Saxoniæ olim ex ſtirpe Anhaltina Electores civitati Magdeburgenſi pro 22000 florenis aureis Rhenanis oppignoraverant, reluiſſe & Burggravii etiam reſumpſiſſe titulum. Magnum fuit in his ditionibus *Georgii Barbati* Ducis Saxoniæ, Alberti Animoſi ex Zedena Bohemica filii, nomen, tum ob amplitudinem regionum quas poſſidebat, tum maxime quod Vatiniano odio & beatum Lutherum & omnes Evangelicam fidem profeſſos proſequeretur. Nobis ex Auctore ad A. 1537 & 1539 duo de illo annotare liceat. Primum eſt, quod paulo ante obitum ſuum, impediturus ne ad fratrem Henricum Pium Evangelica religione imbutum ditiones devolverentur, filio unico, quem ex pluribus habebat ſuperſtitem, Friderico, triginta quinque tum annos nato, hebetis licet ingenii Principi & ad regnandum parum idoneo, non conjugem ſolum conciliaverit Eliſabetham, Erneſti Mansfeldenſis Comitis filiam, Romano-Catholicæ religioni addictiſſimam, ſed & provinciarum regimen vivus tradiderit, adjunctis tamen, qui conſiliis ejus moderarentur, quindecim Nobilibus, quatuor Sacerdotibus & octo Senatoribus oppidanis: tametſi omne inſtitutum mox evanuit, Friderico improviſa morte extincto. Alterum eſt, quod idem Georgius, quantumcunque in Evangelicam fidem odium toto vitæ ſuæ decurſu eſſet profeſſus, tamen & filium alium Johannem A. 1537 defunctum, cum in extremis eſſet,

Fff 2 non

non confidere meritis operum ſuorum, non Sanctorum invocare opem, ſed in ſolum Chriſtum mundi Servatorem fiduciam omnem collocare juſſerit, & ipſemet A. 1539 jam moribundus ſpem omnem ſalutis unice in Jeſu Chriſti paſſione & morte repoſuerit. Ad A. 1566 & 1567 Hiſtoria proſcripti cum Wilhelmo Grumbachio ejusque complicibus *Johannis Friderici II* Saxoniæ Ducis, executionis Auguſto Electori Saxoniæ a Cæſare demandatæ & ab illo ſuſceptæ, Gothæ urbis cum arce Grimmenſtein obſeſſæ adque deditionem adactæ mœnibusque ſpoliatæ, captivitatis Joh. Friderici, ſupplicii de proſcriptis reliquis ſumpti, late accurateque traditur, ſed quam huc tranſcribere prolixum nimis foret. Cum A. 1609 Joannes Wilhelmus, Dux Juliaci, Cliviæ & Montium, nullis relictis liberis deceſſiſſet, & Sereniſſima Domus Electoralis ac Ducalis Saxonica in has iisque annexas ditiones jus ſuum dudum acquiſitum tueri atque proſequi conſtituiſſet, ſplendida *Legatio* univerſæ Domus nomine ad Galliæ, Magnæque Britanniæ Reges, Albertum & Iſabellam Belgii Hiſpanici Principes, Fœderati Belgii Ordines, Electorem Moguntinum, Ducemque Lotharingiæ decreta ſuſceptaque fuit, cujus ſucceſſum & ſervata ubivis ſolennia diligentiſſimus Auctor ad A. 1609 & 1610 accurate enarrat. Quemadmodum nec referre omittit, quibus ceremoniis Imperator Rudolphus II Pragæ *Chriſtiano II* Electori Saxoniæ univerſæque Domui, in præſentia Moguntini & Colonienſis Electorum, aliorumque Imperii Principum, inveſtituram Juliacenſium annexarumque ditionum, titulorum item ac inſignium contulerit; nec non quo ritu in Aula Bruxellenſi Sereniſſimæ Domus Legatus, Petrus Fuxius, Brabantinis feudis, quæ Duces Juliacenſes poſſederant, fuerit inveſtitus. Quæ omnia lectu gratiſſima iis ſunt futura, qui aut curioſitate ſua, aut ipſa neceſſitate ad pragmatica hæc talia noſcenda impelluntur. Ad A. 1614 conventus ille ſolennis a Potentiſſimis Germaniæ Domibus, Saxonica, Brandenburgica & Haſſiaca, Numburgi hoc anno, *renovandæ unionis hæreditariæ* cauſa, celebratus operoſe deſcribitur, Aulicorum etiam cæterorumque omnium, quos in comitatu Princeps quisque ſecum adduxerat, annotatis nominibus. Fuere autem præſentes e Domo quidem Saxonica Elector *Johannes Georgius I*, qui comitia indixerat, ejusque frater Dux *Auguſtus*, *Johannes Ca-*

ſimirus

Digitized by Google

ſimirus Dux Saxoniæ Coburgenſis, *Johannes Erneſtus* ſenior Dux Saxoniæ Iſenacenſis, *Joannes Erneſtus* junior, *Fridericus*, *Wilhelmus*, & *Albertus* Duces Saxoniæ Vinarienſes, *Johannes Philippus* & *Fridericus* Duces Saxoniæ Altenburgenſes: ex Brandenburgica Domo, *Johannes Sigismundus* Elector, ejusque filius *Joachimus Sigismundus*, nec non ejusdem patrui *Georgius Albertus*, *Sigismundus*, atque *Johannes*, *Chriſtianus* item Marchio Brandenburgo-Baruthinus, Marchio *Johannes Georgius* Jägerndorfenſis, & Marchio *Chriſtianus Wilhelmus* Magdeburgenſis Archiepiſcopus: ex Domo denique Haſſiaca *Ludovicus* Landgravius Haſſo-Darmſtadinus, *Philippus* Landgravius Butzbachenſis, & *Fridericus* Landgravius Homburgicus; nam Mauritius quidem Landgravius Haſſo-Caſſellanus Legatum Ottonem Starſchedelium miſerat. Nobis ex pluribus notatu dignis, quæ in tam ſplendida tot Principum congreſſione contigerunt, id unum obſervaſſe ſuffecerit, quod die 30 Martii inter tres Sereniſſimas Domus *Unio Hæreditaria*, (die Erb-Einigung) die 1 Aprilis vero *Confraternitas Hæreditaria* (die Erb-Verbrüderung) ſeu pactum mutuæ ſucceſſionis nonniſi inter Domus Saxonicam & Haſſiacam ſolenni ritu fuerit inſtaurata, & a cunctis, niſi qui jam olim in conventu Numburgenſi A. 1587 celebrato id jam præſtiterant, jurejurando confirmata. Hinc enim non obſcurum eſſe arbitramur, Unionis quidem hæreditariæ, non item Confraternitatis (quæ a nonnullis videas confundi) Serenisſimam Domum Brandenburgicam eſſe participem. Tametſi enim jam A. 1457 Domus Saxonica & Haſſiaca hæreditariam etiam Confraternitatem cum Brandenburgica Domo ferantur iniviſſe, & in Conventu inprimis Numburgenſi A. 1587 a trium Domuum Conſiliariis certa talis Confraternitatis ſeu pacti de mutua ſucceſſione formula non concepta ſolum, ſed & ſubſcripta fuerit, ejusque confirmatio a Cæſare petita, ut res confecta videri poſſet; negotium tamen hoc ad omnimodam perfectionem deductum non fuiſſe, eventus docuit. De Illuſtriſſimo etiam in Germania Ordine Palmari ſeu *Societate Fructifera* (der Frucht-bringenden Geſellſchafft) decori & puritati linguæ Germanicæ conſervandæ inſtituta, hic illic quædam ab Auctore notata deprehenduntur. Ad annum enim 1617 primam ejus originem refert, quo tempore caput Ordinis ſeu Director Ludovicus Princeps Anhaltino-Cœthenſis conſtitutus eſt: ex quo obiter

obſervare nobis liceat, Societatem hanc integros ſeptendecim annos prævertiſſe Academiam Francicam hodieque florentiſſimam, pari inſtituto, ad promovendum nempe Gallicæ linguæ cultum, Cardinalis Richelii auſpiciis A. 1635 Pariſiis ſtabilitam. Ad annum vero 1651 memorat, ut poſt Ludovici Anhaltini obitum, regimen Ordinis a viginti quatuor Sociis ſenioribus Wilhelmo Duci Saxo-Vinarienſi ſolenniter fuerit collatum. Aſt quod maxime ad Societatis ſplendorem decusque pertinet, ad A. 1658 accurate exponit, quibus ceremoniis ipſe Saxoniæ Elector *Johannes Georgius II*, cum Purpuratorum, qui præſentes erant, præcipuis, in Ordinem hunc Vinariæ a Wilhelmo Duce fuerit receptus. Qua occaſione temperare nobis non poſſumus, quin Germaniæ Principes ac Proceres publico, ſi fas eſt, nomine rogemus ac obteſtemur, ut laudabile Majorum ſuorum inſtitutum ſtrenue proſequantur, nec inſignem *illam* Societatem patiantur intermori. Ad A. 1672, quo Senatui civibusque Weiſſenfelſenſibus confirmata a Ducibus Saxo-Vinarienſibus immunitas a vectigalibus per univerſam Thuringiam memoratur, videas occaſionem acquiſiti olim hujus privilegii, nempe quod ad liberandum e carcere Gibenchenſteinenſi Ludovicum Thuringiæ Comitem, cognomine Saltatorem, majores eorum pluſculum contuliſſent, exponi. Sed hæc ſpeciminis loco ſuffecerint.

Duo tamen monenda ſuperſunt. Unum eſt, quod Clariſſimus Auctor exhibuerit hoc opere Tabulas Genealogicas Sereniſſimæ Domus Saxonicæ, omnium quæ hactenus prodierunt, accuratiſſimas locupletiſſimasque. Alterum quod indices operi ſubjecti ſint ampliſſimi & diligentia plane inuſitata confecti.

HISTORIA FLAGELLANTIUM.

Pariſiis, apud Joannem Aniſſon, 1700. in 12. Plagulæ 16.

ISTud equidem longius ab ſe abeſſe cupit hujus, qui nonnullas nuper in Gallia turbas dedit, libelli Autor anonymus, ut adverſus corporis auſteritatem ſtylum ſuum exerceat, aut in varias ac diſcrepantes attenuandæ libidinis aut emaciandæ carnis artes calamum ſtringat; ſed eam modo defendendam ſibi ſumit ſententiam, penitus ignotas atque inauditas fuiſſe vernantibus Eccleſiæ diebus ſpontaneas flagellationes, quibus pœnitentes vibicibus tergora ſua quaſi

quaſi conſcribillent, aut propria manu nates inhoneſtis ſcuticis, funiculis nodoſis, aut virgis vimineis cruentent. Quod ut perficiat, nulla primo iſtius diſciplinæ in ſacris literis occurrere veſtigia obſervat. Nam quæ de Iſraëlitis Ægyptiorum flagellationibus expoſitis Exod. V, 14 memorentur, huc minime trahenda exiſtimat, vel ideo, quod præter voluntatem ſuam ab aliis iidem cæſi fuerint. Deum vero plagas transgreſſoribus ab aliis infligendas Lev. XIX, 20. Deut. XXV, 2.3. ſatis temperaſſe, ac omnem fœditatem inde exurgentem ſerio vitandam injunxiſſe monet. At viciſſim fieri haud poſſe addit, quin fœde lacerati ſanieque & tabo lividi videantur plures in monaſteriis ſeu aſceteriis, in quibus ſingulis hebdomadibus ter aut quater horrenda flagrorum crepitacula exaudiantur. Legem Moſis abrogatam eſſe, iſtisque præceptis judicialibus neminem e Chriſtianis teneri, ſi quis fortean objecerit, ſupervacaneum id eſſe reſpondet, cum ratio legis hujusmodi ex viſceribus juris naturalis neutiquam violandi, & noſtra æque ac Moſis ætate obſervandi, derivetur. Quæ de ſe David Pſ. LXXIII, 14 perhibeat: *& fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis*, id ſenſu figurato dici notat, de tribulationibus nempe & calamitatibus, quibus juſti quotidie afficiantur. Inſuper nec hoc ſilentio prætereundum autumat, quod Eſſeni ſeu Therapeutæ, qui inter vetus & novum Teſtamentum medii, domandæ quidem carnis artibus multum floruerint, flagellationum tamen uſum penitus repudiarint. Verum iſtud haud diſſimulat, apud Judæos ab eo tempore, quo Talmud Babylonicum conſcriptum fuerit, anno puta Chriſti 476, quandam ſpontaneam flagellationum ſpeciem obtinuiſſe, dum poſt peractas preces & peccatorum confeſſionem, alter ab altero in comitio Synagogæ vapulare ſcuticisque cædi ſueverit. At enim vero nec propria manu inflictas hasce flagellationes, nec a ſuperſtitione alienas fuiſſe regerit. In ſacro Novi Teſtamenti codice quinquies memorari flagella Chriſto inflicta, ſed invito, & verbera non ſecus ſuſtinenti quam ipſam mortem, ad quam usque Patri juſte judicanti factus fuerit obediens; quinque autem aliis in locis, utpote Joh. II, 15. Act. V, 40. II. Cor. VI, 5. XI, 24. 25. & Hebr. XI, 36. eadem repugnantibus quam maxime obtigiſſe, nulli non patere oſtendit. Ὑπωπιασμὸν Paulinum, 1. Cor. IX, 27, qui aliquod heic

faceſ-

faceſſere poſſe videatur negotium, minime pro flagellatione, ſed pro laboribus potius, inedia, vigiliis ac caſtigationibus aliis, quibus Paulus corpus ſuum cohibuerit, habendum arbitratur, Græcosque non minus ac Latinos Patres, Irenæum, Chryſoſtomum, Theodoretum, Baſilium M. Iſidorum Peluſiotam, Oecumenium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Fulgentium, Paulinum, Gregorium M. idem ſtatuere, quin & Petrum Chryſologum, cujus autoritatem contrariæ ſententiæ patroni jactent, ab hac mente haud alienum fuiſſe contendit. Ad Ethnicos proinde primam flagrorum ſpontaneorum labem refert, apud quos, præter flagellationes non voluntarias, tyrannidis ſigna & autoritatis prætorialis in ſervos ſubditosque terriculamenta, ſpontaneæ etiam receptæ uſu fuerint; quandoquidem & Tertullianus celeberrimum apud *Lacedæmonios* diem feſtum, *διαμαστίγωσιν* nuncupatum, & Artemidorus generoſos in Thracia adoleſcentes haud citra ſuam voluntatem flagris cæſos, & Plutarchus Zopyrum, exercitus ducem, verbera ſibi manu ſuapte infligentem, & Moſonius apud Stobæum pueros hac flagellatione lætantes, aliique alia huc pertinentia commemorent. Quid? quod & Romæ flagratores, genus hominum, qui mercede flagris cæſi fuerint, extitiſſe, Sextus Pompejus Feſtus animadverterit. Ejusmodi ergo conſuetudinem eo magis exoſam fuiſſe dicit Chriſtianis, quo magis eam iſti a Gentilibus frequentari intellexerint: unde ſi legantur epiſtolæ Ignatii martyris, *apologiæ* Juſtini, omnes Canones Apoſtolorum nomine inſcripti, *attributæ Clementi* Romano conſtitutiones, Origenis Adamantii *opera omnia*, *Clementis* Alexandrini Stromata, Euſebii Cæſareenſis, Chryſoſtomi, Gregorii Nazianzeni & Nyſſeni, Baſilii Magni & Seleucienſis, ac generatim omnia Græcorum Latinorumque ſcripta, nulla penitus occurrant iſtiusmodi flagellationum, propria vapulantis manu inflictarum, aut ab aliena voluntarie libenterque receptarum veſtigia. Exacerbationem potius flagrorum, quibus primis Eccleſiæ *temporibus* Romano more ſervos, & Auguſtini ævo hæreticos *afficere* inſolens haud fuerit, multis modis Chriſtianos præſules *virosque* graves alios ad mitius moderamen revocaſſe *probat*, idque & in flagellandi jure ab Epiſcopis ad Abbates & Præpoſitos monaſteriorum, ut ſontes emendarentur, delato utramque paginam feciſſe ſuper-

ſuperaddit. Allegatos apud Joannem Climacum ſolitarios, qui ſemetipſos diverberarint, ex Latina verborum ejus verſione a Græco textu plane diſcrepante prognatos, & Cyrillum Alexandrinum in verbis, ἑαυτοὺς γὰρ αἰκιζόμενοι, non de flagellantibus, ſed affligentibus & dolore luctuve ſemetipſos afficientibus locutum judicat, cum genuina hæc verbi *αἰκίζω* ſit ſignificatio. Pectoris verbera, quæ ex Hieronymo aliqui objiciant, de pectoris percuſſione, trita illa & vulgari pœnitentium conſuetudine, exponit. Theodoretum, Cyri Epiſcopum, dedita opera ſcripſiſſe hiſtoriam religioſam, in qua triginta vitas referat ſolitariorum Orientis, qui ſe carnis vexationibus & auſtera vita ſupra vires prope humanas intenſa illuſtres fecerint, neminem tamen horum nominare, qui ſe flagello aut ſcuticis verberarit. In vita Pardulphi circa A. C. 737 clari, quam, poſt Hugonem Menardum, Phil. Labbe ediderit, memorari concedit inter alia, tempore quadrageſimæ nudatum toto corpore Pardulphum a quodam diſcipulo virgis ſe cædi paſſum eſſe. Sed vitam iſtam ducentis demum poſt iſtius Sancti mortem annis, uſibus flagellationum jam jam erumpentibus, compoſitam cauſatur, ac præterea flagellationem iſtam, velut rem inſolentem minimeque imitatione ulla exprimendam, inibi adduci perhibet. Tacemus, quæ ad argumenta ejus generis alia modo non multum ab hoc diverſo reponit. Neque primos regularum monaſticarum in Oriente & Occidente inſtitutores Ordinumque autores voluntarias flagellationes præſcripſiſſe, ex inductione S. Antonii, Iſayæ, quem vocat, Abbatis, Serapionis, Macarii, Pachomii, Oreſieſii, Benedicti, Columbani, Iſidori Hiſpalenſis, aliorumque evictum dare nititur; invitis contra & repugnantibus pro criminum menſura eas impoſuiſſe iſtos, latius demonſtrat. Omnium igitur primum fuiſſe ait Petrum Damiani, ſeculo undecimo celebrem, qui armatos ſcopis & flagellis homines cucullatos de ſuo ludere corio cognoverit: veruntamen flagellandi ritum eo tempore introductum fidelibus in exemplum proponi poſſe negat, cum flagellationes adeo immenſæ ac immoderatæ fuerint, ut vires humanas multum ſuperarint, easque ſuſtinere ſine miraculo nec viris fortiſſimis licuerit; id quod ex allatis in medium e Petro Damiani exemplis affatim conſtare innuit. Adverſus eas vero multos iſto ſeculo inſurrexiſſe, mox ſubnectit, ac

Digitized by Google

Petrum Damiani, qui in epiſtola ad Petrum quendam Cerebroſum, monachum, flagra iſta vehementer ſugillantem & quaſi ludicra pipulo differentem, vindicare eadem conatus ſit, flagellationes tantummodo invitis factas autoritate Scripturæ confirmaſſe; de cætero vero Petro Cerebroſo nunquam erroris aut hæreſeos crimen impegiſſe, quin & Stephanum Cardinalem, qui flagellationes ſugillando deriſerat iisque penitus interdixerat, piæ memoriæ virum appellaſſe teſtatur. Quem vero Jac. Gretſerus flagellationum patronus ex iis, quibus flagellationibus corium ſuum radere placuerit, primum prodat Anthelmum, Epiſcopum Bellicenſem, inclinato demum ſeculo duodecimo vixiſſe monet; aſt Guidonem, Monachum Pompoſianum, jam ante medium ſeculi undecimi, quo flagellationes hæ radices egiſſe viſæ ſint vixiſſe non diffitetur. Allegatum aliquem in Joannis a Bosco Bibliotheca Floriacenſi Lugduni A. 1605 edita ſermonem, flagrorum uſum ad annum Chriſti quingenteſimum retrahentem, autoritatis plane nullius eſſe, manifeſtum reddit; magnoque tandem eos in diſcrimine verſari docet, qui ſingulatim quoscunque virorum ſanctorum actus imitatione ſua conſequi præſumant; id quod exemplis aliquot haud inficetis illuſtrat. Potiſſimum præterea in aſceſi flagellandi Petri Damiani tempore exorta id taxat, quod nudatis plane corporibus eadem peragenda fuerit; id enim quam ab honeſtate alienum ſit, affatim declarat, & quam parum Petri iſtius ſucceſſores veſtigia illius legerint, commonſtrat. Aſt ſeculo Damiani elapſo, cum Petrus Mauricii, dictus Venerabilis, Abbatem Cluniacenſem ageret, flagellationum ſpontanearum uſum in illius monaſterio obtinuiſſe, haud negat. Quantopere vero flagellandi libido mentes hominum tunc faſcinarit, in exemplis non unis conſpiciendum dat, dum non Monachos ſolum, ſed Sacerdotes quoque, Epiſcopos, Archi-Diaconos, &, quos ſequi hosce jubet, Reges Principesque vapulaſſe refert. Enatam tamen A. 1260 peculiarem Flagellantium ſectam, a ſummo Pontifice multisque Principibus repudiatam & exploſam, narrat; ſicuti &, cum illa circa A. 1349 recrudeſceret, præ cæteris Trium-Viri celeberrimi, Hermannus a Schildis, Joannes ab Indagine, & Joannes Gerſon eidem maſcule ſe oppoſuerint, nihil prius aut potius in eadem taxantes, præterquam ipſasmet flagellationes ſponte factas, quas qua ratione Gerſon

ſon imprimis oppugnarit, prolixe legendum exhibet. Quam vehementer deinceps inſolentem iſtam aſceſin, tempore Henrici III in Gallia impune exerceri ſolitam, ſalibus ſatyricis e ſacris pulpitis defricuerint Concionatores Pariſienſes, e Thuano enarrat, ac denique rationibus e Phyſica petitis damna, ex ejusmodi voluntaria in corpus tyrannide naſcentia, ob oculos proponit, a quibus ne natium quidem lumborumque flagellationes liberæ ſint, quæ præterea Venereos quoque pruritus haud raro excitent, ac vel ſola obſcænitate inſulſæ & ridiculæ reddantur.

LAMBERTI BOS, DIATRIBÆ SIVE EXERCITATIONES PHIlologicæ, in quibus Novi Fœderis loca nonnulla e profanis maxime autoribus Græcis illuſtrantur.

Franequeræ apud Joh. Gyzelaar, 1700. 8. plag. dimidiat. 25.

AUtor clariſſimus, qui editis in Thomæ Magiſtri voces Atticas annotationibus orbi erudito innotuit, teſtatur ſe jam inde ab eo tempore, quo operam ſuam in literis Græcis ponere cœpit, nihil antiquius habuiſſe, quam ut ſacrum Novi Fœderis codicem probe intelligeret. Igitur obſervantem, & in interpretibus librorum ſacrorum, & in lexicis vulgatis non pauca merito deſiderari, non modo Novi Inſtrumenti libros frequenti lectione ſibi familiares reddidiſſe, ſed & in profanis autoribus evolvendis imprimis hoc ſibi dediſſe negotii, ut ſingulas quæ occurrerent dictiones, loquendi formas, adluſiones ad antiquitates, ſententias vel easdem vel ſimiles iis, quas in ſacro codice legiſſe ſe meminerat, protinus enotaret, & ad ſua quæque loca referret. Inde natum ſibi eſſe hoc Exercitationum in non pauca Novi Fœderis loca ſpecimen, non indignum quod accuratius evolvamus, & præcipuas ex eo obſervationes cum Lectoribus noſtris breviter pro inſtituto noſtro communicemus.

Ad Matth. II. 11. notat, verbum προσκυνεῖν, etſi frequentius cum accuſativo apud Ἀττικωτέρους ſcriptores occurrat, cum dandi caſu tamen legi apud Lucianum, Ælianum, Plutarchum & Xiphilinum: & θησαυροὺς eſſe proprie receptacula rerum pretioſarum, ut minime neceſſe ſit cum B. Glaſſio hic metonymiam contenti pro continente ſtatuere. Ad XXVII. 60. verbo προσκυλίσας ſaxi vaſtitatem argui, ut apud Ariſtophanem in Veſpis, quod nempe bajulari

Digitized by Google

non poſſet, ſed devolvi oporteret. Marci XI. 13. locum, variis interpretum diſceptationibus celeberrimum, illuſtrat allatis verbis Athenæi II. 24. Dipnoſoph. in quibus *καιρὸς σύκων* explicatur per verba *ὅταν ἀκμάζῃ τὰ σῦκα*. Non itaque audiendum Hammondum, cui verba *οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων* ſonant: *non ferax ficuum fuit ille annus.* Illius potius loci hunc eſſe ſenſum: *tempus ficuum jam præterierat*; quod præcoces ficus, quæ ſub tempus paſchatis colligebantur, jam eſſent decerptæ, ſerotinæ vero tempore autumnali demum mateſcerent. Animadverſione autem dignum eſſe putat, quod Evangeliſta non dicit *οὔπω*, ſed *οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων*, quo putat eos refelli, qui exponunt: *nondum ad plenam maturitatem ficus pervenerant.* Luc. I. 17. ita reddit: *& rebelles, ſuadendo juſtitiam, reddat Domino inſtructum populum*, ut *ἐν φρονήσει δικαίων* cum ſequentibus connectatur, & idem ſit ac *διὰ τοῦ φρονεῖν δίκαια.* I. 18. *κατὰ τί* ſubintelligendum *σημεῖον*, ex Luciano docet. III. 23. *ὡς ἐνομίζετο, ut putabatur*, eodem ſenſu de filio legi apud Appianum, & de patre apud Heliodorum. Ad IX. 49. Ariſtophanis, Platonis, Iſocratis & aliorum locis probat, optimos quosque ſcriptores Græcos dixiſſe *ἕπεσθαι μετά τινος.* XI. 41. *τὰ ἐνόντα*, non *quod reliquum* eſt, ſed *quantum res & facultates ferunt*, reddendum eſſe, ex Luciano & Heliodoro oſtendit. XII. 29. *μετεωρίζεσθαι ſuſpenſo animo eſſe, ſublimibus cogitationibus diſtrahi*, quo ſenſu *μετέωρα* dixit Ariſtophanes in Nubibus. Ad XVII. 35. etiam apud Græcos ſervas molam egiſſe, docet ex Homero, Ariſtophane, Callimacho. Et ad XVIII. 13. notat ex Theocrito & eodem Callimacho ſimilem precandi formulam in gentium hymnis. In XX. 35. non eſſe delendum *τὸ τυχεῖν*, ex optimis ſcriptoribus oſtendit contra Pricæum. Ut Joh. I. 4. ſic & apud Lucianum poſitum eſſe obſervat *φάος ἀνθρώποισι* de eo, qui ingens emolumentum, magnam ſalutem generi mortalium affert. In oraculo autem apud eundem Lucianum in Pſeudomante T. I. p. 754. obiter docet per *Τύρσιν* intelligi Aboni mœnia, ubi Alexander ille impoſtor præſtigias ſuas exercuit. *πρώτη μονὰς* ibidem eſt litera *α*, *τριακοντάδες*, *λ'*. *πένθ' ἕτεραι μονάδες*, *ε*, & *εἰκοσάς τρισάριθμος*, litera *ξ'*: unde prodeunt primæ literæ nominis Alexander, & vocis *ἀλεξητήρ.* Joh. I. 5. ex Æliano, Heliodoro, & ex Joh 12. 35. oſtendit, *οὐ κατέλαβεν* reddendum eſſe, *tenebra lucem non circumfuderunt*,

runt, *non obſcurarunt*, ut ſenſus ſit idem qui 1. Joh I. 5. II. 15. pro ἀνέ=ρεψε legendum conjicit ἀνέτρεψε. IV. 46. βασιλικὸν reddit *Regalem*, h. e. filium vel cognatum Regis. VII. 20. δαιμόνιον ἔχεις i. e. *furis*, *atra bilis te agitat*. Ad VIII. 56, notat Ariſtophanem quoque in Pace dixiſſe: εἰ γὰρ μοι γένοιτ' ἰδεῖν ταύτην τὴν ἡμέραν ποτέ.

O mihi ſi detur iſtum videre diem!

Act. I. 13. ὑπερῷον male vulgo derivari ab ὑπὲρ & ὤιον *fimbria*, vel ὠὸν qua voce partem ſupremam domus notari ait Euſtathius, ſed eſſe adjectivum, & ſubintelligi οἴκημα, poſtremas vero duas ſyllabas eſſe meram terminationem, quales ſunt apud Græcos admodum variæ, in ινος, ικὸς, ᾶιος, ῆος, ώδης, ήρης, ῶος &c. Deduci nempe ab ὑπὲρ, unde ὑπερὸς *ſuperus*, ὑπερώϊος, ὑπερῷος. Similiter perperam verbum βασκαίνω deduci a φάεσι καίνειν, *oculis necare*, cum poſtremæ ſyllabæ ſint mera terminatio, a φάω, dico, φάσκω, βάσκειν, βασκάνειν, βασκαίνειν, *dicere*, *maledicere*. Act. II. 24. phraſin λῦσαι ὠδῖνας τοῦ θανάτου, deſumtam eſſe oſtendit ab eo, qui parturienti mulieri dolorum vincula ſolvit, facitque ut partu liberetur. V. 3. ψεύσασθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ex Ariſtoph. Appiano, & Herodiano docet reddendum eſſe *fallere Spiritum Sanctum*. V. 36. πρὸ τούτων vertit, *ante hos dies*, ut apud Phædrum:

ante hos ſex menſes male, ait, dixiſti mihi.

ac deinde μετὰ τοῦτον ita eſſe intelligendum, ut retro ad tempora ſuperiora numeretur, neque neceſſum ſit duos fingere Theudas. Locus autem Luciani quem affert, quod pace Viri clariſſimi dicimus, parum juvat ipſius ſententiam. Nam μετὰ δὲ τούτους ibi ſunt verba Luciani aliud exemplum afferentis poſt ea, quæ jam attulerat, non vero affirmantis, illum de quo dicturus eſt, μετ' ἐκείνους *ante illos*, de quibus jam dixerat, extitiſſe. Unde patet μετὰ ibi valere *poſt*, ſenſu vulgatiſſimo illius particulæ, & longe eſſe aliud, cum Lucas ait μετὰ τοῦτον ἀνέστη &c. Non male autem Vir Clariſſimus obſervat, verbum χρηματίζειν proprie denotare, *ex re aliqua*, *ex actis ſuis appellationem ſibi ſeu nomen comparare & acquirere*, atque ita accipiendum Act. XI. 26. Rom. VII. 3. Ad Act. XVI. 13. docet verba δοκεῖν, φαίνεσθαι, νομίζεσθαι ſæpius etiam poni pro rei veritate, atque ita verba οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι, eſſe reddenda, *ubi erat proſeucha* ſive domus precationis. XVII. 14. ὡς ἐπὶ τὴν θά-

θάλασσαν recte verti, *uſque ad mare* (non *tanquam ad mare*) ex variis Polybii locis oſtendit, & Atticas locutiones ὡς ἐμὲ, ὡς οἶκον & ſimiles notat eſſe ellipticas, pro ὡς ἐπ' ἐμὲ, ὡς ἐπ' οἶκον &c. XXVII. 2. 3. ἀνάγεσθαι & κατάγεσθαι obſervat verba eſſe nautica. XXVII. 13. ἄραντες ait dici elliptice pro ἄραντες τὴν ἀγκύραν, ut citra ellipſin dixit Plutarchus: Heinſium autem male conjungere ἄραντες Ἄσσον pro ἀναφήναντες, *cum Aſſon aperuiſſent*; a nullo enim ſcriptore Græco αἴρειν eo ſenſu accipi, & ἆσσον h. l. eſſe adverbium conjungendum cum ſequentibus, ut viro ſummo Hug. Grotio etiam recte obſervatum. XXVII. 15. itidem eſſe ellipſin, ἐπιδόντες nempe πλοῖον τῷ ἀνέμῳ. XXVIII. 4. θηρίον pro vipera dixiſſe & Lucianum in Philopſeude, & πίμπρασθαι, quod v. 6. occurrit, pro intumeſcere, eundem Lucianum & Ælianum in hiſtoria animalium. Ad Rom. I. 30. ex Polluce notat, tragicam eſſe vocem θεοστυγεῖς, *oſores Dei*. II. 8. θυμὸν καὶ ὀργὴν recte verti *iram & excandeſcentiam*, quæ autore Cicerone IV. Tuſc. eſt ira naſcens. II. 18. & Phil. I. 10. δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, contendit reddendum eſſe *explorans controverſias ſive quæſtiones*, allato loco Lyſiæ, quo τὰ διαφέροντα hoc ſenſu accipiuntur. V. 1. εἰρήνην ἔχομεν πρὸς Θεὸν, optime reddi, *pacem habemus cum Deo*, & ſimili phraſi uſos Polybium, Lucianum, Plutarchum. V. 2. ἐσχήκαμεν, *adepti ſumus*. VII. 1. ὕπανδρος γυνὴ pro *connubio juncta viro*. Num. V. 20. Prov. VI. 29. & apud Athenæum lib. IX. Dipnoſoph. VII. 21. putat ita conſtruendum eſſe, εὑρίσκω ἄρα ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται τῷ θέλοντί μοι τὸ καλὸν ποιεῖν τὸν νόμον; cæterum τὸν νόμον dici elliptice pro κατὰ τὸν νόμον, ut τὸν ὅμοιον τρόπον pro κατὰ τὸν ὅμοιον τρόπον Judæ 7. Viciſſim ἐμοὶ per pleonaſmum Atticum bis poni, ut Judæ 5. ὑμᾶς, ut totius loci hic ſit ſenſus: *comperio igitur volenti mihi facere bonum ſecundum legem, adjacere malum*. VIII. 26. στεναγμοῖς ἀλαλήτοις vertit *occultis ſuſpiriis*, ut Cic. II. 21. ad Atticum: *ſed cum diu occulte ſuſpiraſſent, poſtea jam gemere, ad extremum vero loqui omnes & clamare cœperunt*. Ad IX. 20. obſervat πλάσσειν proprie dici de figulo, & Ariſtophanem in Avibus hominem appoſite ad hunc Pauli locum vocaſſe πλάσματα πηλοῦ, ſive ut apud Clementem Alex. legitur, πλάσματα κηροῦ, *formationes luti vel ceræ*. Ad XII. 1. ex Luciano obſervat, τὸ παριστάνειν proprium eſſe in ſacrificiis verbum, quo

quo hoſtia Deo offertur & conſecratur. XII. 19. δότε τόπον τῇ ὀργῇ, eleganter reddit phraſi Liviana, *date iræ ſpatium*, nec ſtatim in vindictam prorumpite. Pluribus oſtendit, quid XIII. 13. ſit περιπατεῖν κώμοις, nempe conviviis laſcivia ac petulantia abundantibus indulgere. XIV. 8. τῷ Κυρίῳ ζῶμεν ex Dionyſio Halicarnaſſenſi interpretatur, *Domini arbitratu vivimus*. 1. Cor. III. 13. pro ὅτι ἐν πυρὶ legit ὅτε *quando in igne revelabitur*. Ad IV. 13. erudite diſſerit de καθάρμασι, & περιψήμασι, ac vocem priorem derivat ab Ebræo קטר ſuffivit, vel potius a כפר *expiavit*, quod non infrequens ſit literarum Φ & θ permutatio, & Stephano Byzantino autore, idem promontorium Eubœæ, ad quod navigantes luſtrabantur, dictum ſit καφηρεὺς & καθηρεύς. Præclare etiam ex antiquitatibus Athleticis illuſtrat locum Apoſtoli IX. 27. & XIII. 7. ubi de charitate dicitur quod πάντα στέγει, hoc exponit *patitur omnia*, ſive devorat injurias ab aliis ſibi illatas, ut in Terentii Adelphis: *patiamurne, an narremus cuipiam?* XIII. 12. δι' ἐσόπτρου ipſi eſt *per ſpecular*, qualia e cornu aut lapide pellucido veteres habebant, per quæ Sol in ædes admittebatur, ut hodie fit per feneſtras vitreas. Viciſſim 2. Cor. III. 18. κατοπτριζόμενοι, *tanquam in ſpeculum intuentes*. Ad 1. Cor. XVI. 9. obſervat ſimiliter dixiſſe Plutarchum, μεγάλας δ' αὐτῷ κλεισιάδας, *cum magnas ipſi fores ad Remp. aperirent genus & divitiæ*. 2. Cor. IV. 2. monet συνιστῶντες poni abſolute, & ad verba τῇ φανερώσει τῆς ἀληθείας, referendum eſſe quod ſequitur: πρὸς πᾶσαν συνείδησιν ἀνθρώπων. X. 12. αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνιοῦσιν, *ipſi noſtro nos modulo metientes, nosque comparantes nobis ipſis, non ſapientibus*. Verba Galat. III. 1 τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε, *quis præſtigiator vos excantavit?* confert cum V. 7. τίς ὑμᾶς ἀνέκοψε, *quis curſum veſtrum inhibuit?* & a Viro Cl. Antonio Schultingio monitus, alludi notat ad veneficos illos, qui in ludis Circenſibus adhibere ſolebant veneficia, quibus inhibebant & impediebant curſus equorum, cujus rei mentio in Codice Theodoſiano. Locum celebrem Phil. II. 6. ita explicat: Chriſtus cum jam eſſet in forma Dei, illum ſtatum futuræ exaltationis & glorioſæ ſeſſionis ad dextram Patris, qui ipſi propoſitus erat, non duxiſſe prædam, non putaſſe tale eſſe aliquid, quod temere cum impetu vanaque gloria, ſine ullo labore, moleſtia

&

Digitized by Google

& modeſtia adoriretur. Coloſſ. II. 18. ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, Liviana phraſi reddit: *in ea quæ non vidit ingrediens*, h. e. ea quæ captum ipſius ſuperant ſcrutans in eaque penetrans. II. 23. λόγον ἔχοντα, *ſpeciem præbentia* ſive *habentia*, ut apud Sophoclem & Dionyſium Halicarnaſſ. Ad 1. Theſſ. I. 9. & 1. Joh. V. 20. ubi occurrunt voces Θεὸς ἀληθινός, notat ἀληθὲς & ἀληθινὸν non promiſcue ſemper uſurpari, ſed ἀληθινὸν ſæpius ac proprie poni pro eo quod natura & revera eſt id, quod dicitur & opponitur fictitio, ſive ei quod ſpeciem tantum rei habet: quam in rem affert quædam loca Luciani. 1. Theſſ. III. 10. ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ δεόμενοι, interpretatur *vehementiſſime orantes*, & diſcedit a ſententia Clariſſimi Clerici, qui trajectionem h. l. ſtatuit. 2. Theſſ. II. 7. ὁ κατέχων ἄρτι, conjicit non incommode verti poſſe, *qui nunc tenet imperium*, ut ſubintelligas vocem ἀρχήν, quæ phraſis κατέχειν ἀρχὴν ſcriptoribus Græcis eſt uſitatiſſima, Dionyſio Halicarnaſſeo, Luciano, Æliano &c. I. Tim. VI. 3. II. Tim. IV. 3. ὑγιαίνοντας λόγους exponit verba ſincera, pura, incorrupta, *vera, quæ falſi nihil admixtum habent*; ſic enim vocem illam accipi a Luciano & Plutarcho. Tit. II. 3. οἴνῳ δεδουλωμένας notat a Phædro IV. 4 dici *vino devotas*. Ut Tit. II. 12. ſic & apud Lucianum in Somnio conjungi σωφροσύνην, δικαιοσύνην & εὐσέβειαν, tanquam incorruptum animi ornamentum. Hebr. II. 1. μήποτε παραῤῥυῶμεν docet reddendum eſſe, *ne quando præterfluere ea ſinamus*. Ad V. 11. νωθροὺς ταῖς ἀκοαῖς oſtendit, proprie dici ſenes, quibus ob ætatem languidior & hebetior eſt auditus. VI. 4. ita transfert: *Fieri non poteſt, ut qui ſemel illuminati fuere -- & qui prolapſi ſunt, rurſus ad pœnitentiam eos renovaremus, ut qui ſibimetipſis quaſi cruci affigant filium Dei eumque oſtentui habeant.* Negat verbi ἀνασταυροῦν vim eſſe *rurſum crucifigere*, cum ἀνὰ in hoc multisque aliis verbis ſignificet *ſurſum*, adeoque ἀνασταυροῦν ſit *in crucem tollere*. VII. 3. ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκὲς reddit *ſacerdos perpetuus*, ut latinis dicitur *Dictator perpetuus*, & X. 12. verba εἰς τὸ διηνεκὲς contendit referenda ad hæc quæ præcedunt, προσενέγκας θυσίαν, non ad hæc quæ ſequuntur, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ. Ad XI. 24 μέγαν pro eo qui ad adultam ætatem pervenit obſervat dici & apud Homerum Odyſſ. II. ἐγὼ δ' ἔτι νήπιος ἦα. Νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας εἰμί. XII. 7. ὡς υἱοῖς προσφέρεται ὑμῖν ὁ Θεός, *Deus ſe gerit*

gerit erga vos, tractat vos ut filios, eadem phraſi docet ſæpius hoc ſenſu uſum Lucianum. XII. 11. καρπὸν εἰρηνικὸν *fructum jucundum.* XII. 27. erudite ita exponit: illo dicto ſignificat Deus ſe œconomiam V. T. ex diutina jactatione inſtar navis fluctuantis inſtabilem & fluctuantem, ita ut quaſſata fatiſcat, & ἐγγὺς ἀφανισμοῦ ſit, ſede ſua remoturum. XII. 28. βασιλείαν ἀσάλευτον παραλαμβάνοντες, *cum heredes ſimus regni inconcuſſi*, œconomiæ puta Evangelicæ, ἔχωμεν χάριν, *non debiti ſed gratiæ & immeriti beneficii loco ducamus.* XIII. 9. μὴ περιφέρεσθε, *ne circumferamini tanquam ventis.* Jac. I. 3. τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως, *id quo probatur & ſpectatur fides.* III. 6. τροχὸν τῆς γενέσεως exponit indeſinentem ſucceſſionem hominum aliorum poſt alios naſcentium, obſervatque pari modo ποταμὸν τῆς γενέσεως dixiſſe Plutarchum Conſolat. ad Apolloniam. I. Petr. IV. 4. ἀνάχυσιν ex Heſychio interpretatur *ſordes, inquinamentum.* Ad II. Petr. III. 16. notat, vocem δυσνόητος obviam apud Laërtium in Heraclito. I. Joh. IV. 18. κόλασιν vertit *obſtaculum*, atque ita accipi docet etiam a Dionyſio Halicarnaſſenſi ut non neceſſe ſit, κώλυσιν ibi legere, cum Pollux quoque τὸ κολάζειν exponat per συστέλλειν ſeu *reprimere.* Jud. 6. δεσμοῖς ἀϊδίοις ex Senecæ Hercule fur. reddit *vinclis perpetuis.* Jud. 20. non probat conjecturam Heinſii, ſed ita transfert: *ſanctiſſimæ veſtræ fidei ſuperædificantes vos invicem*, alter alterum excitando &c. Ad Apoc. I. 18. obſervat, apud Platonem, Pauſaniam & alios memorari Plutonis claves ſive claves inferorum, quas ſervare traditur Æacus apud Apollodorum 3. Bibl. Geminum quod Apoc. II. 5. legitur apud Ciceron. IV. 16. ad Attic. *Non recordor unde ceciderim.* IV. 16. *mare vitreum* ut *pontum vitreum* dixit Horat. h. e. vitri cryſtallini inſtar pellucidum. IX. 28. τὰ δαιμόνια, *Deos fictitios.* Ad XIII. 1 ex Plutarchi Pericle notat, etiam Græcorum hariolis τὸ κέρας ſive cornu habitum fuiſſe ſignum roboris. XIX. 12. ὀφθαλμοὶ ὡς πυρὸς, ut apud Livium VII. 33. *ardere viſi Romanorum oculi*, quo furor vel ardentiſſimum hoſtes frangendi ſtudium innuitur. Similiter ſæpe apud Homer. XXI. 8. δειλοῖς ex eodem Homero docet reddendum *malis* ſive *improbis.*

Digitized by Google

PROCLI PHILOSOPHI PLATONICI VITA SCRIPTORE Marino, quam altera parte auctiorem & nunc demum primum integram cum Prolegomenis, Verſione, Notis & Scriptorum Procli Elencho edidit JO. ALBERTUS FABRICIUS, SS. Th. D. & Philoſ. Moral. ac Eloq. in Gymnaſ. Hamburgenſi Prof. Publ.

Hamburgi apud Godofr. Liebezeit, 1700. 4. plag. 18.

ALiquoties lucem adſpexit Procli Platonici Philoſophi vita a Marino diſcipulo ejus & ſectatore conſcripta. A Guilielmo enim Xylandro cum verſione Latina edita, Tiguri anno 1599 una cum Imp. Marci Antonini libris XII de rebus ſuis comparuit. Eandem ſex Procli de Theologia Platonica libris Hamburgi anno 1618 a ſe editis præfixit Æmilius Portus: denuoque Lugduni anno 1626 ſeorſim excuſa prodiit. Verum mancæ illæ editiones fuere omnes, & parte hujus ſcripti minime ignobiliſſima mutilæ. Jam olim tamen hujus jacturæ reſarciendæ ſpem orbi erudito fecit, qui fragmentum ineditum nactus alicubi fuerat, Vir optimarum litterarum bono natus, Lucas Holſtenius. Eam vero prævertentibus fatis, nemo deinceps repertus eſt, qui officium iſtud litterariæ reipublicæ præſtaret, donec fauſtis auſpiciis e bibliotheca Gudiana erutus iſte theſaurus in clariſſimi Fabricii poteſtatem veniret. Ille ut eſt minime ſuorum invidus bonorum, de eo cum aliis communicando ſtatim cogitavit: nec notis tantum & verſione, partim a ſe emendata, partim confecta, ſed prolegomenis etiam ornatiorem hanc vitam prodire juſſit. In his de Marino primum, vitæ Procli ſcriptore, ex Damaſcii potiſſimum vita Iſidori agit; cum a Marino vel Mariano ſub Anaſtaſio Imp. Prætorio præfecto, qui Procli Philoſophi, alterius ſcilicet a noſtro, opera in navali pugna adverſus Vitalianum Tyrannum uſus fuerat, ſolicite diſtinguit; alios ei ὁμωνύμους commemorat, reliqua ſcripta ejus recenſet, Suidæque loco reſtituto, quæ de vita Procli metrice ſcripta ex eo colligi poſſe videbantur, explodit: verba enim Suidæ ἔγραψε βίον Πρόκλου τοῦ αὐτοῦ διδασκάλου καὶ καταλογάδην καὶ ἐπικῶς καὶ ἄλλα τινὰ Φιλοσόφων ζητήματα, ita reſtitui jubet: ἔγραψε βίον Πρόκλου τοῦ αὐτοῦ διδασκάλου, Φιλοσόφων ζητήματα καὶ ἄλλα τινὰ καὶ καταλογάδην

γάδην καὶ ἐπικῶς. Proximo loco de ætate, gente, magiſtris & ſucceſſoribus Procli diſputat. Ubi potiſſimum in confutanda Lambecii de Procli ætate ſententia operoſus eſt. Falſum enim eſſe, quod ille putat, Proclum anno Chr. 443 natum, vivere deſiiſſe anno 519, ingenioſe evincit ex themate Procli natalitio, a Marino exhibito; ſitum enim aſtrorum, quem illud repræſentat, nonniſi in ſeculi quinti, quo doctiores quique Proclum floruiſſe conſentiunt, annum XII, & quidem in diem VII Februarii incidere potuiſſe, Aſtrologicis rationibus firmat, ſolide profligatis, quæ a Lambecio allata fuerant pro ſua ſententia, argumentis. Quæ vero de homonymis Procli itemque ſucceſſoribus ejus afferuntur, prolixiora ſunt, quam ut noſtra brevitas eorum repetitionem ferre valeat. De gradibus inde virtutum, ſecundum quas Proclum laudavit Marinus, diſceptationem inſtituit; ubi primo diligenter Philoſophorum in IV virtutes cardinales conſenſum exponit, indeque juniorum Platonicorum gradus, quorum primus erat virtutum cardinalium phyſicarum, ethicarum ſecundus, tertius politicarum, quartus purgatoriarum, purgati animi quintus, ſextus theoreticarum, ſeptimus theurgicarum, ex Simplicii potiſſimum ad Epictetum commentario, Porphyrio atque Macrobio explicat. Illa occaſione memorabilem Olympiodori locum affert ex commentario inedito in Platonis Alcibiadem, de triplici purgatione, Pythagorica, Socratica, & Peripatetica ſive Stoica, quarum hanc per contraria procedere, iræ opponendo amorem: iſtam a ſimilibus ad ſimilia, utpote quæ opum v. g. appetenti, quæ ſit vera αὐτάρκεια, ob oculos ponat: illam pauliſper cedendo paſſioni, eamque extremis, quod dicitur, digitis deguſtando, animum purgare docet. Nec minus obſervandus alter locus Procli ex commentario inedito in eundem Alcibiadem Platonis, in quo triplex itidem purgatio, διὰ τελεστικῆς, διὰ φιλοσοφίας, & δι' ἐπιστήμης διαλεκτικῆς commemoratur. Jam quantum ad ipſum opus, notulis tam ad verſionis antiquioris ipſiusque textus emendationem, quam ad hiſtoriæ philoſophicæ variorumque rituum illuſtrationem pertinentibus illud exornatum videmus. Cumque pars hactenus inedita ad theoreticas & theurgicas Procli virtutes potiſſimum ſpectet, miraculiſque adeo ab hoc Philoſopho editis, & familiaribus cum Diis converſationibus tota ſcateat, paſſim cum ſimili-

Digitized by Google

milibus Jamblichi, Philoſtrati & aliorum hujus furfuris Scriptorum, imo etiam recentiorum Pontificiorum figmentis iſta Marini nugamenta comparantur. Quoniam vero ſub finem operis Marinus ſcriptorum Procli mentionem fecit quidem, catalogi tamen eorum conficiendi laborem ſubterfugit, accuratiſſime de iis ſibi Cl. Fabricius agendum eſſe cenſuit, hocque ipſo labore egregium Bibliothecæ ſuæ, quam dudum molitur, Græcæ ſpecimen edidit.

Multa hic obſervat minime vulgaria. Ἐπιχειρήματα Procli κατὰ Χριστιανῶν Ιή, pariter ac Philoponi opus, quo ea evertere conatus fuerat, intercidiſſe, perperam exiſtimare in Scriptorum Eccleſiaſtic. Hiſtoria Litteraria Virum doctiſſimum Gulielmum Caveum, Suidæ verbis parum accurate expenſis perſuaſum, univerſam religionem Chriſtianam ἐπιχειρήμασιν iſtis XVIII impugnatam fuiſſe. At aliter ſe rem habere. Ἐπιχειρήματα enim Procli directa potiſſimum eſſe adverſus unum dogma Chriſtianorum de mundo non æterno, & etiamnum extare in Joannis Philoponi libris duodeviginti de æternitate mundi contra Proclum, quod ipſum opus ſit Philoponi tantis a Suida celebratum laudibus. Iſtud ipſum porro Philoponi opus eſſe, quod nomine ejus ſuppreſſo oppugnavit Simplicius commentariis in lib. 1. Ariſtotelis de Cœlo & alibi. Errare eos, qui cum ad καθηγεμόνα ſuum provocare Proclum in commentariis ad Platonis Timæum animadvertiſſent, per illum Ammonium intelligendum eſſe in margine notarunt, cum Syrianus iſta appellatione ſemper apud Proclum intelligendus veniat, quorum hic præceptor, ille diſcipulus Procli fuit; dolendum eſſe inſuper librariorum tot eſſe conſpurcatum erroribus hoc opus, in quibus expurgandis cum aliquid operæ olim poſuerit, ejus etiam fructum ad nos deinceps perventurum eſſe pollicetur. Occaſione commentariorum in Politiam Platonis, de allegoricis fabularum interpretationibus, quas mira κακοζηλία in Scripturis quoque explicandis nonnulli ſecuti fuerunt, quædam annotavit, cum Proclus *in iſto* opere ex inſtituto Homero defendendo, & fabulis ejus *explicandis* operam navaverit. De commentario Procli in Alcibiadem *agens*, obſervat eum citari ab Olympiodoro in ſuo ad eundem Platonis Dialogum commentario: indeque Olympiodorum hujus commentarii autorem alium eſſe a Procli præceptore & recentiorem,

col-

colligere mavult, quam interpolatum commentarium Olympiodori recentioris manu cum Lambecio ſtatuere. Proclo qui ἐξήγησιν anonymi in Ptolemæi τετράβιβλον tribuunt, errare exiſtimat, ἐξήγησιν iſtam cum παραφράσει Procli in eundem librum confundentes. Contra in Philebum commentatum eſſe Proclum, idque patere ex Damaſcii vita Iſidori, ubi Marino in eundem dialogum ſuos Iſidoro commentarios offerenti, nil aliud Iſidorus reſpondit, quam ἱκανὰ εἶναι τὰ τοῦ διδασκάλου, h. e. ſufficere poſſe ea, quæ a Præceptore (Proclo) ſcripta eſſent, quorum verborum ſenſus fugit Photianum interpretem. *Chriſtomachiam* Procli apud Geſnerum ortam eſſe ex falſa lectione vocis χρηστομάθεια &c. Sed tacemus reliquas diligentes pariter ac jucundas Viri Clariſſimi obſervationes, ne ipſi libro, exſcribendo eum, pretium detrahere velle videamur.

L' IMMORTALITA DELL' ANIMA.

h. e.

IMMORTALITAS ANIMÆ. SPECIMEN MEDITATIONUM BERNHARDI TREVISANI, Patricii Veneti.

Venetiis apud Andream Polettum, 1699. in 4. formæ major. Conſtat 1 alphab. & 17 plagul.

NOn diffitetur Perilluſtris Autor Bernardus Treviſanus, Patricius Venetus, multos fuiſſe, qui de animæ humanæ immortalitate ingenii monumenta ediderunt. Neque tamen abs re fore arbitratus eſt, ſi & ipſe eruditas ſuas cogitationes ſuper hoc negotio Literato Orbi communicaret, quamlibet pro ſua modeſtia fateatur, ſe non tam ſcripſiſſe commentationem hanc, ut doceret alios quam ut diſceret ipſe. Proludere ea voluit operibus aliis diffuſioribus, ſex tomis comprehendendis & ſuo tempore prodituris. Quod ad librum ipſum ſtudio Illuſtris Magliabechii ad nos delatum attinet, ad tria ſumma capita is reducitur. Primo quæritur, cujusnam ſit eſſentiæ anima, dein probatur illam eſſe immortalem, & denique refelluntur argumenta, quæ in contrarium afferri ſolent. Decem meditationibus omnia ſunt incluſa, quarum hic ſummam exhibebimus, cum inſtituti noſtri ratio haud ferat prolixius ſingula recenſere. Meditatione prima oſtenditur, dari in nobis

Digitized by Google

bis animam, ut ut non deſint, qui omnem hunc laborem irritum, animamque ipſam nomen inane dicere haud erubeſcunt. Eam autem non eſſe factam e corpuſculis orbicularibus, quæ ſententia veterum quorundam philoſophorum fuit; neque idem quid eſſe cum phantaſia. Dum enim res univerſales & ab omni materia abſtractas quis conſiderat, fieri hoc dicit Autor ſine operatione ſenſuum, remotis objectis & phantaſia. Vim igitur dari majorem ipſa phantaſia in nobis, quæ Ariſtoteli Entelecheia audiat. Meditatione altera demonſtratur, animam non eſſe harmoniam, neque operationes ejus cum harmoniæ operationibus conciliari poſſe; tertia, illam non eſſe pinguem aut materialem aliquam ſubſtantiam, ſed rem quandam puriſſimam, a corpore ipſo diſtinctam, ſicque incorpoream. Et rationibus hoc confirmatur, & teſtimoniis prudentum, quodque Carteſius recte dixerit, animam eſſe rem cogitantem, oſtenditur. Pergit hinc Autor Excellentiſſimus ad alia, & quemlibet hominem ſuam habere propriam animam, neque animam mundi univerſalem dari, quarta meditatione demonſtrat. Quinta vero aſſerit, eam ita eſſe comparatam, ut naturæ ejus haud repugnet, eſſe immortalem. Quin imo, ſi operationes ejus reſpicias, animam noſtram revera & actu ipſo immortalem eſſe, ſequenti meditatione docet. Septima philoſophatur ſuper re omnium difficillima, unione animæ, tanquam entis ſpiritualis & æterni, cum corpore, ſubſtantia illa materiali & mortali. Hinc ex meditatione octava facile patet, animam hominis a brutorum anima longe lateque differre. Quæ cum ita ſe habeant, nona meditatione dicit, ſatis ſe mirari haud poſſe, quod nonnulli immortalitatem animæ in dubium vocent, alii negare prorſus haud vereantur, omnes vita excedere reformident; cum nulla fere gens ſit aut fuerit, quæ hoc non crediderit aut credat. Tandem meditatione decima eaque ultima fatetur, immortalitatem animæ non demonſtrari probationibus in ſenſus incurrentibus, ſed ex operationibus ejus internis. Quibus ita explicatis ſermonem ad ſe ipſum dirigit, animam ſuam alloquitur, dumque eam immortalem & poſt funera ſuperfuturam certus eſt, ut illi æternum bene ſit, optat.

AUGU-

Digitized by Google

AUGUSTI Pfeiffers/ *S. S. THEOL. D.* und Lübeckiſchher Kirchen *Superintendentis*, Bericht und Unterricht von der Reformirten Religion *&c.*

hoc eſt,

AUGUSTI PFEIFFERI, S. S. THEOL. D. ET ECCLESIARUM Lubecenſium Superintendentis, ANTICALVINISMUS.

Lubecæ, apud Petrum Böckmann, 1699. in 8. Alph. 1.

UT Chiliaſtarum primum ac poſtea Enthuſiaſtarum errores, iſtos quidem in Anti-Chiliasmo A. 1691, hos vero in Anti Enthuſiaſmo A. 1692 evulgato, ſtudioſe diſcuſſit atque refutavit Maxime Reverendus Pfeifferus, Præſul Lubecenſium deſideratiſſimus; ita & in ſubruendis Calvinianorum dogmatibus ab orthodoxa fide alienis parilem induſtriam adhibuit, inque aliquot ſermonibus ſacris ad numeroſum populum habitis præcipua capita, quæ inter Lutheranos atque Reformatos controverſa ſunt, expoſuit. Ut autem expoſitionis iſtius nervoſæ atque ſolidæ fructus & ad plures perveniret, ea, quæ pro cathedra eccleſiaſtica dixerat, in formam aliquantum mutatam redegit, præloque parata moriens poſt ſe reliquit. Noluerunt ergo committere hæredes, ut in ſcriniis deliteſceret theſaurus, præſertim cum impreſſionis initia ipſe jam tum vidiſſet B. Autor, cui eam de cætero heic methodum obſervare libuit, ut ſententia orthodoxa circa unumquodque caput primo ſtatim loco exhibeatur, Reformatorumque poſt ſententia huic opponatur, ſtatus inde controverſiæ formetur, mox argumenta noſtratium recenſeantur, & deinceps Reformatorum objectiones refutentur, ac denique ſolatium e theſi orthodoxa fluens paucis inſinuetur. Ad iſtum itaque modum ſequentes deduxit articulos: de uſu rationis in rebus fidei; de providentia Dei circa malum; de communicatione majeſtatica humanæ Chriſti naturæ facta; de omnipræſentia carnis Chriſti, & præcipue præſentia gratioſa; de gratia Dei univerſali; de univerſalitate meriti Chriſti; de vocatione univerſali; de æterna prædeſtinatione; de abſoluto reprobationis decreto; de gratia converſionis, an ſit irreſiſtibilis; de amiſſibilitate fidei, ſeu poſſibili Sanctorum apoſtaſia; de efficacia & neceſſitate Baptiſmi; de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna; de adiaphoris.

Qui-

Digitized by Google

Quibus deductis, fundamentalem tandem diſſenſum inter nos & Calvinianos deprehendi, oſtendit.

LIBRI NOVI.

Le Gemme antiche figurate di Michel Angelo Cauſeo de la Chauſſe. Roma, per Gio. Giacomo Komarek. 1700. 4.

Jo. Vaillant Hiſtoria Ptolemæorum Ægypti Regum, ad fidem Numiſmatum accommodata. Amſtelædami apud G. Gallet, præfectum typographiæ Huguetanorum, 1700. fol.

Ejusdem Numiſmata Græca. Amſtel. apud eundem, 1700. fol.

Franciſci & Joannis Hotomanorum, & Clarorum Virorum ad eos Epiſtolæ. Ex bibliotheca Jani Guil. Meelii. Amſtel. apud eundem, 1700. 4.

Nouvelle Geographie, ou Deſcription exacte de l' Univers par Mr. de Martineau du Pleſſis. A Amſterdam, chez le même, 1700. 12.

Vita dell' Invittiſſimo Imperatore Carolo V. ſcritta da Gregorio Leti. Amſterdamo, appreſſo G. Gallet, 1700. 12.

Eſſai Philoſophique concernant l' Entendement Humain. Traduit de l' Anglois de Mr. Locke, par Pierre Coſte. A Amſterd. chez H. Schelte, 1700. 4.

Hiſtoire de France, par Mr. Louis le Gendre. A Paris, chez les Guignards, 1700. 12.

Hiſtoire des Isles Marianes, par le P. Charles le Gobien. A Paris, chez Nic. Pepie, 1700. 12.

Memoires & Inſtructions pour les Ambaſſadeurs, ou Lettres & Negotiations de Walſingham; Traduit de l' Anglois. A Amſterdam, chez G. Gallet, 1700. 4.

ERRATA.

Pag. 209. l. 19. pro $adm : m$ leg. $aadm : mm$, deinde inſeratur hæc tota linea a typotheta omiſſa *Hinc* $mdy : a$ *ſeu* $dx = (3m^{3}dm : a^{3}) + (2mdm : a) - (adm : m)$ pag. 210. l. 9. a fine pro ſigno additionis + ponatur ſignum multiplicationis X, & pro BC^{2} leg. BC^{3}. pag. 211. l. 5. pro + AC leg. X AC. pag. 212. l. 17. pro lm leg. $-lm$. pag. 213. l. 4. pro $2dx^{2}dy^{2}$ leg. $2adx^{2}dy^{2}$. pag. 268. l. 11. a fine pro $\sqrt{2xt}$ leg. $12xt$. pag. 269 l. 3. pro 2 leg. $2a$.

*** *** ***

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ
Kalendis Octobris Anno M DCC.

EPISTOLA ANATOMICA, PROBLEMATICA, TERTIA ET Decima, Authore CHRISTIANO WEDELIO, ad Virum Clariſſimum FREDERICUM RUYSCHIUM, Med. Doct. Anatomiæ ac Botanices Profeſſorem, cum hujus Reſponſione, de Oculorum Tunicis.

Amſtelodami, apud Joannem Wolters, 1700. in 4. plag. 5. Figur. tab. 1.

QUa methodo ſingulari Celeberrimus *Ruyſchius* variarum hactenus partium corporis humani accuratiorem extricavit ſtructuram, eadem & oculorum fabricam in præſenti exactius ſcrutatur, ex octo diſtinctis tunicis reſultantem. Primam nempe oculorum tunicam cum aliis adnatam ſive conjunctivam ab uſu vocat, quod oculum orbitæ alliget, ejusque, cum perioſtio vel pericranio continuati, ſanguifera vaſa innumera non minus artificioſæ ſuæ impletionis ope annotat. Huic ſubjectam alteram, & modo innominatam, modo tendineam dictam, a tendinibus quidem muſculorum oculos moventium deducit, terminum tamen ejus ad quem, ob intimiorem cum ſclerotica cohæſionem, vix audet certo definire. In tertia, quæ ſclerotica habetur, cujusque pars anterior pellucida ſive cornea interdum prominet convexior, quamvis Autor dexterrimus artificio ſuo vaſa ſanguiflua non æque copioſa, ac in tunicis adnata, Ruyſchiana & retina, valuerit detegere, præter ductum nihilominus Nuckianum, plurima vaſcula nova ſecundum longitudinem ſe videre arbitratur, quæ lymphaticorum æmula humorem aqueum, per Nu-

Digitized by Google

ckii ductum aliumve ignotum apportari ſolitum, fortaſſis reducant. Neque nervi ciliares hic negligendi, qui ſcleroticam circa oculi medium perforare, ac per choroideæ ſuperficiem ad ligamentum & proceſſum ciliaria propter motum abire perhibentur, ſatis tunc conſpicui quando arteriolæ tunicæ quartæ ſive choroideæ rubicunda cera fuerunt repletæ. Quemadmodum enim Clariſſimus *Mulinus* in eadem Epiſtola, qua ſub calcem Elephantinæ Anatomes in brutorum oculis nova propalaverat ligamenta, nervis iſtis ciliaribus forſan affinia, choroideam quoque & uveam tunicam, cum proceſſibus & ligamentis ciliaribus, e vaſis unice ſanguiferis contextam, monſtrantibus *Actis noſtris A. 1684, p. 552*, jamjam aſſeruit; ita Noſter memoratarum partium ſtructuram vaſculoſam longe penitius inveſtigans, choroiden ipſam e duplici lamella ſeu membrana notat conflatam, quarum exteriorem noto choroideæ nomine, interiorem vero a ſe, tanquam inventore, cum Filio Clariſſimo appellitat. Atque in ejusmodi choroidea tot arteriarum, ut plures recipi nequeant, peculiarem reptatum varioſque ramuſculos, e trunculis oriundos, in orbem diſpoſitos innuit. In anteriori autem hujus parte, quæ alias uvea audit, atque ligamentum & proceſſum ciliaria cum iride comprehendit, partim ciliare ligamentum indigitat cum humoris cryſtallini & ex parte etiam vitrei tunicis poſterius connecti, plurimisque jugis undulatis pigmento nigro obſitis ditari; partim proceſſum ciliarem poſterius fibris longitudinalibus, pectinatim locatis ac nigro itidem pigmento obductis, nec non arteriis, diverſa a prioribus ratione progredientibus, gaudere, anterius autem conſtituere iridem, in duos circulos inæqualis magnitudinis diviſam. Conjecturæ interim vice proponit, num juga illa undulata in ligamento ciliari, tanquam muſculi exiles, fibræ vero longitudinales, per proceſſum ciliarem diſtributæ, veluti tendines, debeant conſiderari, cum in dilatatione & anguſtatione pupillæ evidens quidem proceſſus ciliaris percipiatur motus, peculiares tamen fibræ motrices præter dicta juga nondum habeantur exploratæ. Sed ad tunicam quintam, eamque Ruyſchianam, accedens, non ſolum commemorat, quomodo caſu eam primum invenerit, ſed & quam ſolicite eadem ab ipſa choroidea, niſi hæc juſto tenuior fuerit, arteriis cera prius repletis, debeat ſeparari,
quod

Digitized by Google

quod tenuiſſima deprehendatur, arteriiſque choroideæ arterias in modum, crucis interſecantibus ac poſt pigmenti demum pulli abſterſionem viſibilibus, dotata. Tum in retina, ceu ſexta tunica, peculiarem oſtendit membranulam, ab arteriolarum, ex oculi fundo diſtributarum, numeroſiſſimis extremitatibus arctiſſimeque invicem unitis ita contextam, ut decantata ſubſtantia medullaris ipſi videatur incumbere. Tandem, poſtquam vitream & cryſtallinam tunicas ultimas, humorem vitreum & cryſtallinum cõercentes, membranulas ſubtiliſſimas eſſe, diaphanas nulliſque vaſculis ſanguineis viſibilibus ditatas, paucis declaravit, prolixiorem iſtius *Reſponſionis*, quam *J. J. Rau* non ita pridem Noſtro repoſuit, quamque & in *Actis menſe Majo præſentis Anni p. 232* exhibuimus, aggreditur refutationem. Verum ſicuti tunc, lite omni ſepoſita, non niſi ea proferre libuit, quæ vel *Cl. Rau* Bartiſchianum inſtrumentum correctum in phalangoſi rite adhibendi methodum, vel traditam ab ipſo muſculoſæ tunicæ ſcroti conformationem reſpicerent: ita hac quoque vice vix alia transſcribere placet, quam quæ Nobiliſſimus *Ruyſchius* circa utrumque noſtrum excerptum monuerit. Inſtrumentum videlicet, quod ſuperiori palpebræ decurtandæ laudabatur accommodatum, ineptum plane reputatur, quia in decurtatione palpebræ non ſolum cutis, ſed & cartilago ex parte eſſet amputanda, quo tamen facto in pejorem ſtatum præcipitaretur æger. Conceditur nihilominus, in cutis, ſive ſolius, ſive cum carne, excreſcentiis nimiis, uſum quandoque illud habere poſſe, prout Clar. Chirurgus Petrus Verduyn, Adriani Filius, ejuſmodi tenaculo multis abhinc annis in elongato præputio reſcindendo, præſente Autore, fuerit uſus. Quale inſtrumentum, ab Experientiſſimo etiam Ruyſchio publice aliquando oſtenſum, vel ideo in Fig. 1. & 2. delineatur, ut differentia ejus innoteſcat ab ipſo, quod *J. J. Rau*, neutiquam vero Noſter, adhibere conſueverit. Quod carnoſam vero ſcroti tunicam concernit, in duos ſacculos ſphæroideos expanſam, parietes horum, ubi ſe invicem contingunt, facilius a ſe invicem poſſe divelli, quam reliquas membranas corporis humani ſubcutaneas, oppido negatur. Cæterum e viginti & una figuris, octo ſolum cum eorum explanatione viſum fuit huc transferre, quæ apud Autorem 2. 3. 7. 10. 13. 14. 17. & 18. conſtituunt.

Digitized by Google

EXPLICATIO FIGURARUM.

TAB. VII. *Figura I.* Inſtrumentum ſeu Tenaculum exhibet, ad Bartiſchii Inſtrumenti imaginem, a magiſtro Petro Verduyn fabricatum, ad amputandas excreſcentias cutaneas aptum, nullis foraminibus pertuſum, cujus brachia admodum tenuia, ne, ſi quis acum in uſum vocare velit, nimia cutis portio relinquatur poſt amputationem; acus autem, filo ſericeo duplicato munita, pone brachia trajicienda. A. Cochlea, B. utriusque brachii conjunctio, C. Brachia, D. Brachiorum tenuitas.

Figura 2. idem Inſtrumentum indigitat, foraminibus perforatum. Eſtque aliquanto majus. A. Inſtrumenti craſſities. B. & C. Foramina.

Figura 3. adumbratur Tunica Ruyſchiana, e cujus medio tunicæ retinæ portio dependet, medulloſa ejus ſubſtantia ablata. A. Tunicæ Ruyſchianæ portio magna. B. Tunicæ retinæ portio dependens, & e fundo oculi prodiens. C. Arteriolarum myriades, per Tunicam Ruyſchianam diſſeminatæ, ex oculi fundo emergentes, reptatuque diverſæ ab iis, quibus gaudet choroidea. Notandum interim, hic non repreſentari Tunicam Ruyſchianam integram, ſed portionem ejus expanſam, idque e pueri cadavere.

Figura 4. Tunica choroidea ſeſe videndam exhibet laceratam, partim arteriolis privatam, partim quoque ditatam. Id quod ſtudio quoque factum puta, ut luculentius oculos incurrat particula tunicæ choroideæ, a Ruyſchiana avulſa & reflexa. A. Tunicæ choroideæ portio, nullis arteriis ditata. B. Portio Tunicæ choroideæ a Ruyſchiana avulſa & reflexa, ut ſubjecta Ruyſchiana lit. C. notata, oculos incurreret. D. Arteriolæ per choroideam diſperſæ. E. Nervi Optici portio.

Figura 5. Faciem interiorem Tunicæ Ruyſchianæ expanſæ denotat, cum ligamento ciliari, ut & ejus proceſſu, idque ex homine adulto. A A. Portio Tunicæ Ruyſchianæ facie poſteriore viſa, tot Arteriolis ditata, ut plures recipere vix ac ne vix quidem poſſit. B. Ligamentum ciliare, pluribus jugis undulatis præditum, per quod ligamentum dicta Tunica Ruyſchiana quoque expanſa eſt. C. Proceſſus ciliaris, per quem fibræ longitudinales reptant, donec

donec ad circulum minorem pervenere. D. Circulus minor, pupillæ proxime adſitus, Tunica Ruyſchiana, neque ejusdem arteriolis privatus.

Figura 6. Juga aliquot ligamenti ciliaris, oculis armatis viſa, & per conſequens naturali magnitudine multis numeris majora, ſuntque arteriolis Tunicæ Ruyſchianæ inſtructa, quæ non ſolum per ſpatia interjugalia, verum etiam per eorum dorſum jucundo ſpectaculo repunt.

Figura 7. Iridis arteriolas, oculis armatis viſas, exhibet.

Figura 8. exhibet Iridis arteriolas, easque naturali magnitudine, in circulum majorem & minorem diviſas.

SANCTI GEORGII FLORENTII GREGORII, EPISCOPI TUronenſis, Opera omnia, nec non FREDEGARII SCHOLASTICI Epitome & Chronicum. Opera & ſtudio THEODERICI RUINART, Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri.

Pariſiis, apud Franciſcum Muguet, 1699. in fol. Alphab. 9. plag. 11.

QUemadmodum Pariſienſium typographorum officinæ iſtam ſibi vindicare poſſunt gloriam, quod omnium primo in exſcribendis Gregorii, Turonenſis Epiſcopi, operibus occupatæ fuerint: ita & iisdem recentiſſima nunc horum editio debetur, quam celeberrimi Theoderici Ruinarti induſtria curavit. Primam iſtorum operum impreſſionem A. 1511, ſtudio Hieronymi Clichtovei a Joanne Parvo factam, & ſequenti anno, Guilielmo Parvo adminiculante, Jodoci Badii typis conſummatam novimus, quam deinceps A. 1561 Moreliana, & A. 1568 Flaciana excepit, prout A. 1583 ſeptem Miraculorum libri typis Materni Cholinii luci publicæ expoſiti fuerunt. Ut taceamus, quid circa Gregorium hunc in veterum auctorum collectione anno eodem Laurentius de la Barre, & A. 1589 Margarinus de la Bigne in Bibliotheca Sanctorum Patrum, quidque A. 1610 in ſingulari editione Latina aliaque Gallica Pariſienſes præſtiterint. Has A. 163 ſecuta eſt Marquardi Freheri editio, ad codicem Bibliothecæ Palatinæ, in Hiſtoricorum Franciæ collectio-

ne Hanoviæ typis Wechelianis adornata. Nec omittendus Andreas du Cheſne, qui in collectione ampliſſima omnium autorum, quotquot de Francorum gente aliquid ſcripſerunt, Tomo primo A. 1636 vulgato, inter cætera diverſorum autorum opera, Hiſtoriæ Gregorii, ad quinque codices manuſcriptos exactæ, principem locum conceſſit. Quadriennio poſt Joannes Balesdens octo Miraculorum libros cum hiſtoria ſeptem Dormientium vulgavit Pariſiis. Quibus ultimo demum loco acceſſit omnium omnino Gregorii operum civitate Gallica donatorum & notis illuſtratorum editio, quæ in lucem prodiit curis Michaelis Marollii, Abbatis Villalupenſis, Pariſiis ex Frederici Leonardi officina A. 1668. Aſt nihilo tamen ſecius, poſt tot alias, novam editionem neceſſariam eſſe judicavit laudatus ſupra Ruinartus, hac potiſſimum ratione motus, quod nondum ſatis accurate ad Autoris mentem opera illius, ob veterum codicum defectum, impreſſa fuerint.

Quantum vero momentum, ſi res imprimis Francorum reſpicias, in Gregorio hoc ſitum ſit, in præfatione ampliſſima Ruinartus noſter exponit, non præter rem ab Hadriano Valeſio Epiſcopi hujus libros Francicæ hiſtoriæ fundum appellari judicans; quandoquidem ea ſit Gregorii fortuna, ut nemo de Francorum regni primordiis abſque ejus ſubſidio ſcribere valeat; ſicut is in hoc quoque laude dignus ſit, quod Francorum originem nullis fabulis reſperſerit, nihilque habeat de Trojanis profugis, quos alii Francorum parentes effinxerint, nihil de aliis ejusmodi næniis, quibus ſubſecutis poſtea ſcriptoribus narrationem ſuam *farcire* placuerit. Qua de cauſa non pigratur, veterum Francorum hiſtoriam ex ſcriptis Gregorii quaſi in compendio exhibere. Eos nempe diu in iſta regione ſtetiſſe ait, quæ ultra Rheni ripam poſita ſit. Reges an olim habuerint Franci, an vero Duces ſolummodo, aut quovis alio nomine appellatos Principes, Subregulos aut Regales, in medio relinquere Gregorium innuit; qua quidem in re graviter culpetur a Valeſio, qui Reges apud Francos ſemper extitiſſe contendat. Verum etſi de Regis nomine diſputare nolit, non tamen evinci poſſe ex antiquo monumento arbitratur, unico Regi Francos omnes tunc temporis paruiſſe; quamvis certum videatur, familiam aliquam inter eos fuiſſe primam & nobiliorem, ex qua

populi

populi Rectores ſumi conſueverint. Hinc de eorum bellica fortitudine diſſerit, ſedemque monſtrat, quam Rhenum tranſeuntes ſibi acquiſiverint, usque dum Chlodoveus totam ferme Galliam imperio ſuo adjecerit. Eorum religionem uno verbo indicare docet Gregorium, dum eos Fanaticorum, id eſt, Paganorum erroribus fuiſſe detentos aſſerat, priusquam Chlodoveus Chriſtianam religionem fuiſſet amplexus; nonnullos tamen ex iis Arianis adhæſiſſe, colligit ex eodem Autore, qui Lantechildem Chlodovei ſororem Arianam commemoret. Sed & officialium & dignitatum gradus inter Francos varios recenſet. Leges etiam attingit, Regiorumque liberorum dignitatem celebrat. Abſolutam dehinc autoritatem Regum populorum amore conciliatam, horumque ſub Francis felicitatem extollit. Epiſcopos in conſilium regium adſcitos, & ab ipſis Regibus reverenter admodum habitos commonſtrat. Quantopere autem Catholicæ religionis profeſſioni addicti Reges ſemper fuerint, ex eo maxime patere putat, quod uxores hæreſi infectas ducere nunquam voluerint. Ut taceamus, quæ ex eodem Gregorio de Eccleſiæ Gallicanæ diſciplina, Epiſcoporum electione, translatione & ſucceſſione, de ſervandis Ordinum gradibus, de liturgia Gallicana, de forma Eccleſiarum, de feſtis, ſupplicationibus, exequiis, benedictionibus, adminiſtratione ſacramentorum, deque cenſura Eccleſiaſtica commentatur. Neque attingemus, quæ de fidei Romanæ confirmatione ex Gregorio petenda diſſerit. Singula enim hæc vel indice monſtraſſe digito ſufficere jam tum, & pergendum opinamur potius ad apologiam, quam pro Gregorio ſuperaddit.

Dicere nimirum monet aliquos, ſtylo illum adeo ruſtico ſcripſiſſe, ut absque faſtidio vix legi poſſit; apocrypha veterum ſcripta ab ipſo nonnunquam fuiſſe laudata; imo non ſolum incerta pro certis, ſed & falſa ab eo data interdum fuiſſe pro veris, & ipſum in aliquot errores impegiſſe; denique tantæ fuiſſe illum ſimplicitatis & credulitatis, ut quævis promiſcue facta pro miraculis habuerit. At enim vero ſtyli ruſticitatem non Gregorii, ſed ejus ætatis vitium fuiſſe ait; eo enim tempore, poſt varias clades, quas ſub repetitis toties barbarorum incurſionibus Galliæ perpeſſæ fuerint, adeo incultas jacuiſſe literas, ut nemo inveniri potuerit,

rit, qui res geſtas conſignare valeret, aut certe, ſi quis politiori eas ſtylo deſcribere ſuſtinuiſſet, inutilem futuram fuiſſe ejus ſcriptionem cauſatur, utpote quam plerique non intellexiſſent. Apocrypha nonnunquam ſecutum Gregorium, falſisque uſum eſſe monumentis, & computationes temporum non ſatis conſtantes adhibuiſſe, haud diffitetur. Sed hæc omnia utilitati operum illius vix quicquam detrahere exiſtimat, cum pertineant potiſſimum ad veteres hiſtorias, quas ille ex autoribus aliis depromſerit, unde etiam citra difficultatem aliunde emendari poſſint. Neque in credendis Sanctorum miraculis faciliorem eum aliquando fuiſſe inficiatur. Attamen cum certum ſit ex aliis iſtius *ævi* ſcriptoribus, tunc temporis miracula multa contigiſſe, non ob id ſolummodo, quod miracula ſint, rejicienda eadem venire cenſet, niſi aliqua ratio gravis id ſuadeat; indeque de miraculorum ſeculo imprimis ſexto frequentia, tunc quidem neceſſaria & ab ipſis etiam hæreticis agnita, uberius diſſerit.

Ad Gregorii ſcripta quod ſpectat, nullam occurrere in catalogo eorum contexendo difficultatem ſtatuit, cum ea in libris ſuis ipſe recenſuerit. Et ex iſtis ſane, quos nominet, extare ſcribit omnes, præter librum de curſibus Eccleſiaſticis, qui omnino interierit, & commentarium in Pſalmos, cujus aliquot ſolummodo fragmenta ſuperſint. Laudare etiam Gregorium Apollinaris Sidonii librum de Miſſis, cui ipſe præfationem adjunxerit; ſed illud opus ſolo nomine tenus innotuiſſe addit. Levioris momenti eſſe docet Paſſionem Sanctorum ſeptem Dormientium fratrum Epheſi quieſcentium, quam ſe in Latinum transtuliſſe ſermonem, Syri cujusdam interpretis ope, Gregorius fateatur; an vero uspiam verſio hæc extet, in medio relinquit. Eam enim, quam Surius habeat, Gregorianam non eſſe, vel ex hoc ſolo conjicit, quod ibi Dormientium nomina pleraque alia ſint ab iis, quæ ipſe Gregorius in libro de Gloria Confeſſorum recenſeat. Libelli ſingulares *de vita* aliquot Sanctorum, qui a plerisque inter opera Gregorii connumerentur, utrum re ipſa a vitis Patrum, quæ Gregorium utique autorem agnoſcant, ſecernendi ſint, parum intereſſe arbitratur; at cenſet tamen, Gregorium primo aliquot ſanctorum ſeculi ſui Patrum vitas in unum librum collegiſſe, inſcriptum de Vita quorundam

dam Felicioſorum aut Religioſorum; poſtea vero, cum & aliorum Sanctorum geſta comperta habuiſſet, de iis libellos edidiſſe ſeorſim, quos dehinc vel ipſe vel alii ſub unico Vitæ Patrum titulo cæteris adjunxerint. Majorem fore circa ſancti Nicolai vitam, quam Sammarthani in Gallia Chriſtiana laudent, difficultatem, niſi eſſet librariorum manifeſtus error, aut certe autorum iſtorum memoriæ lapſus, qui Nicolai pro Nicetii nomen invexerint. Etenim Sammarthanos, qui ſoli inter Gregorii opera ſancti Nicolai vitam recenſeant, Voſſii locum ex libro de Hiſtoricis Latinis exſcripſiſſe; at Voſſium ſancti Nicolai vitam non habere, ſed Nicetii, quam Sammarthani omittant. Librum de mirabilibus ſancti Medardi inſcriptum inter Gregorii opera quosdam allegare, ſed eum a Gregorio conceptum fuiſſe negat. De antiphona in honorem ſancti Medardi, quam ſub Gregorii nomine ediderit Surius, vix quicquam certi affirmare audet, cum nihil habeat, unde ejus autor commode dignoſci queat. Circa libellum de paſſione Domini, Epiſcopo noſtro ab aliquibus tributum, iis adſtipulatur, qui eum a vulgatis geſtis Pilati haud diſtinguendum eſſe cenſeant. Librum de miraculis ſancti Andreæ ſub Gregorii Turonenſis nomine inveniri obſervat, in codice bibliothecæ Sancti Germani a Pratis, ab annis circiter ſexcentis ſcripto, qui liber in aliis quoque codicibus habeatur, ſed abſque Gregorii præfatione: hanc autem, ſicuti & brevem operis epilogum, Gregorii fœtum eſſe, ſtyli & ſcribendi rationem ſatis indicare aſſerit, etſi hujus libri nullam in ſuorum operum catalogo mentionem fecerit. Præfatiunculam libro ſancti Juliani præfixam Gregorii utique ſtylum ſapere concedit. Quæ de hiſtoria ſeptem Dormientium in utramque partem diſputentur, fuſius ſe perſequi haud velle aſſerit, iſtudque ſolum obſervari cupit, quod, etſi epiſtola operi præfixa Gregorio tribuatur, non inde tamen inferendum ſit, hiſtoriam ipſam ab eodem autore conſcriptam fuiſſe. Vitas ſanctorum Albini & Maurilii, Epiſcoporum Andegavenſium, quæ in codicibus quibusdam vetuſtis Gregorio adjudicentur, non alias eſſe autumat ab iis, quæ ſub Fortunati nomine proſtent, easque proin a Gregorio non ſcriptas, ſed recognitas forte & emendatas fuiſſe colligit. In vita ſancti Aredii, Abbatis Atanenſis, nihil quidem occurrere, quod Gregorio in-

Digitized by Google

dignum, aut ab ejus genio alienum videatur, ſed phraſes tamen quasdem in eadem haberi ex Gregorio Magno, imo & ex Benedicti regula mutuatas, quod moribus Gregorii repugnet. Chronicum peculiare ab eo ſcriptum negat, & breviarium ſeu hiſtoriam Francorum abbreviatam haud differre a Fredegarii epitome, quam Gregorio tribui mirum haud ſit, cum ex ejus verbis omnino conſtet, ejusque nomen & eandem, quam ipſa hiſtoria, præfationem exhibeat. Similem fere fortunam tribuit libro, qui Geſta Francorum inſcribatur, quique ex ipſiſſimis Gregorii verbis utplurimum contextus ſit; ejus tamen autorem ad Theoderici Calenſis principatum pertinuiſſe, omnino certum judicat.

Quonam ordine ſingulos Gregorius libros conceperit, difficulter determinari poſſe fatetur, quandoquidem non unum poſt alterum abſolutum deſcribere curavit, ſed interrupta unius opuſculi elaboratione alterum aut inchoarit, aut jam inchoatum continuarit, imo & abſolutum data opportunitate additamentis novis auxerit. Imprimis vero Hiſtoriam pro ingenii ejus poſtremo fœtu habendam venire, non refragatur. Interpolatam vero eſſe eam negat atque pernegat, & Caroli Cointii argumentis in contrarium adductis reſpondere diſcurſu admodum prolixo nititur.

De diligentia ſua in novam hanc operum Gregorii editionem impenſa hæc teſtatur, quod eadem per partes diſciſſa ante & cum variis variorum autorum operibus permixta in unum nunc volumen collegerit, ab infinitis propemodum mendis liberarit, nonnulla nova addiderit, aliquot capitula olim indicata quidem, ſed nondum inventa, ex quorundam exemplarium fide ſuppleverit, Gregorianæ hiſtoriæ integritatem aſſeruerit, notasque addiderit marginales, quæ varias manuſcriptorum codicum, aut veterum & novarum editionum lectiones exhibeant, tempora rerum geſtarum indicent, locorum ſitus deſcribant, perſonarumque notitiam ſuppeditent. Quid? quod & fuſiores aliquot notas ad voluminis calcem adjecerit, quibus nonnulla antiquitatis monumenta ad illuſtrandum Gregorium idonea inſerantur. Præterea vitam ex ejus ſcriptis ab Odone, Abbate, ut putat, Cluniacenſi collectam ad multos codices antiquos contulit, eique virorum illuſtrium de Gregorio teſtimonia attexuit. Poſt hæc ſubſequuntur annales Francici, ſeu

Digitized by Google

ſeu veterum autorum, qui Gregorium præceſſerunt, loca, & monumenta alia, in quibus Franciæ aut Francorum mentio occurrit, ſecundum ordinem chronologicum diſpoſita, quæ ſecum a Clariſſimo Viro, Carolo Bultello, liberaliter communicata laudat, nec indicare omittit manuſcriptos codices, quibus felici cum ſucceſſu hoc in opere uti licuerit.

Addendam vero dum exiſtimavit Fredegarii epitomen, quæ hiſtoriæ Gregorianæ breviarium dici mereatur, ipſumque ejus Chronicum, ac illius continuatores usque ad Pipini Regis obitum, & ejus filiorum Carolomanni & Caroli inaugurationem, idcirco de hoc Fredegario operibusque ejus nonnulla in anteceſſum commentatur. Utut enim difficile ſit dicere, quinam fuerit Fredegarius, cum ne ejus quidem nomen certum ſit, patria tamen eum Burgundionem fuiſſe, Valeſio Cointioque adſtipulatus cenſet, & hiſtoricam collectionem, ab ipſo mundi exordio ad Guntramni usque ætatem ex var is chronicis adornatam, deberi ei innuit, ac ſui poſtea temporis hiſtoriam ab ipſo ſuperadditam fuiſſe ſtatuit. Illius de cætero ætatem ad ſeculi ſeptimi exitum referre, multis inductus rationibus haud dubitat.

Quod ſupereſt, appendicem addidit, varia antiqua monumenta exhibentem, quæ collegit ex vetuſtis autoribus variisque hiſtoriarum collectionibus, quas aut a Gregorio laudari, aut multum ad opera ejusdem illuſtranda prodeſſe ſenſit. Quinimo & brevem monaſterii Sancti Germani a Pratis hiſtoriam attexuit, ideo, quod illuſtriſſimum id pietatis ac munificentiæ Childeberti Regis documentum, ipſeque in ejus baſilica cum Regibus nonnullis aliis ſepulchrum adeptus ſit. Æri quoque incidi curavit iconem tumuli Fredegundis Reginæ, atque alias iſtius ævi reliquias, quas multum ad hiſtoriam iſtorum temporum dilucidandam conferre poſſe, perſuaſum ſibi habuit.

A COLLECTION OF ORIGINAL VOYAGES &c.

h. e.

Sylloge variorum itinerum a GUILIELMO HACKIO edita.

Londini apud J. Knapton 1699. 8. Plagulæ 13 & tabulæ æneæ 4.

IN hac Sylloge exhibentur Culeji Periplus orbis terrarum,
Sharpii iter in Darienam Scotorum nuper invaſionibus celebra-
tam, Woodi navigationem ad fretum Magellanicum, & Roberti
p. 2. expeditiones piraticas ac deſcriptionem maris Ægei. In Culeji,
qui A. 1683 ex Virginia ſolvit, Hodœporico inter alia hæc memora-
p. 5. bilia occurrunt. Incolas inſulæ Salis, quæ inter Azores, ſive Flan-
p. 6. dricas refertur, quamvis nigerrimi ſint, tamen Æthiopes audire
p. 7. nolle, ſed albos ſe Luſitanos nominare. Mare Auſtrale plu-
res producere balænas, quam Septentrionale. Prope inſulam Jo-
hannis Ferdinandi in mari Auſtrino tantam eſſe piſcium copiam
p. 19. affirmat, ut vir unus, die una, id capere poſſit, quod ducentis alen-
dis ſufficiat. De Guajanæ incolis refert, nunquam eos cadavera
mortuorum ſepelire, ſed Soli exponere, ut putreſcant, *illosque* i-
pſos cuſpides haſtis ex oſſibus cadaverum præfigere, & vulnera iis
inflicta, niſi intra 7 dies curentur, lethalia eſſe. Addit quendam
p. 25. illorum 40 ictibus ſauciatum fuiſſe, antequam ſpiritum amitteret.
p. 35. & 36. In Borneo inſula vinum bibere, capital eſſe tradit. Accolas pro-
montorii Bonæ Spei, ſive Hottentottos candidos quidem naſci, aſt
p. 55. ſordibus nigrorem contrahere. Eosdem non indignari, ſi uxores
cum exteris concumbant; aſt a popularibus eas violari nolle. Quod
ad Sharpium attinet, deprehendit ille Regem Americanorum pro-
pe S. Mariam ferme centenarium, refertque Anglum quendam ab
eſu pomorum Mancenillæ virulentorum totum emaciatum diem
p. 62. tandem obiiſſe. Woodius obſervavit, Pinguinas aves nunquam
plura uno fœtu ova excludere, quam tria, & accolas freti Magel-
lanici inſtar Scytharum vagari, nec certas ſedes habere. Rober-
tus tandem vitam & mores piratarum, nomine quidem Chriſtiano-
rum, ſed reipſa barbarorum, qui non Turcas, ſed miſeros Græcu-
los infeſtent, ut & quomodo Veneti Chium inſulam A. 1694 oc-
p. 5. cuparint, curate deſcribit, & inprimis voluntarios piratarum mili-
p. 13. tes peſſimos nebulones ſuis coloribus delineat, ingenueque fate-
p. 21. tur, ſibi ſeptem annorum ſervitutem Algeriæ ſerviendam, præ ſe-
p. 35. ſeq. ptem menſium inter piratas commoratione, arridere. In fine hu-
jus Hodœporici invenies deſcriptionem inſularum maris Ægei, ut &
Smyrnæ, celeberrimi Aſiæ emporii.

LET

Digitized by Google

LETTERS WRITTEN BY SIR W. TEMPLE &c.

i. e.

GUILIELMI TEMPLE Equitis Baronetti Epiſtolæ. Voll. II.

Londini apud J. Tonſon &c. 1700. 8. Pars I conſtat plagulis 31. Pars II plag. 23.

QUod de Tullianis non familiaribus tantum, ſed ad Atticum præcipue literis eruditi dudum affirmarunt, civilis prudentiæ locuples eas penu eſſe, id jure quoque optimo de his Viri illuſtris Guilielmi Templæi ad ſummos Europæ Proceres epiſtolis, quicunque eas cum cura perlegerit, aſſeverabit. Enim vero character Viri non modo prudentis, ſed probi etiam atque honeſti, ex ſingulis ferme elucet. Pars prima complectitur res a Templæo, durante primo, quod Carolus II Britanniæ Rex cum Belgis Fœderatis A. 1665, 66, 67 ſuſceperat, bello Bruxellis, & Coeſveldiæ apud Monaſterienſium Præſulem geſtas, ut & quæ Hagæ Comitis de fœdere ad conſervationem Belgii Hiſpanici inter Anglos, Suecos & Batavos ineundo (triplex vocabant) agitata fuerunt: quibus paſſim immiſcentur epiſtolæ familiares. Secunda autem continet, quæ A. 1668-670 acciderunt. Ubi inprimis legenda eſſe putamus, quæ p. 302-308 de aulæ Anglicanæ inconſtantia ad Patrem conqueritur, his verbis ſane memorabilibus epiſtolam quaſi obſignans: *Diu jam in aulis & in civilibus negotiis verſatus didici mundum & meipſum cognoſcere, jamque agnoſco, mihi cum aularum artibus non convenire, & nec illas, nec me in alios mores degeneraturum. Scilicet in rebus publicis & in rebus privatis quiſque ſuos patimur Manes.* Silentio hic involvimus elogia Johannis Wittii, Ordinum Hollandiæ Advocati, ſive ut vulgo loquuntur, Penſionarii, non magis celeberrimi, quam infeliciſſimi, quem magnis paſſim laudibus, ringentibus licet, qui in Anglia ad clavum tum ſedebant, tantum non in cœlum effert. Accedunt utrique parti epiſtolæ ab aliis, & inter illos maximis orbis terrarum Proceribus, ad Templæum ſcriptæ. Enimvero alia quoque hoc ipſo anno Hagæ Comitis Gallicæ conſuetudini ex Anglico ſermone tradita epiſtolarum Templæi prodiit editio, quam Joneſius curavit. Eam vero longe a noſtra diverſam eſſe, ſi epiſtolam primam, & illam quidem longe, quam in Anglicano exemplo auctiorem, exceperis, ipſa libri inſpectio docet. Continet autem epi-

Digitized by Google

ſtolas a Viro illuſtri ad Arlingtonium & Trevorium pari, quo reliquæ, candore & prudentia exaratas.

VETERA MONIMENTA, IN QUIBUS PRÆCIPUE MUSIVA Opera, ſacrarum profanarumque ædium ſtructura, ac nonnulli antiqui ritus diſſertationibus, iconibusque illuſtrantur. JOANNIS CIAMPINI Romani &c. PARS SECUNDA poſt Auctoris obitum evulgata.

Romæ e typographia Bernabo, 1699. fol. Alph. 2. plag. 8. Tab. æn. 56.

PRimam ſplendidi hujus Operis partem A. 1690 menſe Auguſto recenſuimus, & timorem, ne ob præmaturam Auctoris celeberrimi & de bonis literis meritiſſimi mortem reliquæ perirent, nunc aliquatenus leniri videmus. Abſolvitur autem altera hæc pars *XXX capitibus*; quorum *primo* ſiſtitur & explicatur fragmentum inſignis operis Muſivi, quod olim in tholo Eccleſiæ S. Conſtantiæ exſtabat, profanum licet, ac ruſticationem deſignans, pluribusque Geniis & aliis figuris ornatum. *Cap. II* duo promuntur Muſiva, quorum alterum Romæ duas repræſentat fœminas cum equo marino; alterum in pavimento eccleſiæ S. Michaëlis Ticini tam ſacris abundat imaginibus, ut Davidis & Goliathi, quam profanis, ut Minotauri a Theſeo interfecti; ubi Labyrinthi præſertim formam animadverſione dignam judicat Ciampinus. *Caput III* inſcribit quidem de antiquis Chriſtianorum ſepulcris, *in arcis tamen* ſimul quibusdam Ravennatenſibus, quarum *una* ethnicis inſuper figuris ornata, occupatur. *Capite IV* repetit latiusque diducit expoſitionem duorum ſarcophagorum ſacri baptiſmatis ritum indicantium, quam ante triennium peculiari libello, a nobis etiam A. 1698. menſe Januario recenſito, vulgaverat; adjectis etiam formis veterum baptiſmalium fontium, Lateranenſis inprimis & *civitatis* Piſarum, quorum hujus integram orthographiam oculis ſubjicit. *Cap. V* ad æneas eccleſiæ Archiepiſcopalis *Beneventanæ valvas* accedit, variis ex Novo Teſtamento hiſtoriis *ornatas*, ac rudi manu inſculptas; in quibus ſubinde reprehendit *fingendi* in pictore temeritatem. Ex adjectis Epiſcoporum titulis illuſtrat Sarnelli

Me-

Digitized by Google

Memorias Chronologicas Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Beneventanorum, putatque, valvas has conſtructas fuiſſe, poſtquam hi Suffraganei ceſſarunt, qui præfatis viſuntur in valvis. *Cap. VI* prolixam continet inveſtigationem Hiſtoricam de cruce ſtationali. Primo probat, cruces ſtationales illas eſſe, quæ anteſignanæ erant, & in proceſſionum initio deferebantur. Hinc delineat explicatque duas cruces argenteas, quæ a Capitulo Lateranenſis eccleſiæ in ſolennioribus extolluntur proceſſionibus. *Capitis VII* initio excutit controverſiam de templo Romæ & Veneris, judicatque, hanc ſtructuram duo compoſuiſſe conjuncta templa, alterumque, quod in ingreſſu rotundum eſt, Romæ, alterum vero oblongum Veneri dicatum fuiſſe. Templum hoc a Felice III ſive IV Papa in baſilicam SS. Coſmæ & Damiani A. 530 converſum eſt, cujus prærogativas recenſens Ciampinus, inprimis laudat monumentum Creſcentiæ familiæ, quod in ea exſtat. Inde accedit ad illuſtrandam Tribunam, muſivo opere ornatam, cujus ſummitas agnum & ſeptem candelabra ex Apocalypſi, aliasque figuras; arcus vero Chriſtum ſex Sanctis ſtipatum complectitur. Porro quo brevius *Capite VIII* eccleſiam S. Michaëlis Ravennatenſem ejusque Muſivum abſolvit: eo diutius moratur *Cap. IX* in Muſivis eccleſiæ S. Vitalis ejusdem urbis, quorum duo præcipua Juſtinianum Imp. ejusque conjugem Theodoram cum Imperiali pompa ſiſtunt, & a Ciampino melius, quam ab Alemanno & Cangio, ad prototypa efformantur. Ad eundem modum verſatur in Muſivis aliarum eccleſiarum Ravennatenſium, ut *Cap. X* S. Mariæ in Coſmedin; *Cap. XI* S. Apollinaris in Claſſe; *Cap. XII* S. Apollinaris Novi; ubique illarum eccleſiarum originem nomenve præmittens. Idem præſtat *Cap. XIII* Romam reverſus, & illuſtrans Muſivum eccleſiæ S. Laurentii in agro Verano; *Cap. XIV* alia eccleſiæ S. Agnetis extra mœnia urbis via Numentana; *Cap. XV* Oratorii S. Venantii, ſive Baſilicæ Theodori; ubi variorum Sanctorum effigies exhibentur. Quod etiam fit *Cap. XVI* in Muſivis eccleſiæ S. Stephani in monte Celio; *Cap. XVII* eccleſiæ S. Sebaſtiani, ubi inprimis ipſius Sancti imago conſideratur; *Cap. XVIII* eccleſiæ S. Euphemiæ; *Cap. XIX* eccleſiæ S. Marci; *Cap. XX* eccleſiarum SS. Nerei & Achillei; quarum utriusque origines inveſtigantur, & in poſterio-

ri

Digitized by Google

ri Baronius adverſus Alemannum defenditur. Quæ vero *Cap XXI* de Leoniano triclinio habentur, ex ejusdem Alemanni libro de Lateranenſibus parietinis excerpta ſunt. *Cap. XXII* agit de Aquisgranenſi baſilica, a Carolo M. conſtructa, Muſivoque ex Apocalypſi ornata, circa A. D. 802. *Cap. XXIII* de eccleſia S. Suſannæ ad duas Domus, ſive intra duas Lauros Urbis a Leone III Muſivis ornata, ubi inprimis curioſis oculis ſpectare licet tam Leonis ipſius, quam Caroli Magni effigies, ipſis adhuc viventibus formatas. *Cap. XXIV* de eccleſia S. Mariæ in Dominica Urbis, A. 815 reædificata, muſivisque picturis illuſtrata a Paſchali I Papa, cujus itidem viventis, & ad S. Mariæ pedes proſtrati icon ſpectanda eſt. Idem Paſchalis etiam depingitur inter Muſiva opera, quibus eccleſiam S. Praxedis, capellam S. Zenonis, & eccleſiam S. Cæciliæ, magno numero ornavit, *Capp. XXV, XXVI, & XXVII* ſollicite deſcriptis. *Caput XXVIII* enucleat Muſiva in eccleſia S. Mariæ Novæ, & *Cap. XXIX* in eccleſia Capuana exſtantia. Ultimum denique *Caput XXX* continet Cyclum Paſchalem ex antiquo marmore, qui adhuc in metropolitana Ravennatum eccleſia ſpectatur, una cum Noriſii explicatione, ex opere illius de Epochis Syro-Macedonum deprompta.

JO. ANDR. SCHMIDII TH. D. PP. ABBATIS MARIÆvallenſis Conſilium de Centuriatorum Magdeburgenſium emendatione, defenſione atque continuatione &c.

Helmſtadi, apud J. M. Suſtermannum, 1700. 4. Plag. 5.

CUm Centuriarum Magdeburgenſium opus tantum tredecim ſeculorum hiſtoriam Chriſtianam complectatur, ac illi continuando unicum hominem non ſufficere, experientia doceat; omnes Proteſtantium eccleſiarum eruditos in ſubſidium vocandos exiſtimavit Maxime Reverendus Autor. Poſtquam igitur de adornandarum Centuriarum occaſione, deque autorum ſcopo, ordine tractationis, calumniis in autores ſparſis, operis verſionibus Gallica & Germanica, epitome Oſiandrina, Luciana editione, adverſariis *Bruno, Eiſſengrenio, Copo, Caniſio, Bellarmino, Genebrardo, Turriano,*

Schul.

Schultingio &c, elogiis *Balei, Caſauboni*, *Montacutii, Spanhemii &c,* nævis tum indicatis tum excuſatis, tentata continuatione *Oſiandri, Lucii &c.* diſſeruiſſet; exhibet integrum de continuandis Centuriis conſilium B. Caſparis Sagittarii, quem olim in academia Jenenſi collegam atque conjunctiſſimum amicum habuit. His Sagittarii meditamentis ſubjicit inſtituti ſui rationes, atque Proteſtantium viros doctos rogat, ut veniant in laboris ſocietatem, dirigantque cogitationes ſuas ad tria potiſſimum momenta: quorum primum ſit Centuriarum emendatio, cum eas nævis haud carere, nemo non fateatur. Secundo easdem Centurias defendendas putat, non quidem contra illos, qui dignum aliquid refutatione in illis reperiſſent, ſed contra irriſores & obtrectatores. Tertium idque præcipuum fore dicit, earundem continuationem, quoad hiſtoriam XIV, XV, XVI, & XVII ſeculorum. Si qui igitur nonnulla, quæ huc faciunt, vel ipſi collegerunt, vel ab aliis collecta noverint, aut denique hac epiſtola invitati collecturi ſint, eos, ut diximus, rogat, ut ſumti laboris copiam illi faciant. Quod ſi vero ſint, quibus integra capita, ad ductum Magdeburgenſium elaborare adlubeſcat; e re boni publici futurum credidit, ut inſtitutum illorum ei indicetur, cum forte cuilibet communicari poſſint, quæ ſtatum eccleſiarum in illis regionibus, quas quisque inhabitat, proximius attineant. Hortatur denique omnes, ut hac occaſione vindicent ſanctæ antiquitatis monumenta paſſim latentia, ne cum tineis & blattis luctari neceſſum amplius habeant. Nec vana fuiſſe amica iſta monita, hoc ipſo tempore jam deprehendit, quando ab amicis edoctus fuit collectanea ad Centurias XIV, XV, XVI, & epiſtolas Franc. Balduini JCti ad collectores conſcriptas, quarum mentionem in hiſtoria fecerat, non eſſe deperditas, ſed in auguſtiſſima quadam bibliotheca ſancte aſſervari.

S. HIERONYMI CATALOGUS SCRIPTORUM ECCLESIAſticorum, ſeu de Viris Illuſtribus liber, cum notis Eraſmi Roterodami, Mariani Victorii, Henrici Gravii, Huberti Miræi & Jo. Alb. Fabricii. ERNESTUS SALOMO CYPRIANUS recenſuit & annotationibus illuſtravit.

Digitized by Google

Francofurti & Lipſiæ impenſis Joannis Melchioris Süſtermanni, Bibliopolæ Helmſtadienſis, in 4. 1700. Alph. 1. pl. 16.

PRæmiſſa diſſertatione præliminari, in qua de variis titulis, quibus ſuperſtite Hieronymo liber hic inſignitus fuit, nec non de editi libri tempore, codicibus MSCtis, verſione Sophronii aliisque agitur; exhibet Cl. Cyprianus textum Hieronymi, in quo raro ab Eraſmi lectione receſſit. Adduntur deinde doctiſſimorum virorum ſcholia & annotationes, quibus multa ſcitu digniſſima habentur. Sub finem adjiciuntur Cypriani ipſius annotationes, quibus indicat, ubi in bibliothecis libri, ab Hieronymo recenſiti, in bonæ notæ codicibus manuſcriptis habeantur, redditque emendationum ſuarum rationes. Præcipue vero egregium codicem bibliothecæ Auguſtæ Guelpherbytanæ adhibuit, cujus lectionem paſſim ſervandam exiſtimavit. Ut ſpecimen exhibeamus, capite XLII, ubi de Apollonio martyre in vulgatis Hieronymi editionibus legitur, Apollonium *a ſervo Severo* proditum eſſe, ait, rectius retineri hanc lectionem
p. 259. Guelpherbytani codicis: *ſub Commodo principe a Severo proditus.* Cum enim in Euſebio nomen proditoris omiſſum ſit, ac ſolum dicatur, Apollonium a *ſervo Diaboli* proditum eſſe; Hieronymum proditoris nomen adjeciſſe putat, deinceps vero nonneminem, qui Euſebium cum Hieronymo contulerit, ad vocem *Severo* adſcripſiſſe verba Euſebii, *ſervo Dæmonis*, quarum vocum prior in textum deinde irrepſerit, poſteriori neglecta, aut intricatius ſcripta, ut legi non poſſet. Recedit etiam ſubinde a communi ſententia, ut cum
p. 246. Quadratum Athenienſem martyrem fuiſſe, Joannem Conſtantino-
p. 300. politanum circa annum DCXXX demum Chryſoſtomi nomen obtinuiſſe, Gregorium Nazianzenum, qui hoc ipſemet diffitetur, Na-
p. 280. ſeq. zianzi epiſcopum egiſſe contendit, ac ſynodo Arelatenſi interfuiſſe negat Reticium Auguſtodunenſem, cujus vitam fuſius, quam antea quiſquam, perſequitur. Nonnulla quoque obſcuriora loca commode interpretari conatur, ut cum Polycrates capite XLV ait, Joannem apoſtolum auream laminam in fronte geſſiſſe; quæ verba proprie intelligi haud poſſe oſtendit, ſed ita intellecta vult, ut dicimus, alicui faſces ſubmittere, id eſt, alicui morem gerere. Ut igitur faſces ſubmittere deſignet obſequium; ita auream laminam in

Digitized by Google

in fronte gerere, idem eſſe putat, ac ſummum ſacerdotium obtinere, cum aurea lamina fuerit inſigne ſummi Judæorum Pontificis, quod ex Joſepho probat. Itaque hunc facit verborum Polycratis ſenſum, Polycratem non poſſe alia, quam quartadecima Luna celebrare paſcha, cum ipſe Joannes, qui Pontifex fuerit, & auream laminam geſtaverit, id eſt, qui maxima autoritate in eccleſia enituerit, eo die ſolitus ſit celebrare. p. 260.

OPERUM CLEMENTIS ALEXANDRINI SUPPLEMENTUM, exhibens Ejusdem I. Librum: Quis dives ſalutem conſequi poſſit? II. Adumbrationes in Epiſtolas aliquot Catholicas. III. Fragmenta. Collegit & cum Præfatione ſua Faſciculoque obſervationum miſcellanearum edidit D. THOMAS ITTIGIUS, Th. P. P. Canonicus Miſenenſis, Conſiſt. & Fac. Theolog. Aſſeſſ. ad D. Nicol. Paſtor, & Diœceſeos Lipſ. Superintendens.

Lipſiæ, apud hæredes Lanckiſii, 1700. in 8. plag. 20.

SÆpe quidem hactenus iteratæ fuerunt operum Clementis Alexandrini editiones, ſed earum tamen nulla hæc, quæ in titulo voluminis præſentis comparent, opuſcula exhibuit. Neque enim in Græca Petri Victorii, quæ omnium prima fuit, anno quippe 1550 Florentiæ vulgata; nec in Latina, quæ hanc anno ſubſequente ibidem excepit; nec in Baſileenſi A. 1566, aut Lugdunenſi Batava A. 1616 impreſſa, & Pariſiis poſt aliquoties, ultimumque A. 1641 repetita, aut Colonienſi A. 1688 ad poſtremam Pariſienſem adornata, eadem leguntur, etſi jampridem e tenebris in lucem protracta fuerint. Junctim ergo iſta in editionum modo memoratarum ſupplementum dare conſultum duxit Maxime Reverendus Ittigius.

Et primo quidem loco Clementis Alexandrini *de divitum ſalute* libellum collocavit, de quo in eruditiſſima ad Lectorem præfatione obſervat, quod cum Michael Ghiſlerius in ſuis ad Jeremiam commentariis Græce & Latine hoc ſub titulo publici juris fecerit: *Origenis homilia vigeſima & ultima inter homilias ejusdem ſuper Jeremiam in Græco codice Vaticano repertas, Johanne Matthæo Caryophilo interprete.* Verum deinceps obſervaſſe ait Ghiſlerium, quod tractatus hic non Origeni, ſed Clementi Alexandrino debea-

Digitized by Google

tur, unde in præfatione ad ſuos in Jeremiam commentarios errorem hunc correxerit. Inter reliquas autem tractatus hujus, quas recenſet, editiones, eam imprimis, quam Johannes Fell, Epiſcopus Oxonienſis, Oxoniæ e theatro Sheldoniano edidit, brevibusque ſcholiis illuſtravit, ſequendam ſibi ſumſit Autor Maxime Reverendus, retentis etiam uncinulis, quibus ille verba ad ſupplendas lacunas in ſuo exemplari occurrentes ex ingenio proprio adjecta includi fecerat, minime neglectis brevibus illis ſcholiis, quæ Oxonienſis Epiſcopus itidem adjunxerat. Quin etiam ex Ghisleriana & Combefiſiana editione varias quasdam lectiones ſubinde annotavit. Neque tamen negat, adhuc paſſim Clementis textum medicas manus deſiderare, nec defuiſſe viros doctos, qui occaſione data, nonnulla hujus libelli loca, (quorum aliqua allegat,) emendare ſategerint.

Primo huic opuſculo ſubjecit ejusdem Clementis *in Catholicas quasdam*, priorem nempe Petri, Judæ item ac duas priores Johannis *Epiſtolas adumbrationes*, Bibliothecis Patrum jampridem inſertas. Græce autem iſtas amplius haberi negat, ſed Latine tantum, nec integras, verum quales Magnus Aurelius Caſſiodorus eas eſſe voluerit; quippe qui in Divinis ſuis Inſtitutionibus referat, ſe ita transferri easdem feciſſe, ut excluſis quibusdam offendiculis purificata ejus doctrina ſecurius hauriri poſſet. Num vero, quæ hodie ſuperſunt, adumbrationes illæ ipſæ ſint, quas Caſſiodorus a ſe emendatas dixerit, aliis dijudicandum relinquit. Et nomen quidem adumbrationum ex Græco ὑποτυπώσεων expreſſum eſſe, Oxonienſem Epiſcopum conjectura haud improbabili aſſerere exiſtimat.

Tertio demum loco varia Clementis *fragmenta* ſuperaddidit, non ea ſolum, quæ in Anglicana editione extant, partim ex Nicetæ catena in Jobum, partim ex Corderiana in Lucam catena deprompta, ſed plura quoque alia ex eadem Nicetæ in Jobum, & ex ejusdem in Matthæum catena, ex Oecumenio quoque & Euſebio excerpta, inque margine hujus editionis duplici aſteriſco notata. Hæc vero cum jam excuſa eſſent, incidiſſe ſe ait in aliud Clementis fragmentum, quod ex quinto Hypotypoſeon excerptum recenſeat Johannes Moſchus in Prato ſpirituali cap. 176, inque bina illa,

Digitized by Google

illa, quæ ex ejusdem libro de providentia deprompta apud S. Maximum Tomo II opp. p. 144 & 152, nec non in duo loca, quæ ex tractatu de paſchate apud Petavium in Uranologio p. 399 leguntur; quæ ſingula huc transcribit, & plura ſibi ex Anglicanis bibliothecis eruta promittit a Johanne Erneſto Grabio, cum in Spicilegio ſuo ad Clementem Alexandrinum pervenerit.

Poſtremo ex editione Anglicana addidit *hymnum ad Pædagogum*, quem in manuſcripto exemplari Græco Pædagogi Clementis, quod Londini in bibliotheca Regia ſervetur, Epiſcopus Oxonienſis invenerit, alteri hymno, qui in omnibus Clementis editionibus Pædagogo ſubjiciatur, adjunctum, quemque ſub ἀδήλȣ titulo codex quidam Bodlejanæ bibliothecæ, collectanea promiſcua è Græcis Poëtis continens, exhibeat.

Hæc poſteaquam de Clementis opusculis & fragmentis nunc, velut in operum ejusdem ſupplementum, datis monuit, de iis etiam operibus, quæ in editionibus ſupra allegatis contineantur, diſſerit, ac inter alia ex Montacutio obſervat, quod integrum Hypotypoſeon opus apud Patriarcham Alexandrinum extare, Fronto Jeſuita aliquando ad doctiſſimum Savilium perſcripſerit. Quæ vero Photius in iſtis Hypotypoſibus a Clemente prolata dicat blaſphema ac impia, ea minime ab ipſo in Pædagogo & Stromatibus aperte & copioſe defenſa innuit, ut Joanni quidem Clerico videatur, ſed mavult dicere, quod, ſi a Clementis manu profecta fuerint, quæ in Hypotypoſibus ejusdem legerit Photius, aliorum magis quam ſuam is ſententiam retulerit, vel etiam ab hæreticis Hypotypoſes Clementis corruptas fuiſſe atque depravatas conjicit. Gelaſium & Synodum Romanam Clementis ſcriptis apocryphorum notam inuſſiſſe dicit, non quod de illorum autore dubitatum fuerit, ſed quod aliqua erronea dogmata in illis continerentur, quæ occultari fas eſſet. Ac ſane ab erroribus eum minime abſolvit, eorumque cauſſam facit nimiam credulitatem, qua motus autoritate ſcriptorum quorundam apocryphorum decipi ſe paſſus fuerit. Atque hinc paſſim ſequiora de eo judicia tuliſſe ait tum Noſtrates & Reformatos, tum Pontificios; quanquam nec deſint inſignia elogia, quibus ob eruditionem ſuam ſubinde ab antiquis & recentioribus ſcriptoribus ornetur, usque adeo, ut divi etiam, ſancti, quin & ſanctiſſi-

mi titulos eidem vindicari deprehendas, utut alii, quos nominat, æquo iſtos animo ferendos haud eſſe judicarint.

Hiſtoriam latronis a Johanne Evangeliſta converſi Clementem utique autorem agnoſcere, exinde probat, quod in libello, *quis divitum ſalvus fiat*, cap. 42 referatur; unde pateat hallucinatio Anaſtaſii Sinaitæ, qui in libris Stromatum eandem referri, in homilia ad Pſalmum ſextum perhibuerit. Verane autem illa ſit an falſa, non diſputat. Id potius certum eſſe dicit, ſacramentum confirmationis ejusque antiquitatem ex hiſtoria hac probari haud poſſe, etiamſi Arcudius, Menardus atque alii hoc argumento uſi fuerint, & Chriſtophorſonus Latinus Euſebii interpres ſignaculum illud Domini, quo Epiſcopus juvenem ſuæ fidei commiſſum, tanquam firma cuſtodia appoſita, communiviſſe dicatur, per ſacramentum confirmationis reddiderit, quem Baronius aliique ſequantur. Rectius enim per ſignaculum Domini baptiſmum intelligi, ad locum illum in ſuo Euſebio Valeſium annotaſſe regerit. Melius hiſtoria hac uti dicit eos, qui diuturnam illam pœnitentiæ diſciplinam, quæ ſucceſſu temporis in Eccleſiam invecta ſit, Apoſtolorum ævo nondum floruiſſe, ſolide exin demonſtrent. Iſtud etiam ſuperaddit, non videri Scaligerum hiſtoriam hanc in mente habuiſſe, quando in ſuis ad Theſaurum temporum prolegomenis referat, intervallum illud ab ultimo capite Actorum Apoſtolicorum, ad medium Trajani imperium, plane ἄδηλον vocari poſſe, cum ex eo nihil certi de rebus Chriſtianorum ad nos pervenerit, ideoque Euſebium, ut hiatum hunc ſuppleret, inter alia ἐκ τῶν ὑποθέσεων Clementis ſine delectu nonnulla depromſiſſe. *Etſi* enim Tillemontius ſibi perſuadeat, Scaligerum, cum iſta ſcriberet, ad hanc latronis converſi hiſtoriam reſpectum habuiſſe, addatque, ideo Scaligero diſplicuiſſe iſtam, quod cum Calvinianorum placitis parum conveniat, ſibi tamen ſuſpicionem illam nulla veritatis ſpecie ſe probare fatetur, cum Scaliger non de Clementis tractatu, qui de *divitum* ſalute agit, ſed de Hypotypoſibus illius locutus fuerit.

Singula autem hæc ſicut in Præfatione latius deduxit Autor Celeberrimus, ita in appendice obſervationum miſcellanearum decadem ſubnexuit. *Prima* obſervatio *Concilium Apoſtolorum*, in quo immaculatam B. Virginis Mariæ conceptionem decretam perhi-

hibeat in Innocentia vindicata Cœleſtinus de Sfondrata, Cardinalis, explodit, iſtudque aliis quibusdam fictitiis primi ſeculi Conciliis adjungendum monſtrat, ſive Apoſtolicis, qualia ſint, in quibus Apoſtoli Symbolum, & canones & conſtitutiones condidiſſe, vel Deiparæ Virgini exequias celebraſſe, nec non Antiochenum, in quo novem canones ab Apoſtolis ſanciti ferantur, quos a Pamphilo Martyre in Origenis bibliotheca inventos Franciscus Turrianus in lucem protulerit; ſive eccleſiaſticis, qualia Illiberitanum, in quo ſub Neronis imperio nonnullos Jacobi diſcipulos bonis ſpoliatos & flammis exuſtos Flavius Dexter memoret, & Cherſonenſe A. 60, in quo itidem Jacobi diſcipulos bonis ſpoliatos & necatos fabulator iſte comminiſcatur, ac ſimilibus. *Secunda* de *numero Canonum Nicænorum* agit, & plures eorum, quam viginti, a Patribus Nicænis conditos fuiſſe negat, atque argumenta a Cardinali d' Aguirre in contrarium allata, numero quam pondere majora eſſe oſtendit. *Tertia* Joannem Harduinum refellit, ſtatuentem, *ex omnibus Juſtini Martyris operibus*, quæ quidem ad ætatem noſtram pervenerint, *ſolum Dialogum cum Tryphone ſpurium non eſſe.* *Quarta Cypriani epiſtolam ad Stephanum*, in cauſa Martiani Arelatenſis ſcriptam, Joanni Launojo præter rem ſuſpectam videri docet, ejusque argumentis undecim, quibus ſuam probare conatur ſententiam, ſatisfacit. *Quinta* ex infinitis voluminibus, quæ a *Tatiano* ſcripta teſtetur Hieronymus, nihil hodie ſupereſſe probat, quam orationem adverſus Græcos, quæ A. 1546 cum Antonii & Maximi ſententiis Latine prodierit, interprete Conrado Geſnero, quem recte nominari a Labbeo, contra virum quendam celeberrimum, Conrado potius Clauſero interpretationem iſthanc tribuendam eſſe conjicientem, aſſerit. *Gregorii opuſculum de anima Tatiano inſcriptum*, quod Nicolaus le Nourry ſe primum ex manuſcripto edidiſſe putarit, tanti non eſſe ſtatuit. Quæ Geſnerus de Tatiano ſcripſerit, Juſtini eum Martyris auditorem, & ipſum quoque ſub Juliano apoſtata martyrem fuiſſe, ἀσύστατα prorſus nuncupanda venire affirmat. *Sexta Athenagoram* a celeberrimo quodam Eccleſiæ noſtræ Theologo, in Theologia ſua naturali & revelata, B. Ignatii in Antiochena eccleſia ſucceſſorem per memoriæ lapſum appellari obſervat. Libros illius περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν uspiam extare, aut

ab

ab ipſo unquam ſcriptos eſſe negat. Litis inter eruditos agitatæ circa quæſtionem, obtuleritne Athenagoras apologiam ſuam Marco Aurelio, ejusque fratri Lucio Vero, an potius Marco Aurelio ejusque filio Commodo, meminit, ac quid Dodwello, quid Stephano le Moyne ea de re viſum fuerit, oſtendit. *Septima* de *Damaſi operibus* agit, & eorum editiones a Cardinali Aguirre & Joſepho Maria Suarezio promiſſas memorat, factam vero a Martio Mileſio Sarazonio editionem delineat, ac in præcipuorum quorundam Damaſi operum ſeu γνησιότητα ſeu νοθείαν inquirit. *Octava Arianos* paſſim *Exocionitas* cognominari probat, ab Exocionio ſeu loco quodam urbis Conſtantinopolitanæ, ubi Ariani urbe expulſi conventus ſuos agere conſueverint. Unde perperam Raderus τοὺς λεγομένους ἀριθμοὺς ἐξωκιονίτας, qui in Chronico Alexandrino a Theodoſio expulſi dicantur, *dictos numeros Exocionitas* fuerit interpretatus. Recte enim Dominum du Freſne obſervaſſe, pro ἀριθμοὺς legendum eſſe Ἀρειανοὺς, ac mirum proinde ait, quod Raderus non meminerit, Autorem Chronici Alexandrini alibi quoque Arianorum Exocionitarum mentionem injeciſſe. Minus etiam probat Viri cujusdam docti conjecturam, qui apud Cedrenum & alios pro Exocionitis Eſocionitas legat, & nomen hoc de monachis, qui in columnis ſedes ſuas fixerint, exponat. *Nona* in hæreſeos *Bonoſi* hiſtoriam inquirit, tandemque *decima apologiam Athanaſii*, quæ ſecunda nuncupetur, conſiderat, & quonam fundamento Papebrochius aliud ipſi nomen indat, eamque σύλλογον vocandam reputet, demonſtrat.

A DEFENCE OF A BOOK INTITULED the Snake in the Graſſ &c.

i. e.

DEFENSIO LIBRI, CUJUS TITULUS ANGUIS IN HERBA latens, qua ad varia reſpondetur, quæ eidem oppoſita fuerant a GEORGIO WHITHEADO & JOSEPHO WYETHO &c.

Londini apud C. Brome, 1700. 8. Alph. 1. plag. 9.

QUamvis liber iſte, qui ſub titulo *Anguis in herba latentis* olim contra Quakeros prodiit, inque Actis noſtris A. 1697. p. 391 ſeqq.

Digitized by Google

ſeqq. recenſetur, magno applauſu in Anglia fuerit exceptus, ex Fanaticorum tamen, quos diximus, familia non defuerunt, qui variis eundem ſcriptis impugnare auſi ſunt. *Anguem* igitur iſtum contra adverſarios ſuos defendere Auctor hujus, quem exhibemus, libri ſatagit, duabus conſtantis partibus, quibus tertiam quoque acceſſuram, in admonitione ad lectorem promittit, atque ea, quæ in præfatione *Angui* præfixa, contra Antoniam Burignoniam prolata fuerant, ab exceptionibus recentioris cujusdam ſcriptoris, qui Apologiam Burignoniæ ejusque librorum confecit, breviter vindicat.

In prima parte Auctor Georgii Whitheadi tractatum, quem ſub *Antidoti* titulo publicavit, examinans, & ejus facetias miratur, dum *Anguem* nulla reſponſione dignum eſſe dixerit, & acerrimas, quas Antidotum continet, calumnias carpit, & ſcriptorem *Anguis* nullam contra Quakeros perſecutionem molitum fuiſſe teſtatur. p. 3. Cumque Whitheadus imprimis id excuſare laboret, quod ad quæſtiones, in conventu quodam publico A. 1695 Londini propoſitas, (quarum mentio in Supplem. *Anguis* N. VII facta eſt, & quæ in collectione ſecundæ hujus libri parti annexa N. I leguntur) directe reſpondere Quakeri noluerint; ea de cauſa id factum fuiſſe demonſtratur, ne hæreſes atque dogmata ſua luci exponere cogerentur: quæ quam blaſphema ſint atque horrenda, pariter oſtenditur. Teſte ſcilicet Auctore noſtro, Quakeri cum Anthropomorphitis atque Muggletonianis Deo corpus, carnem, ſanguinem atque oſſa tribuunt; p. 11. Chriſtum naturale ejusmodi corpus ab æterno habuiſſe hominemque fuiſſe adſerunt, & illam Chriſti humanitatem, quam ſpiritualem, cœleſtem, increatam vocant, ab illa, quam in utero Virginis adſumſit, quæque ipſis terreſtris, corruptibilis, creata & externa adpellatur, diſtinguunt; externam illam humanitatem non ita Chriſtum adſumſiſſe, ut vere & realiter pars naturæ ipſius facta fuerit, ſed ſolum veluti vas, velamen & indumentum quoddam cœleſtis humanitatis induiſſe ajunt; omnem hominum redemptionem atque Chriſti ſatisfactionem cuidam effictæ paſſioni, morti, reſurrectioni ac adſcenſioni humanitatis cœleſtis aut luminis interni adſcribunt, cujus typum externam Chriſti paſſionem fuiſſe credunt; Chriſtum externum contemnunt, ejusque paſſionem ad ſalutem obtinendam minus efficacem eſſe contendunt, illumque ſe-

 cu-

Digitized by Google

cundum externam humanitatem jam in cœlis eſſe & tanquam hominem ad judicium aliquando venturum negant; Jeſum Nazarenum ſive illam perſonam, quæ in cruce paſſa eſt, proprie Dei filium eſſe inficiantur; meri denique Deiſtæ ſunt, & omnium quidem peſſimi, utpote qui nullam inter Deum atque creaturas differentiam ſtatuunt, ſed quamvis rem, ipſumque adeo Diabolum, Deum eſſe credunt. Hæc monſtra opinionum Auctor Quakeris intentat, quæ
p. 13. ſingula ut in ſequentibus prolixe probat, ita primum in eo eſt, ut quæ primo loco Quakeris objecerat, plurimis ipſorummet teſtimoniis demonſtret, quæ tamen hic repetere nolumus. Auctor *Anguis in*
23. *herba latentis* multos Quakerorum dæmoniacos atque energumenos dixerat, ad quod cum Whitheadus præter alia reſpondiſſet, Quakeros non magis quam alios furore quodam diabolico interdum corripi, Auctor noſter Quakeros omnino præ reliquis inſanire demonſtrat. Propterea ad tot eorum exempla provocat, qui
42. ſæpius nudi incedant, qui veſtitu pariter ac geſtu a communi conſuetudine recedant, qui ſe a peccatis vacuos ac Deo æquales jactent, & prophetico quodam ſpiritu agitari credant, qui miram illam membrorum diſtorſionem patiantur & in publicis conventibus veluti muti ſileant. Confirmat porro ſententiam ſuam Quakerorum Americanorum, quorum inſaniæ argumenta in *Angue* p. 75. ſeqq. leguntur, & eorum tandem omnium exemplis, qui fratrum ſuorum dementiam excuſare ſolent. Cum vero plurima alia
44. ſeqq. in *Angue* perperam Whitheado dicta videantur, Auctor omnia vindicat, nec falſo craſſiſſimorum errorum Quakeros inſimulari demonſtrat. In altera hujus libri parte, quæ ſeptem ſectiones comprehendit, Appendix conſideratur, quæ Antidoto Whitheadi juncta Joſephi Wyethi nomen ſubſcriptum habet, & titulo *primi Chriſtianiſmi* inſignitur. Primum itaque non unum, ſed plures huic
p. 4. ſeqq. opuſculo manus admoviſſe ſuſpicatus, methodum, qua Quakeri in refutandis adverſariorum libris uti ſolent, Auctor deſcribit, & illorum maledicentiam, calumniandi pruritum, arrogantiam, minas, verſutiam, variaſque artes exponit, diverſiſque exemplis tum ex hac appendice, tum aliis ſcriptis deſumptis comprobat. Et veluti vix aliquid in hoc Wyethi ſcripto eſſe ait, quod argumenti vicem
112. ſuſtinere poſſit, ſi forte contraria teſtimonia, quæ contra factas accuſa-

Digitized by Google

cuſationes proferuntur , excipias ; ita partim docet, hac ratione
Quakeros non penitus abſolvi, ſed potius turpiſſimarum contradi-
ctionum coargui; partim oſtendit, teſtimonia illa objectis errori-
bus non vere contraria eſſe, id quod eo magis evincit, quo accu- 112.
ratius ſingula ponderat, & Quakerorum fraudes atque fallacias in
lucem profert. Examinatis deinde illorum reſponſionibus, quas
de matrimonii prohibitione ac ſtuprorum commendatione, infal-
libilitate item ac perfectione toties jactata reprehenſi reddunt, Au-
ctor rationes in appendice adductas perpendit, ob quas nec caput
aperire, nec aliis meritos honorum titulos tribuere, ſed in ſecunda 162.
perſona reliquos alloqui ſoleant; quæ omnia non ex morum im-
peritia, ſed potius ex ſuperbia eoque conſilio ab illis fieri exiſti-
mat, ut communem reipublicæ ſtatum convertant. Tandem il- 194.
lam de lumine interno doctrinam blaſphemam æque atque abſur-
dam eſſe, variis ex rationibus evincit, & varia Scripturæ loca e. g.
Rom. 10. 8. Joh. 1. 9. 1 Joh. 2. 20. quibus illam inniti ajunt, ab il-
lorum commentis non modo vindicat, ſed etiam diverſa ſacrarum
literarum dicta ipſis opponit, quibus lumen illud obfuſcatur pe-
nitus atque extinguitur, junctis ſimul ipſorum Quakerorum teſti-
moniis, qui luminis illius vanitatem ſatis agnoverunt.

In calce libri variorum ſcriptorum collectio quædam additur,
quæ ad Quakeros & illorum dogmata ſpectant. Primo leguntur
Quæſtiones cum reſponſione Quakerorum a Doct. Lancaſtrio A.
1695 17 Maji ipſis propoſitæ, quarum ſupra Parte I. p. 9. mentio fa-
cta fuit. Secundo narratio quædam Georgii Keithi cernitur, qua p. 16.
quid in duobus conventibus Londini A. 1678 a Quakeris inſtitutis
peractum ſit, exponitur. Tertio loca quædam ex MSto quodam
Humfredi Northoni deſumpta referuntur, ex quibus abſona Qua-
kerorum dogmata eluceſcunt. Quarto exempla quædam propo-
nuntur, quibus probatur, Quakeros in libris doctorum ſuorum de-
mortuorum, ſi denuo imprimantur, plurima aut mutare aut omit-
tere. Quinto Epiſtola producitur Johannis Feildi & Gulielmi 78.
Bingleyi, Quakerorum, ad Thomam Lane, Prætorem Londinenſem,
in qua auctores imprimis decimarum injuſtitiam demonſtrare co-
nantur. Sexto verba quædam recenſentur, quæ Quakeri A. 1699.
14. Januar. rerum novarum ſcripto nuncio, qui *The Poſtman* ad-

pellatur, inſeri curaverunt, ex quibus patet recentiores Quakeros
81. antiquorum blaſphemias adhuc retinere. Septimo ſcriptum quoddam in medium profertur, quo ridiculis fere argumentis Quakeri contra capillamenta diſputant. Octavo anathema contra Gulielmum Wilkinſium latum additur, qui uxorem, quæ non e Quakerorum numero erat, duxerat, & per Miniſtrum eccleſiæ connubio cum illa junctus fuerat. Nono tandem ſcriptum annectitur, quo Quakeri Thomæ Bradleyo jus ſepulturæ denegarunt, quod perinde ac Wilkinſius a Sacerdote in matrimonio ſe collocari permiſerit.

OBSERVATIONS SUR LA MANIERE DE TAILLER &c, Nouveau Syſteme de la Circulation &c.

id eſt.

OBSERVATIONES DE MODO SECANDI ATQUE EXTRAhendi Calculum in utroque ſexu, prout adminiſtrari ſolet a Fratre Jacobo. Nec non Syſtema novum de Circulatione Sanguinis in fœtu humano per foramen Ovale, cum Reſponſionibus ad Objectiones contra novam hanc hypotheſin factas. Autore JOHANNE MERY, B. Reginæ Chirurgo, & Regiæ Scientiarum Academiæ Anatomico.

Pariſiis, apud Johannem Boudot, 1700. in 12. Conſtat Alph. 1. plag. 2, cum ſex fig. æneis.

INter duos præſentes Domini Mery tractatus ordine primus eſt ille, qui de Sectione Calculi Veſicæ agit, cujus contenta potiora ſunt fere ſequentia:

Innotuit Lutetiæ Pariſiorum A. 1697 Monachus quidam, Frater Tertii Ordinis S. Franciſci, nomine Jacobus Beaulieu, qui, poſtquam Veſontione, ubi in Xenodochio, *à la Charité* appellato, ordinarie degebat, non minus ac in aliis locis Regni Franciæ pluribus calculi veſicæ ſectionem, ut rumor tunc ferebat, ſatis feliciter adminiſtraſſet, tandem Pariſiis etiam quædam tentavit operationis ſuæ ſpecimina, & tanta quidem dexteritate atque promptitudine, ut vulgi applauſum mox conſequeretur, & a pleriſque pro Lithotomo

tomo

Digitized by Google

tomo inuſitatæ experientiæ & artis haberetur. Rumor hic poſtquam & Academiæ Scientiarum Regiæ innotuit, Præſes ejusdem examen novi hujus Lithotomi concredidit præſenti noſtro Autori, Domino Mery, qui, viſa & obſervata in Noſocomio *l' Hotel Dieu* dicto, prima ejusdem ſectione, facta in cadavere viri, in cujus veſicam ſtudio calculum intruſerant, non dubitavit in reſponſione Præſidi transmiſſa fateri, eſſe hanc Fratris Jacobi operationem conſuetæ aliorum Lithotomorum omnino præferendam, quippe quam absque ulla muſculorum virgæ læſione, & ſine inciſione vaſis cujusdam majoris, ſequenti modo inſtituiſſet:

Immiſſo in veſicam cathetere ſolido, exacte rotundo, non ſulcato, differente itaque ab illo, quo utuntur, qui modo hactenus conſueto calculum ſecare ſolent, arripuit ſcalpellum ſimile illis, quibus utimur ordinarie, longius tamen, quo ipſo inciſionem fecit circa latus ſiniſtrum atque internum protuberantiæ oſſis iſchii, & progrediens inde oblique ſuperiora verſus, diſſecuit omne id, quod occurrit a dicta protuberantia usque ad catheterem ſuum, quem hactenus firmatum retinuit. Facta ſic inciſione, intruſit in vulnus veſicæ digitum, ad calculum explorandum, atque explorato ejusdem ſitu, immiſit in veſicam peculiare inſtrumentum ad dilatationem vulneris atque exitum calculi faciliorem adaptatum. Supra hocce inſtrumentum intruſit in veſicam forcipem oblongam, & reperto tandem calculo, retraxit catheterem ſuum ex urethra ſimulque forcipem cum veſicæ calculo per patentem vulneris viam: id quod ſingulari præſtitit promptitudine, licet adæquaret fere calculus ovi gallinacei magnitudinem. Abſoluta ſic ſectione, inquirens Dominus Mery in partes illas, quas ſcalpello ſuo Lithotomus hic penetraverat, obſervavit, applicaſſe eundem ſcalpellum inter muſculum erectorem atque acceleratorem ſiniſtrum, absque eorundem læſione, ac diſſecuiſſe tandem veſicæ collum per totam ſuam longitudinem a latere, ſimulque corpus veſicæ ipſum, ad menſuram pollicis dimidii.

Hactenus bene. Poſtquam autem Dominus Mery non ſolum altera vice operationem novi hujus Lithotomi in Noſocomio *l' Hotel Dieu* examinaſſet, in fœminæ & infantis cadavere inſtitutam: ſed & A. 1698 inquiſiviſſet in partes læſas tredecim ſubjectorum a Fratre Jaco-

bo ſatis infeliciter ſectorum, plane aliter de novo hoc Lithotomo ſentire cœpit, atque obſervavit, eundem rei Anatomicæ penitus ignarum atque inconſiderato audacem, in hoc ſubjecto perforaſſe inteſtinum rectum, in illo ſeparaſſe urethram & virgam a veſicæ collo; in aliis corpus veſicæ perforaſſe, modo per exploratorium, modo per ſcalpellum, in aliis laceraſſe vaſa hypogaſtrica cum venis, arterias itidem ac nervos ſanguinem & ſpiritus ad corpus virgæ cavernoſum & portionem urethræ ſpongioſam ferentes; & iterum in aliis muſculos virgæ cum elevatore anus ſiniſtro diſſecuiſſe; in fœminis & puellis perforaſſe hinc inde vaginam; per operationem autem apparatus minoris fere ſemper contuſionem excitaſſe lethalem, facta inepta & violenta veſicæ atque inteſtini recti compreſſione.

Obſervatis his ineptis Fratris Jacobi operationibus, Dominus Mery, in publici commodum, ſuam de Lithotomo hoc novatore ſententiam edere decrevit, quod præſtitit etiam tractatu præſenti, in cujus prioribus octo capitibus ſectiones illas omnes cum omnibus circumſtantiis proponit, quæ a Fratre Jacobo Pariſiis in Noſocomiis publicis *à l'Hotel Dieu* & *à la Charité* factæ ſunt: in quinque autem ſequentibus ſatis prolixe diſſerit de iiſdem, & num Fratris Jacobi operandi modus præferendus ſit Lithotomorum reliquorum conſueto; id quod negat, ex his potiſſimum rationibus: 1. quod ſeparatio colli veſicæ ab urethra ſit effectus *ordinarius* operationis Fratris Jacobi: 2. quod incontinentia urinæ & *fiſtulæ* ſint ſymptomata nullo modo in ejuſdem operatione *vitanda*, quæ tamen in ordinaria atque hactenus conſueta *rarius* ſint metuenda: 3. quod commemorata hæc ſymptomata per operationem Fratris Jacobi excitata plane ſint incurabilia: 4. quod inſtrumenta ipſi ſolennia inepta ſint atque periculoſa, exemplo catheteris minus ſulcati, atque dilatatorii inconvenientis. Siquidem præterea annotavit etiam, ex ægris illis, numero ſexaginta, a Jacobo Beaulieu *ſectis*, viginti quinque periiſſe; & ex triginta quinque illis, qui ſuperſtites poſt operationem fuerunt, non plures quam tredecim *perfecte* fuiſſe reſtitutos, reliquos omnes in Noſocomiis reſtitiſſe ægrotantes & laborantes vel urinæ incontinentia, vel fiſtula, & omnes fere tabe atque maraſmo incurabili.

Tan-

Digitized by Google

Tandem igitur ex his Dominus Mery concludit, Jacobum hunc Beaulieu per conſcientiam eſſe obſtrictum, huic operandi modo valedicere, & ſecare fœminas atque puellas modo omnibus Lithotomis conſueto; in viris autem ac pueris ſequendam ipſi eſſe methodum illam, quam proponit Autor, niſi culpam incurrere velit graviſſimam, in foro humano æque ac divino inexcuſabilem.

Conſiſtit autem modus ſecandi calculum novus, ab Autore noſtro p. 98 & 99 præſcriptus in ſequentibus: ægro ligato & poſito in ſitu ordinario, immittendus ſtatim manu dextra in veſicam catheter ſulcatus, deinde manu ſiniſtra inclinandus idem, quoad extremitatem in manu detentam, verſus regionem inguinalem dextram, ut curvatura ejusdem applicari queat verſus latus internum oſſis pubis ſiniſtri, ita ut catheteris ſulcata pars lateraliter conſpiciatur: poſtea, aſſumpto in manum dextram ſcalpello incurvato, tres aut quatuor pollices longo, trium linearum circiter latitudine in parte convexa acie inſtructo, atque in extremitate ad pollicis longitudinem aculeato, recta immittendum id ipſum in partem catheteris ſulcatam, directam verſus angulum illum, quem oſſa pubis per unionem ſuam efformant, pars aculeata autem ſcalpelli usque in veſicæ collum adigenda, & firmato bene apice in catheteris ſulco, inclinanda manus ad faciendam inciſionem, deſcendendo a collo veſicæ, per latus internum oſſis pubis, usque ad protuberantiam oſſis Iſchii. Facta hoc modo inciſione, intrudendus in veſicam conductor vel forceps, ut alias etiam fieri ſolet. Si hoc procedatur modo, obtineri poterit, ut Autor exiſtimat, eadem extrahendi calculum facilitas, quæ in operatione Jacobi Beaulieu laudanda, absque ullo tamen periculo atrociorum ſymptomatum, quæ illam comitari ſolent. Evitari etiam hoc modo poterunt pleraque illa ſymptomata, in ſectione calculi ordinaria metuenda, ſiquidem urethra diſſecatur ad collum veſicæ usque, ſine læſione muſculorum virgæ, ſcrotum autem penitus illæſum permanet, cujus læſio alias fere ſemper hæmorrhagiis & gangrænæ eſt obnoxia. Abſoluta operatione ægrum dextro lateri incumbere jubet, ut ſcilicet, mediante hoc ſitu, urina facilius viam invenire per urethram poſſit; neque negligendam ligaturam conſuetam femorum ad genua ſuadet.

Jam

Digitized by Google

Jam ad alterum Autoris noſtri tractatum accedimus, quem ſex potiſſimum abſolvit Diſſertationibus, quarum prima continet prolixam novæ hypotheſeos de Circulatione ſanguinis in fœtu deſcriptionem, prout eadem in Regiæ Scientiarum Academiæ Diarium anno 1692. inſerta eſt, & quæ breviſſimis in his fere conſiſtit terminis, quod putet Dominus Mery, ſanguinem in fœtu humano ex auricula ſiniſtra tranſire per foramen ovale in ventriculum cordis dextrum. Diſplicet enim Autori vulgaris illa, atque ab omnibus fere Anatomicis recepta opinio, in fœtu portionem ſanguinis, quæ per venam cavam in cor revertitur, effundi per foramen ovale in venam pulmonalem, atque ex hac pergere ad ventriculum cordis ſiniſtrum, absque eo, quod pervadat ventriculum cordis dextrum. Neque enim veriſimile eſſe exiſtimat, ſanguinem, qui recta proſequi poſſet viam ſuam in vena cava, averti, ut penetrare queat per foramen ovale in venam pulmonalem. E contrario ipſi potius videtur, quod, quemadmodum venæ pulmonis ſiniſtri correſpondent directe cum foramine ovali, quædam ſanguinis portio, has tranſiens venas, determinata ſit per hanc ipſam directionem ad tranſitum per foramen ovale in venam cavam, atque ex hac in ventriculum cordis dextrum, non obſtante valvula, quæ adſtat circa orificium foraminis ovalis, quippe quæ ſanguinis in venam cavam ingreſſum impedire nequeat. Conferantur Acta Erudit. A. 1693. p. 231.

Et hanc ſuam de circulatione ſanguinis in fœtu ſententiam confirmare conatur per obſervationem quandam curioſam, ex ſectione vel anatome teſtudinis marinæ deſumptam, quæ, cum ſatis accurate jam deſcripta inveniatur Supplem. T. II. p 228. eandem recenſere hic prolixius ſupervacaneum eſſet. Interim videri in allegati tractatus prima diſſertatione p. 9. ſeqq. poſtulata illa merentur, quæ non minus atque hanc teſtudinis marinæ anatomen fundamenti loco proponit Autor, & quæ demonſtrata prius fuiſſe Examinatoribus Regiæ Scientiarum Academiæ in quatuordecim cordibus humanis tam fœtuum, quam adultorum, itemque in corde vituli atque fœtus agnini, ex propria Examinatorum confeſſione ac ſubſcriptione nominum cognoſcimus.

In Secunda commemorati tractatus diſſertatione reſpondet Dominus Mery ad objectiones contra hanc ſuam hypotheſin, ſtatim

tim

tim poſt ejusdem publicationem, a Domino Du Verney in Academia factas.

Tertia, præter ſimilitudinem foraminis ovalis & canalis communicationis teſtudinis marinæ cum iisdem partibus in fœtu humano, loco fundamenti etiam proponit inæqualitatem, quæ occurrit in fœtu inter capacitatem trunci aortæ, & capacitatem arteriæ pulmonalis, cum æqualitate illa, quæ reperitur in adultis inter earundem arteriarum capacitatem. In diſſertatione quarta reſpondet objectionibus a Domino Buiſſiere in epiſtola ad Dominum Bourdelin data propoſitis.

Diſſertatio quinta communis eſt reſponſio ad objectiones theſium Domini Tauvry, & epiſtolæ Domini Verheyen. Unica autem reſponſione nominatis jam duobus Anatomicis ſatisfacit, quod Dominus Tauvry, uti exiſtimat, maximam argumentorum partem, quibus ſuam aggreditur hypotheſin, ex epiſtola Domini Verheyen deſumpſerit.

Sexta demum continet ventilationem trium diſtinctarum objectionum contra novam hanc hypotheſin a Domino Sylveſtri propoſitarum. Et in hac ultima non minus ac in quarta & quinta, non ſolum provocat Autor ad inæqualitatem capacitatis aortæ & arteriæ pulmonaris, ſed præterea etiam ad differentiam illam, quæ reperitur inter capacitatem auricularum ac ventriculorum cordis fœtus humani, & ad æqualem capacitatem eorundem in adultis. Demonſtrare præterea in tribus his ultimis diſſertationibus conatur, quod, dum ventriculus cordis dexter largitur per arteriam pulmonarem ventriculo ſiniſtro omnem illum ſanguinem, quem effundit hic ipſe in aortam, neceſſario, ad ſuſtentandam circulationem ſanguinis continuam, tranſire debeat in adultis, uno eodemque tempore, tantum ſanguinis per arteriam pulmonarem, quantum per aortam, eadem etiam celeritate, ſiquidem duo cordis ventriculi, qui in adultis ſunt æquales, exonerentur uno eodemque tempore in duas hasce arterias, quarum capacitas itidem eſt æqualis; & hinc duas iterum format conſequentias: 1. quod cordis robur vel ex utraque parte debeat eſſe æquale, id quod affirmatur in diſſertatione quarta & quinta: vel, ſi robur ventriculorum ſit inæquale, proportionatum tamen illud eſſe oporteat diverſæ reſiſten-

Digitized by Google

tiæ, quam ſanguis ſuſtinet in diverſis corporis partibus, id quod conſtanter affirmat ſub finem diſſertationis ſextæ. 2. quod, ſi capacitas ventriculi cordis ſiniſtri in fœtu humano dimidia parte minor ſit capacitate dextri, & aortæ dimidio minor capacitate arteriæ pulmonaris, ſequatur exinde neceſſario, eadem celeritate dimidio plus ſanguinis tranſire per arteriam pulmonarem, quam per aortam, ſiquidem duo cordis ventriculi eodem ſe exonerantes tempore, non poſſint effundere plus ſanguinis in duas haſce arterias, quam continent.

DESCRIPTION DE LA PIECE D' AMBRE GRIS &c.

i. e.

DESCRIPTIO FRAGMENTI AMBRÆ GRYSEÆ 182 librarum, quod ex India Orientali Amſtelodamenſis Societatis Indicæ, quam vocant, Camera A. 1694 accepit; una cum Tractatu de ejus origine & virtute, auctore NICOLAO CHEVALERIO.

Amſtelodami, apud Auctorem, 1700, 4. Plag. 9. & fig. æn. plag. 5.

CUm Societatis Indiæ Orientalis Directores, qui Amſtelodamenſi Cameræ præſunt, Ambræ gryſeæ fragmentum raræ magnitudinis & incomparabilis pretii, æri incidere, ejusque quas pro diverſo ſitu diverſas obtinet facies præſentare, aliquot abhinc annis curaviſſent; propriis non ſolum oculis fruſtum hoc uſurpare, verum præſentem etiam de eo conſcribere tractatum ſuſtinuit Auctor Clariſſimus. Antequam autem in hoc caput rei aggrediatur, monetam deſcribit, ejusque iconem apponit, quæ occaſione illius fragmenti in honorem modo laudatorum Directorum cuſa fuerat. Exhibet enim illa ex uno latere ipſum Ambræ gryſeæ fragmentum, addito lemmate: OCCULTUM NATURÆ AC NOBILE DORON. Subſcripta leguntur verba: FRAGMEN. AMBR. GRYS. LIBRAR. 182. HUC ALLAT. 1694. In averſa facie præſentatur urbs Amſtelodamenſis, ipſiusque portus cum duabus claſſibus, adventante altera, altera diſcedente. Superius typus urbis ſcutarius inter duo ornamenta foliis floribusque texta cernitur.

Lem-

Digitized by Google

Lemma circumſtat: SIBI ET URBI. Subſcriptio eſt: VIVANT DII MEI PENATES. Altius dein repetens Auctor originem Ambræ gryſeæ, varias variorum Auctorum de ea allegat opiniones, quas Antonius Fureterius in Dictionario Univerſali Linguæ Gallicæ adduxit; iisque ſubnectit Garciæ ab Horto, Antonii Colini, & Nicolai Monardi annotationes materiam hanc concernentes, ac tandem in illorum ſe deſcendere confitetur ſententiam, qui Ambræ originem a bitumine ex terræ viſceribus vel ſcopulis prodeunte arceſſunt. Quod ut clarius deducat, ſupponit odorem juxta modernorum placitum a ſulphure dependere; hoc autem, ceu ſpeciem pinguedinis terreſtris ſeu liquorem oleoſum, in bitumine maxime reperiri; bitumen in centro Terræ ab igne continuo liquefactum & ebulliens, per diverſos canales, intra montium cavernas aqua ſalita repletas (a Kirchero hydrophylacia vocatas) deponi; aquam inibi contentam turbare ac oleoſam & ſulphuream reddere; accedente dein per montium ſpiracula aëre condenſari, non in bitumen quidem, ſed mediante ſale in Ambram; & reliquorum liquorum inſtar, in guttas ſecedere, diffractionibus & fiſſuris continuum propter calorem obnoxias; huicque calori continuatæque coctioni deberi, quo minus Ambra ſalſum, ſed dulcem ſaporem, ſuavemque odorem exhibeat. Sententiæ tandem ſuæ ſubjungit ſententiam Paracelſi noſtri temporis, ut eum vocat, Johannis Potri Fabri. His demum annotationes quasdam de virtutibus Ambræ gryſeæ annectit, quas calidas, reſolventes, corroborantes, & confortantes dicit: hincque merito cephalicis, nervinis, cordialibus, uterinis ac ſtomachicis annumerat.

AN ACCOUNT OF THE COURT OF PORTUGAL.

id eſt,

DESCRIPTIO AULÆ PORTUGALLICÆ ſub moderno Rege PETRO II &c.

Londini apud Thomam Bennet, 1700 in 8. Conſtat 1 Alph.

CUm in Luſitania per aliquot annos degeret anonymus libri hujus Autor, nihil prius habuit, quam ut hiſtoriam Luſitanicam ſibi redderet apprime familiarem; ideoque cum viris, qui diu iis **Præf.**

in terris commorati fuerant, frequenter verſatus eſt, & hiſtoricos Luſitanos ſummo ſtudio ſibi comparavit. Factum vero, ut, cum hiſtoriam Luſitaniæ univerſam condere aggreſſus eſſet, tantum ſpatium occupare recentiora hæc tempora cognoſceret, ut ſeorſim hiſtoriam recentiſſimam toti operi, velut ſpeciminis loco, præmittere, quam una cum illo demum edere in lucem, conſultius judicaret, eam potiſſimum ob cauſam, ut vel ex hujus libri fortuna bene vel male univerſo operi ominari poſſet. Deſcripſit vero in hoc volumine non aulam modo moderni Regis, verum & parte altera, rationes ac utilitates Luſitaniæ, ſi ad Pontificem Romanum, Hiſpaniam item, Galliam, Imperium Germanicum, Belgium, Angliam aliaque Regna reſpiciatur, late expoſuit. Nos ne nihil videamur ex inſtructiſſima penu legiſſe, pauca delibabimus.

P. I. De Rege moderno nihil glorioſius ab homine peregrino di-
p. 10. ci poteſt, quam quod viæ publicæ in oppidis & agris, qua nun-
quam antehac tuto iter fieri potuit, ſecuritatem comparaverit;
quod nihil eximium inconſultis Miniſtris decernat; quod apud gen-
tem alioquin in judicio de Rege ſuo ferendo licentiorem magna
polleat exiſtimatione. Certe nullam ait de illo aliam fieri abs po-
p. 9. pulo querelam, quam quod tauros ferociores, quorum cum ſtrenuis
viris decertationibus mirifice capiuntur, cum pugna maxime fer-
vet, abduci ſubito e circo jubeat. Felicem vero gentem, cui ea
ſola calamitas eſt! Ter dicitur per ſeptimanam cognoſcere cau-
p. 13. ſas ſubditorum cujuscunque conditionis, & tantum non omnes hi-
lares dimittere. Neque id minus ſpectat ad illius laudes, quod
auream æque ac argenteam monetam valori priſtino reſtituit, &,
quo minus detrimenti pauperes caperent, argenti defectum ipſe
14. ſupplevit. Ceterum Regis eſt in Portugallia, quas velit, leges fer-
18. re: quippe horum potiſſima vis eſt; Romanis legibus non niſi cum
20. deficiunt illæ, locus eſt. Quod vero ad reditus Luſitaniæ attinet, no-
tat Auctor, nullam a Luſitanis pecuniam ſine Bulla Romani *Pontificis*
24. exigi poſſe, cujus ſumma ſit quippe iis in terris auctoritas. Non
parum certe argenti ex Indulgentiis divenditis collegiſſe *Luſitanos* Reges, jam inde ab A. 1591, quo Gregorius XIV *Philippo* II Hiſpaniarum tum & Luſitaniæ Regi earum vendendarum poteſtatem fecit Bulla publica, hactenus fere ſingulis annis renovata.

Sed

Digitized by Google

Sed in his nobis non licet eſſe prolixis. Multa ſunt pariter, quæ Auctor poſtea occaſione primæ *Petri II* conjugis, quæ antea fratri ejus Alphonſo VI nupſerat, de ipſo Alphonſo, & quo pacto tandem Regno ceſſerit, per complures paginas refert. Inde cum de altera ejus uxore e Domo Neoburgica oriunda agit, quantopere Xaverio 112.
fuerit dedita, luculenter deſcribit, tum vero, quo amore eam proſecutus Rex fuerit, ut nunquam abs illa, dum ægrotaret, diſceſſe- 124.
rit, ut in eodem cubiculo decubuerit noctu, ut mortuam impenſe luxerit. Interjecto deinde de Catharina Caroli II Regis Angliæ 125. ſq.
vidua brevi ſermone, de Iſabella Ludovica, Infante, ut loqui a- 128. ſq.
mant, Portugalliæ fuſius diſſerit, & quæ cauſæ fuerint, quare nuptiæ illam inter & Carolum Emanuelem, Sabaudiæ Ducem, magnifice apparatæ ſucceſſu caruerint, quam multis præter illum petita procis, quam fruſtra, fuerit, abunde docet. Ad filias poſtea 160.
Regias & filios ex ſecundis nuptiis natos progreditur, & naturalis quoque filiæ ex plebeja matre natæ meminit, quam A. 1695 e monaſterio, ubi educata fuerat, Pater exemit, & DuciCadevalenſi in matrimonium collocavit, appellari vero, ſimul atque eam ex ſe ſus- 161.
ceptam faſſus eſt, *Regiæ Celſitudinis* titulo voluit; quod ſecus eſt in Gallia, ubi liberis Regiis naturalibus non niſi *Celſitudinis Sereniſſimæ* titulus datur. Inter Miniſtros aulicos primum nuncupat, non tam 165.
dignitate (nam nonnullis loco cedit) quam auctoritate & rerum uſu, Emanuelem Telles de Sylva, Comitem de Villa Majori, & Marchionem Allegretenſem. Is juvenis caſtra aliquandiu ſecutus eſt, poſt tanta cum induſtria literis incubuit, ut hodie inter ejus gentis doctiſſimos viros numeretur. Poſtquam in aulam adſcitus fuerat, non ineptus Regi fuit viſus, qui legationem ſuſciperet Heidelbergam, & ſponſam Regi in Luſitaniam adduceret. In qua ita 166.
ſe geſſit, ut ubique characterem Regis ſui egregie exprimeret, & ab Electore locum honoratiorem impetraret, qui legatis Regiis aliis negatus hactenus fuerat. Ceterum quod vacuum illi a negotiis publicis eo in itinere tempus erat, ita impendit, ut hiſtoriam vitæ Johannis II Regis Luſitanici, quem Principem perfectum vocant, Latine conſcriberet, tanta cum elegantia, ut legentibus non poſſit non eſſe admirationi.

In Parte II prolixus primum in eo eſt Auctor, ut quanta Ponti- P. II. p. 3. ſq.

 tifi-

tificis ſit in Luſitania auctoritas, demonſtret; quandoquidem ex
quo *Obedientiſſimi Eccleſiæ Filii* audire amarunt Reges Luſitani, Re-
gnum illud Pontifex ſibi reddidit addictiſſimum. Omnis certe in
Clerum jurisdictio illic penes Nuntium Pontificis eſt, a quo appel-
latio, niſi ad Pontificem ipſum, fieri nequit; atqui ea non poteſt
non ampliſſima eſſe, quippe plusquam dimidiam incolarum par-
tem Clerus conficit: ut taceamus, politica quoque negotia coram
illo tribunali, velut in ordine ad ſpiritualia, haud raro expediri.
Longum foret hic Pontificis reditus e Luſitania, vel alia, ex Au-
ctore referre, imprimis quæ habentur de Johanne IV Bragantino,
quam fuerit lentus in confirmando ejus Regno, & Epiſcopis reſti-
tuendis Pontifex, qui omnes præter unum per id tempus diem ob-
45. ierant, & quam facilis contra moderno Regi fuerit. *Hiſpanos* Au-
ctor, poſt pacem A. 1668 factam, non modo ait a Portugallia *abſti-*
nuiſſe, ſed quoad fieri potuit, amicitiam Luſitanorum diligenter co-
luiſſe. Nam cum A. 1681 ob turbas quasdam ab Hiſpanis in Bra-
46. ſilia datas, in eo eſſent Luſitani, ut bellum illis inferrent, confe-
50. ſtim miſerunt, qui natas ſimultates componeret. Cœpit inde ro-
borari inter utramque gentem amicitia, ex quo uterque Rex uxo-
rem duxit e Sereniſſima Domo Neoburgica, neque ſine cauſa fu-
it forte, quod, qui nuper Ulyſſipone ſedit, legatus Hiſpanus, Mar-
51. chio de Caſtel dos Rios, quotannis in natali Principis Luſitanici
natu maximi ludos ſcenicos, quales *Operas* vocant, compoſuerit
ipſe, atque a ſuis miniſtris repræſentari non absque *magnifico* ap-
88. paratu juſſerit. Ubi ad Gallos venit Auctor, *quoties deſerti ab il-*
lis vel deluſi, quoties adjuti fuerint Luſi*tani*, ex omni hiſtoria re-
petit, additis præſertim, quæ in pace Pyrenæa Hiſpanos inter &
Gallos geſta, & quo prætextu miſſæ Luſitanis fuerint a Gallis ſup-
petiæ. Obſervat vero inſuper, duabus potiſſimum rebus Gallorum
105. commoda in Luſitania promoveri, tum quod ſummis in Luſitania
viris uxores Gallas collocent Galli, & quo minus peregri*na hæc*
107. conjugia aſpernentur, magna dote illiciant; tum quod Jeſuitarum
in Portugallia ſummus inde usque a primis ferme ejus *Societatis*
incunabulis honor fuit, qui quantum Gallicis commo*dis faveant*,
omnes norunt. Non attingimus denique, quæ de ceteris Regnis
refert, præſertim de Anglia, cui quantum Luſitania debeat, elegan-
ter

Digitized by Google

ter & prout Anglum decebat, accurate deſcribit, injecta obiter de Inquiſitione Luſitanica mentione, quæ nuper modo A. 1697 decretum affigi templorum portis curaverit, quo Angli generatim omnes hæreſeos atque violentæ uſurpationis notis deſignentur. 172.
Quod ſupereſt, publico Eruditi Orbis, ſi fas eſt, nomine Auctorem rogamus, ut cujus edendæ ſpem fecit, Luſitaniæ Hiſtoriam Univerſam diu haud invideat hiſtoriarum cupidis.

HISTOIRE DE L' ORIGENISME.

i. e.

HISTORIA MOTUUM IN ECCLESIA OCCASIONE ORIGEnis ejusque doctrinæ exortorum. Auctore LUDOVICO DOUCIN, e Soc. Jeſu.

Pariſiis apud Nicolaum le Clerc, 1700. in 12. Plag. 18.

ILluſtrius eſt Origenis nomen, quam ut a quoquam ignorari poſſit. Nec tantum in veteri Eccleſia per aliquot ſecula plurimos habuit & ſectatores admiratoresque, & adverſarios ac doctrinæ ſuæ impugnatores: verum & recentiori ætate extiterunt doctiſſimi viri, qui in ejus hiſtoria concinnanda egregiam navarunt operam. Teſtantur hoc labores doctiſſimorum virorum Huetii, Halloiſii, Horbii aliorumque. His nunc accedit Ludovicus Ducinus ex Jeſuitarum ordine Sacerdos, & aliis jam ingenii monumentis, præſertim hiſtoria Neſtorianiſmi, nobis quoque commemorata, orbi erudito notus. Nam Origeniſmi hiſtoriam ita exhibet, ut quæ tum de ipſo Origene, tum ejus doctrina & controverſiis ſuper hanc motis, magnaque animorum contentione in Eccleſia agitatis, obſervatu digna occurrunt, velut per compendium exponat. Nos cum ipſa hiſtoria ſatis nota ſit, hinc inde ſaltem nonnulla, quæ obſervatu digniora fuerint viſa, delibabimus.

Primam contentionis inter Demetrium Alexandrinum Epiſcopum & Origenem coortæ occaſionem ab Epiſcopis Palæſtinæ ſubminiſtratam fuiſſe docet, quippe qui Origeni, utut ſolum Catechiſtæ, facultatem concionandi conceſſerint, quod ceteroquin Epiſcoporum munus erat proprium. Demetrium enim non tantum palam aſſeruiſſe, violatas eo ipſo fuiſſe leges eccleſiaſticas, ſed ex eo Lib. I.

ſta-

ſtatim tempore animum ab Origene alienum demonſtraſſe. An vero ſimul ſingulares Origenis opiniones tum obſervaverit, ut auctum hinc ejus erga illum odium ſit, Auctor definire non audet. Interim id certum putat, Origenem eo tempore ſuum de Principiis opus compoſuiſſe, erroribus variis conſperſum, ita tamen inter ſe connexis & colligatis, ut ex uno prodire principio viderentur. Dogmata ipſa, quæ Origeni ceu erronea exprobrata ſunt, ab Auctore indicata, ſed ſatis ceteroquin nota, hic non referemus: id ſaltem obſervamus, quod defenſoribus Origenis neutiquam adſtipuletur. Hi vero cum alia, tum illud quoque pro Origene afferunt, quod ab ejus adverſariis erronea quædam effata operibus ejus ſint aſſuta. Quo ipſo tamen, judice Noſtro, parum proficiunt. Præterquam enim quod ex hiſtoriarum monumentis conſtet, Origenem ea docuiſſe, quorum accuſatus condemnatusque fuit, *in libris de Principiis non unam ſolum alteramve propoſitionem hæreticam reperiri, quæ forte inſeri huic operi potuerit, aſt ſtatim tamen a re ipſa, de qua agitur, aliena forte deprehendatur, ſed ipſum libri hujus ſyſtema, quantum quantum eſt, erroneum eſſe, ipſas propoſitiones fundamentales, quibus ceu fulcris quibusdam opus hoc innititur, ut iis ſubtractis corruere ipſum hoc ædificium neceſſe ſit, ejusdem eſſe conditionis.* Accedere, quod iidem errores, quibus libri Principiorum infecti ſint, in aliis quoque ejus operibus ubique regnent; unde colligatur, conſtare ſibi ſemper in pravis hisce opinionibus Auctorem, ſemperque eundem eſſe. Quemadmodum autem non diſſimulat, quid in Origene *laudandum ſit*: ita ut approbet, quæ reprehendenda ſunt, a ſe neutiquam impetrare poteſt. Cumque merito omnes in admirationem conjiciantur, quid demum ſummi ingenii excellentisque doctrinæ virum ad ejusmodi errores defendendos impulerit, Noſter quidem intempeſtivo ſtudio religionem Chriſtianam philoſophiæ Platonicæ accommodandi, hoc tribuere nullus dubitat. Magna namque flagraſſe *Origenem* cupiditate dicit, ad religionem Chriſtianam philoſophos adducendi: ita enim rationes ſecum ſubducebat, ſi hi, qui *auctoritate* ſua plurimos a veritatis cognitione avertunt, victas *dederint manus*, reliquam turbam ſua ſponte, miſſa avita *ſuperſtitione*, ad Chriſtianorum ſacra acceſſuram. Plerique autem cum Platonicæ philoſo-

loſophiæ in ſcholis tum ubique regnanti, eſſent addicti, nihil aliud ſibi ſupereſſe putavit, quam ut Chriſtianam religionem philoſophiæ Platonicæ attemperaret.

Demetrii erga Origenem odium haud mediocriter, uti Noſter refert, auctum eſt, cum hic denuo in Palæſtinam itinere ſuſcepto Presbyter ibi a Palæſtinæ Epiſcopis creatus eſſet. Magnam hinc apud ſuos iniit invidiam; ſimul vero Gentilibus, quibus Origenes ſudes in oculis erat, animus ad eum perdendum additus eſt. Ex multis quidem certaminibus, quæ magno animo ſubiit, ſuperior evaſit; tandem tamen ſuccubuit, ut ſatiusne eſſet Æthiopis libidinem experiri, an thus offerre idolis, dubitans, thure ab adſtantium quodam ex manu ejus excuſſo, ſuſpicionem idololatriæ contraheret. Ita enim rem hanc Noſter, Epiphanium ſecutus, narrat. Erupere tum omnium in Origenem odia, & quod multi hactenus clauſum in pectore habuerant, tum palam factum eſt. Ejectus fuit ex Eccleſia Alexandrina & excommunicatus: receptus tamen honorifice ab eccleſiis Palæſtinæ. Miratur autem Auctor, qui factum, ut adverſarii Origenis, dum omnia conquirerent, quæ invidiam Origeni conflare poſſent, errorum ejus obliviſcerentur. Hoſce enim ei objectos fuiſſe, non legitur. Nihilo ſecius, licet Hiſtorici nullam hujus rei injiciant mentionem, in eam ingreditur opinionem, pravas ejus opiniones aut unicam, aut præcipuam cauſam fuiſſe, cur anathematis fulmine ab Epiſcopo Alexandrino fuerit percuſſus. Probat ſuam ſententiam ex Hieronymo, qui aſſerat, in condemnando Origene eccleſiæ Alexandrinæ reliquas totius orbis eccleſias acceſſiſſe, exceptis Palæſtinæ, Phœniciæ, Arabiæ & Achajæ. Quod ſi de capite doctrinæ nulla fuiſſet contentio, credibile non eſſe, quod reliquæ etiam eccleſiæ huic negotio ſe immiſcuerint. Addit porro, pœnam Origeni inflictam duriorem fuiſſe, quam promeruiſſet, ſi de ejus doctrina non ſimul fuiſſet quæſtio. Ceteroqui enim non aliud illi objici potuiſſe, quam quod ſe Presbyterum in Palæſtina creari paſſus eſſet, quo ipſo leges quidem eccleſiaſticas violaverit, interim tanti non eſſe hoc delictum, ut ideo fuerit excommunicandus: præſertim cum in perſecutionibus eccleſiæ interdum aliter fieri haud potuerit, nec illud fuerit infrequens. Rem omnem autem plane confici putat, ſi quis ſecum ex- Lib. II.

Ooo pen-

Digitized by Google

pendat, Origenem in ſua Apologia ad Fabianum conqueri, ſcripta ſua eſſe interpolata, imo hac ipſa de cauſa ad Pontificem aliosque Epiſcopos litteras dediſſe, illisque fidei ſuæ miſiſſe confeſſionem, faſſum etiam eſſe, aſſerta quædam crudiora ſibi excidiſſe, quæ tamen noluerit aliis innoteſcere, ſimulque Ambroſium amicum ſuum accuſare, quod ſe invito ſcripta ſua publicæ luci expoſuiſſet, quæ tamen ſub accuratius examen prius a ſe fuiſſent revocanda. Hæc & ſimilia, inquit Noſter, quem in finem ad ſe defendendum protuliſſet Origenes, ſi de ejus doctrina nulla tum ei lis mota fuiſſet?

Ceterum in exponendis Origenis rebus dum ita verſatur Noſter, non poteſt non alias quoque Hiſtoriæ tum eccleſiaſticæ, tum civilis, partes attingere. Id enim rerum ac negotiorum nexus requirit. De diſcipulis itaque Origenis dum loquitur, de Gregorio Thaumaturgo, aliisque celeberrimis eccleſiæ doctoribus diſſerendi illi enaſcitur occaſio. Ad Imperii autem ſtatum dum reſpicit, Philippi Imperatoris injicit mentionem, quem Chriſtianis annumerare nullus dubitat. Euſebii enim, Hieronymi, aliorumque teſtimonia luculentiora eſſe putat, quam ut hoc negari queat. Quicquid autem recentiores quidam contra differant, nihil aliud ex omnibus argumentis colligi poſſe, quam Philippum Chriſtianiſmum diſſimulaſſe, nec palam ſe Chriſtianum profeſſum; id quod tum adhuc eum feciſſe putat, cum literarum commercium cum Origene inſtitueret: cujus & monitis ſaluberrimis deinceps ſemper morem geſſerit. Laudat hic quoque Babylam, qui concedere Philippo locum inter Chriſtianos prius noluerit, quam vera ſeriaque pœnitentia, graviſſima, quæ admiſerat, crimina expiaſſet: id quod Philippus adeo non ægre tulerit, ut potius animi humilis atque obſequioſi documentum longe pulcherrimum & apud poſteros memorandum, ediderit. Sic & de filio Philippi præclare admodum ſentit, eumque Chriſtianorum cœtui adſcribit. Sed ad Origenem ut redeamus, poſtquam ille A. 254, annos natus ſexaginta *novem*, mortuus Tyrique ſepultus eſſet, ubi & hodie ſepulcrum ejus oſtenditur, uti Auctor refert, tum demum doctrina ejus *certaminibus* variis occaſionem præbere cœpit. Extiterunt namque, qui invidendis eum ad cœlum tollerent elogiis, quos inter haud poſtremus fuit Dionyſius Alexandrinus: quo ipſo tamen alios irritarunt,

quippe

Digitized by Google

quippe qui in eam ingreſſi ſunt ſententiam, immodicis ejusmodi laudibus nihil aliud effici, quam ut poſteri inducantur, ut credant, nihil omnino quod rectum non ſit, ab ejusmodi homine dictum aut ſcriptum eſſe; id quod tamen in Origene ſecus ſe habeat. Suarum ergo duxerunt eſſe partium, errores Origenis detegere, ne alii per eos ſeducerentur. Præcipuus fere inter hoſce fuit Methodius, qui varia contra Origenem compoſuiſſe ſcripta dicitur. Obſervat quidem Auctor, Socratem aſſerere, Methodium mutaſſe ſententiam, & ex hoſte ejus factum eſſe laudatorem & panegyriſtam. Aſt Noſtro hoc perſuaderi nequit. Si enim, inquit, Methodius laudavit Origenem, poſtquam impugnaverat (eſto, hoc ita ſe habere) ob ingenium ſolum forte laudavit & eruditionem, ſepoſitis erroribus, qui laudem nullam promerentur. Sed brevius tamen rem expediri poſſe putat, ſi dicat, erraſſe hic Socratem, nec recte distinxiſſe tempora. Etenim initio Methodium in pretio habuiſſe Origenem, omnes teſtantur, aſt mente ejus accuratius percepta, intellectisque erroribus, eum repudiaſſe. Certe nec Ruffinum, nec Euſebium, nec Epiphanium, nec Hieronymum illud omiſſuros fuiſſe, ſi denuo mutata ſententia ex adverſario Origenis, ejus factus fuiſſet defenſor & hyperaſpiſtes. De ceteris Origenis adverſariis & defenſoribus, qui in prima ſcilicet hac Origeniſmi ſcena comparuerunt ſimiliter diſſerit: ſed immorari hiſce diutius non licet.

Vix autem iſtæ contentiones pauliſper refrixerant, cum denno in ſcenam produceretur Origenes, longe plures admiratores adepturus. Etenim cum Ariani (ex mente enim Auctoris hæc ita enarrare placet) per Conſtantinum Conciliique Nicæni Patres eousque in ordinem redacti eſſent, ut palam placita Arii defendere non auderent, alia via ad errores ſuos propagandos incedere decreverunt. Origenem ſcilicet, in cujus ſcriptis aut eadem aut ſimilia cum Arii dogmatibus contineri animadvertebant, commendare, ſimplicioribusque obtrudere, e re ſua eſſe duxerunt, ut ita ab hocce magiſtro ea edocerentur, quæ ab Ario doceri renuebant. Novus hinc ſplendor Origeni conciliatus, ejusque ſcripta in omnium mox eſſe cœperunt manibus. Nec poterant hæ artes fugere ſtrenuos veritatis defenſores, præcipue Athanaſium, qui ut hoc telum Arianis eriperet, oſtendere aggreſſus eſt, Origenem ceterosque Lib.III.

Digitized by Google

que Ante-Nicænos Patres non Arianis, ſed Orthodoxis potius favere. Certe non negat Ducinus, ſubinde ita loqui Origenem, ut propius ad Orthodoxos quam Arianos accedere videatur. Juxta eum enim Verbum ex ſinu Luminis increati natum eſſe, cum Arius contra ex nihilo illud productum aſſerat: Arium aſſerere quidem, Verbum ante omnia ſecula eſſe productum, aſt negare illud eſſe æternum; Origenem contra æternitatem Verbi diſerte adſtruere, & quæ alia ſunt ejusdem commatis. Nihilo ſecius tamen in ipſo fundamento cum Ario conſentire Origenem, non diffitetur. Inter præcipua enim & fundamentalia Origenis dogmata hæc quoque eſſe, primo Verbum non eſſe ſubſtantiam neceſſariam, deinde Verbum eſſe inferius Patre. Athanaſio tamen, quod excuſare Origenem anniſus fuerit, vitio verti non poſſe: cum per alia eaque graviſſima negotia, illi non licuerit tam accurate Origenis opera perlegere, ut omnia ejus placita trutinare atque revocare ſub examen potuerit. Imo providentiam quoque Numinis in eo agnoſcit, quod Athanaſius hoſce Origenis errores non detexerit. Si enim detexiſſet, nihil aliud ei ſuperfuiſſet, quam ut Origenem una cum Ario rejiceret; quod eo tempore nimis periculoſum futurum fuiſſe, judicat. Magna enim cum apud omnes eſſet Origenis auctoritas, multi hoc ipſo perduci potuiſſent ad partes Arianorum amplectendas, ſi percepiſſent, fatente ipſo Athanaſio, jam Origenem ea ipſa docuiſſe, quæ poſtea docuit Arius. Ergo per Athanaſium reliquosque Orthodoxos, qui ſcriptis exegeticis Origenis maximopere delectabantur, tum crevit Origenis auctoritas. Nec fuit qui de ejus orthodoxia dubitaret, aut errores ejus demonſtrare auderet, donec Pachomius, vir non tam ob doctrinam, quam morum integritatem vitæque ſanctitatem clarus, & inter præcipuos monaſticæ diſciplinæ auctores referendus, intelligeret, pleroſque etiam monaſticæ vitæ addictos, iſta Origenis auctoritate velut torrente abripi, ad graviſſimos pernicioſosque errores ſenſim nemineque animadvertente imbibendos. Hic ergo errores Origenis, reliquis tacentibus, detegere, ſuosque ut ab iis ceu veneno præſentiſſimo ſibi caverent, ſerio monere & adhortari. Ejus veſtigiis ſucceſſor ejus, & diſcipulus, Theodorus inſtitit: ſed tamen quo minus indies Origenis aucto-

Digitized by Google

auctoritas invaleſceret, ejusque ſententiæ inter ipſos monachos plurimos invenirent approbatores, impedire non potuerunt.

Inter reliquos autem, qui Origenis placita ſequebantur hoc tempore, circa finem fere ſeculi quarti, eminuit Didymus Alexandrinus, vir eruditione pariter ac morum ſanctitate clarus. Hic tum multos alios, tum etiam Melaniam illuſtri loco Romæ natam, atque Ruffinum ad Origenis partes pertraxit. Johannes Patriarcha Hieroſolymitanus itidem ab Origene non erat alienus: Theophilus autem Alexandrinus per ſe quidem non favebat Origenis ſententiæ, aſt arcta illi intercedebat amicitia cum Iſidoro quodam, callido homine, nec litterarum experte, aſt Origeniſtis plane addicto, a quo in omnem partem circumagebatur Theophilus, prout res Origeniſtarum hoc poſtulare videbantur. His omnibus ſolus tum reſtitit Hieronymus, acerrimus Origeniſtarum inſectator, cujus cum hiſce adverſariis, præſertim Ruffino amico quondam Hieronymi ſingulari, certamina in quarto operis hujus libro prolixe enarrantur. Atque cum omnibus Origeniſtarum moliminibus fortiter obviam iret, hi vehementer erga illum irritati, quicquid excogitare potuerunt, in eum exonerarunt calumniarum. Factum inde, ut Hieronymus ceu homo turbulentus, rixator, inquietus, arrogans & ad diſputandum pugnandumque natus, paſſim traduceretur, maleque audiret etiam apud illos, qui ceteroquin cum Origeniſtis non faciebant, nec ullam cauſam Hieronymo iraſcendi habebant. Origeniſtis iſtud peropportune accidit, quippe hac ratione doctiſſimos paſſim viros in Hieronymum concitarunt: ipſumque Alypium Auguſtini amicum, ut eandem de Hieronymo animo conciperet opinionem, adduxerunt. Hunc enim Hieroſolymitanam urbem, in qua & Hieronymus tum degebat, vix ingreſſum circumſtiterunt, ejusque animum falſis narrationibus ita obruerunt, ut quam ſemel imbiberat de Hieronymo ſententiam, exuere non poſſet, ſed Auguſtino auctor eſſet ad ſtringendum contra Hieronymum calamum. Occaſionem vero verſio Hieronymi præcipue ſubminiſtrabat, Auguſtino vel hoc nomine diſplicens, quod a recepta verſione recederet, & ita ſimpliciores, dubios quippe, cuinam verſioni accedere deberent, turbaret. Acriter utrinque aliquot ſcriptis pugnatum: mox tamen Auguſtino ad mitiora conſilia ſe con-

Lib. IV.

Digitized by Google

ferente, & Hieronymi innocentiam agnoſcente, pax inter eos re-ſtituta fuit, magno quidem cum Origeniſtarum dolore. Hæc omnia fuſius ab Auctore ediſſeruntur, a nobis vel hoc nomine prætermittenda, quod nemini, niſi rerum eccleſiaſticarum plane ignaro, ignota ſint. Unicum ſaltem addimus, quod circa initium hujus libri Auctor monet, fuiſſe quosdam, qui itidem Origenis ſectatores videri voluerint, quique ex eo, quod corpus ſolum carcer & ergaſtulum animæ ſit, neque pro parte hominis cenſeri debeat, intulerint, impuritates carnis non poſſe animum puritate ſua privare, aut ejus obſtare beatitudini: quo ipſo impuris cupiditatibus frena laxantes, maximis flagitiis feneſtram aperuerunt. Duplicis hujus Origeniſmi carnalis & ſpiritualis mentionem injicere Epiphanium docet, adſtipulaturque Huetio, ab alio quodam Origene *hos originem* traxiſſe neganti. Hæc vero dum refert, occaſionem in Molinoſium Quietiſtarum auctorem invehendi arripit, & Jeſuitis gloriam detecti primum Quietiſmi aſſerit, ſimulque obſervat, licet Molinoſus etiam qua caſtitatem cum Origene neutiquam ſit comparandus, in eo tamen cum illo convenire, quod itidem duplicis hæreſeos carnalis atque ſpiritualis auctor ſit.

Mortuo in Italia Ruffino, extincta ibi cum eo hæreſis Origeniſtarum videbatur, præſertim cum Anaſtaſius Pontifex ei ſe opponeret, quem magnopere hoc nomine laudat Noſter, uti Siricium contra Anaſtaſii anteceſſorem notat, quod muneris ſui inſuper habita ratione, cœcoque in Ruffinum amore abreptus, venenum hoc longe lateque ſpargi paſſus ſit. Nihiloſecius extiterunt in Italia & poſt Ruffinum, qui revocarent Origenis dogmata: qui tamen facili negotio in ordinem redacti ſunt. Aſt longe majores turbas in Oriente dedit Origeniſmus. Theophilus enim Alexandrinus Epiſcopus, qui hactenus connivendo velut paſſus erat, ut inter Monachos ejus diœceſi ſubjectos Origeniſmus majora in dies caperet incrementa, tandem quorſum cuncta tenderent, ſecum expendens, & eccleſiæ periculum animo verſans acrioribus remediis opus eſſe ratus, paulo ſeverius in præcipuos defenſores Origeniſmi, monachos ſcilicet Nitriæ & eorum anteſignanos, præcipue Iſidorum illum ante memoratum, qui intellecta Epiſcopi ſententia, ad monachos hoſce fugerat, animadvertit. Nonnulli monachorum

a

Digitized by Google

a Theophilo in exilium pulſorum Conſtantinopolin conceſſerunt, fidemque implorarunt Johannis Chryſoſtomi, tum Conſtantinopolitani Patriarchæ. Hic uti propenſo erga miſeros quosvis erat animo, monachos iſtos recepit, & ita occaſionem præbuit, ut ſimultates iſtæ, quæ jam antea ei cum Theophilo intercedebant, in apertum odium, & contentiones longe funeſtiſſimas erumperent. Admiratur autem Auctor hic inſperatum certaminis hujus eventum. Cum enim jam in eo omnia eſſent, ut Theophilus judicio Chryſoſtomi, magna auctoritate & gratia Imperatoris florentis ſubjiciendus eſſet, ſubito mutata rerum ſcena eſt, Eudoxia Imperatrice a Chryſoſtomo offenſa, & Theophili partes amplectente, eoque res iſtas dirigente, ut ad ſententiam de Chryſoſtomo ferendam Conſtantinopolin accerſeretur. Omnia contra Chryſoſtomum conſpirabant, donec in exilium tandem pelleretur, triumphante Theophilo, ſuccumbente ſimul Origeniſmo, quem præcipue Theophilus oppugnabat. Hæc ſumma illorum eſt, quæ prolixius de hac contentione ab Auctore narrantur, ex quibus unicum ſaltem adhuc ſubjungimus. Male nimirum audit apud multos Theophilus, & inſolentiæ, ambitionis ac credulitatis arguitur; ſunt etiam, qui eum aliis affinxiſſe hæreſes ajunt, ut hac ratione eos perderet. Aſt Ducinus aliter de eo pronunciat: & licet non diſſimulet, ab ambitione non plane eum fuiſſe immunem, ſimul tamen pro viro ſancto & probo & ſumme orthodoxo eum habet, eos autem, qui aliis illum affinxiſſe hæreſes ajunt, ex inſtituto refellit. Nimirum illos, qui ejusmodi quid de Theophilo memoriæ prodiderint, ipſos fuiſſe hæreticos dicit. De Palladio Epiſcopo Helenopolitano hoc manifeſtum eſſe. Acerrimum eum fuiſſe Origeniſtam, non tantum ex teſtimonio Hieronymi aliorumque conſtare, ſed ex ipſo etiam Palladii opere. In eo namque illum Evagrium Ponticum maximis in cœlum tollere laudibus, quem tamen Origeniſtarum fuiſſe antesignanum conſtet, imo hujus ſe palam eum profiteri diſcipulum. Similiter & Didymum, & Iſidorum Alexandrinum, & Ruffinum non ſine encomiis ſingularibus eum commemorare, qui tamen anathemate percuſſi ſint, eo quod Origenis erroribus adhæſiſſent. Accedere ait, quod hic Palladius neutiquam auctor ſit libri de vita Chryſoſtomi, ſed alius quis obſcurus homo, cui commodum viſum fuerit, Palladii nomen uſurpare. Non magis tamen Socrati atque Sozomeno hic credendum eſſe, quam Pal-

Palladio. Utrumque enim tum aliis hæreticis, tum maxime Origeniſtis addictum eſſe. Præterea tres hoſce auctores adeo inter ſe non convenire, ut diſſentiant quam ſæpiſſime, imo ut ſinguli ſibi ipſis contradicant. Denique inquit, quicquid ſit de Theophilo, ſi vel maxime probatum fuerit, eum vindictæ cupiditate abreptum, modeſtiæ & charitatis limites migraſſe, ex eo tamen non colligere licet, Iſidorum atque monachos Nitriæ pro orthodoxis habendos eſſe. Sed cetera prætermittimus: ſicuti nec reliqua, quæ in hoc libro de contentionibus occaſione Origeniſmi inter diſcipulos Sabbæ, viri ſancti, aliosque monachos ortis, itemque de Juſtiniano Origeniſmum proſcribente, deque Theodoro Cæſareenſi callidis machinationibus eidem patrocinante, tandemque de extirpatione ejus diſſerit, attingere nobis licet. Sed duo tamen adhuc paucis monenda ſunt. Primum hoc eſt, quod circa finem libri quinti ſynopſin doctrinarum Origenis, vel ſyſtema potius errorum ejus ita exhibeat, ut demonſtret, Origenem ex unico principio ſimpliciſſimaque ratione, nimirum eſſentiam increatam eſſe immutabilem, creatam autem mutabilem, omnes errores juſta ſerie ita derivaſſe, ut cuncta ejus placita arctiſſimo nexu inter ſe devincta eſſent & colligata. Alterum hoc eſt, quod univerſo huic operi ſubjuncta ſit explicatio quædam uberior eorum, quæ veteres de condemnatione Origenis in quinto Concilio œcumenico facta, memoriæ prodiderunt. Summa hæc eſt. Evagrius rem iſtam aliter referre videtur, ac Auctor retulerat, diſſentireque ab eo qua tempus, qua modum condemnationis. Opponit itaque illi aliorum auctorum teſtimonia & monumenta fide digna. Opponit etiam acta Concilii, in quibꝰ tamen cum ea neutiquam reperiantur, quæ alii ſcriptores de hoc negotio retulerunt, nova inde exurgit quæſtio, an acta iſtius Concilii integra ſint, an mutilata? Prolixe itaque aliorum auctorum ſententias atque rationes affert: tandem vero rejectis atque impugnatis omnibus, tum iis qui integra, tum iis qui mutilata hæc acta crediderunt, ſuam de hac re ita exponit ſententiam, ut contendat, veteres quinti Concilii nomine non tantum illa deſignaſſe, quæ per Patres Conſtantinopoli tempore Vigilii Pontificis congregatos geſta ſunt, ſed *ea omnia*, quæ circa capita fidei per quinque eccleſias Patriarchales, *durante* imperio Juſtiniani decreta ſunt. Unde concludit Auctor, hodienum actis hujus concilii nihil deeſſe, & in iis reperiri ea omnia, quæ tum ad Origeniſmum, tum ad controverſiam de tribus capitulis ſpectant.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Kalendis Novembris Anno M DCC.

LE GEMME ANTICHE FIGURATE &c.

i. e.

GEMMÆ ANTIQUÆ DELINEATÆ, AUCTORE MICH. ANGELO Cauſeo de la Chauſſe Pariſienſi, Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Principi Dn. Cardinali CÆSARI ESTRÆO conſecratæ,

Romæ, apud Jo. Jacob. Komarek, 1700 in 4. ch. aug. Conſtat plagulis 13, figuris æneis 200.

HActenus Gorlæi, Liceti, Auguſtini, aliorumque labores, qui pretioſam pinacothecarum illuſtrium ſupellectilem, Gemmas nimirum cælaminibus inſignes enarrant, earundemque ectypa quam nitidiſſime inciſa offerunt, adeo delicatulis artificioſæ vetuſtatis admiratoribus & utilitate & jucunditate ſua ſeſe commendarunt, ut non parcis elogiis eapropter mactati legantur. Tantarum laudum æmulatione accenſus Autor hujus operis perinduſtrius, cujus in annotandis priſci ævi cimeliis fidem ſolertiamque ſpectatores Muſei Romani, quod Romæ A. 1690 edidit, jamjam exoſculati ſunt, præſentem ſcalpturarum farraginem evulgare, novaque rei antiquariæ incrementa addere conſtituit Compegit autem in hoc Syntagma ducentas figuras in tabulis æneis ſplendide ſane inſculptas, Deorum, Dearumque, Heroum item, Imperatorum, Philoſophorum, ſacrificiorum, quadrupedum, volucrum &c. imagines exhibentes, quas veteres Romani, cum annuli ferrei, vel e ſimplici auro confecti, innocentioris ætatis decora, vileſcere cœpiſſent, ac barbararum gentium luxuria & faſtus victorum quoque

Digitized by Google

animis ſeſe inſinuaſſet, in Achate, Amethyſto, Chalcedonio, Cryſtallo, Corneolo, Jaſpide, Hyacintho, Onyche, Sardio &c. aliisque lapillis lectiſſimis immani ſæpe ſumtu cælari curabant, inque annulorum, vel bullarum, vel fibularum ornamenta adaptabant. Neque vero ſatis habuit Noſter, elegantiſſimas gemmarum figuras in ſcenam produxiſſe, ſed ad ſingulas quoque expoſitionem eorum, quæ paulo difficiliora videbantur, ſive ex ſuo, ſive ex aliorum penu liberaliter ſuppeditavit, quo tyrones in hanc palæſtram recens admiſſi inoffenſo pede felicius progredi poſſent. Cæterum ne illorum vota, qui ſpeciminis loco aliquas a nobis hic memorari tacite geſtiunt, repulſam ferant, e tanto ſculpturarum numero paucas indicare lubet. Fig. 68 Mercurium nudum, ſiniſtro brachio columnæ innixum ſacculumque tenentem, dextra manu loco caducei *clavam* & ramum olivæ habentem, circumſtantibus ariete, gallo gallinaceo & corvo, ex amethyſto repræſentat. In Fig. 73 Venus victrix apparet, nuda videlicet & ſcuto ſuffulta, dextram haſta, lævam enſe armatam gerens; adſtat quoque Cupido, qui matri galerum porrigit. Eundem pariter in fig. 99 cotem rotatilem gyrare, telaque acuere videas. Fig. 121 M. Curtium, prout eques in fumantem terræ hiatum præceps ruit, exhibet. In fig. ſequente Tucciam virginem Veſtalem, aquam e Tiberi cribro hauſtam (ut ab inceſtus ſuſpicione ſe liberaret) ad templum Deæ portantem, cernere licet. Figura 146 duos gallos gallinaceos ſiſtit, quorum alter, ac ſi e pugna ſuperior diſceſſiſſet, Victoriam corona conſpicuam retro imminentem habet, erectoque collo triumphum cantare videtur, ut adeo huc quadret illud Plinii Hiſt. Nat. L. X. c. 21: *quodſi palma contigit, ſtatim in victoria canunt, ſeque ipſi principes teſtantur*. Reliquæ gemmæ partim hiſtoricum, partim mythicum argumentum involvunt, ſpectaculumque maxime ludicrum præbent portentoſa deliria Priſcillianiſtarum, vel ſi malis, Paganorum, ridicula ſchematum hieroglyphicorum agglutinatione delectantium, quæ Autor noſter a fig. 175 usque ad fig. 183 oſtentat, atque ad examen paulo accuratius revocat, quo nimirum Lectori ad ſacra iſta aditum pandere queat. Quodſi Jo. Chiffletio *ſculpturas* 176, TAB. VIII. 178 & 182, quas nos hic ſub Fig. I, II & III *obtutui* curioſorum ſiſtimus, ſua ætate videre contigiſſet, nullum eſt dubium, quin

Fig. I





Fig. IV



TAB. VIII.
ad A. 1700.
pag. 422. ſqq.

Digitized by Google

quin ad gemmas Socraticas retuliſſet, & vel in honorem vel contemtum Socratis factas eſſe aſſeveraſſet; Noſter vero id operoſe molitur, ut ſenſum phyſico-moralem inde eliciat, quem in re adeo dubia atque incerta, impiasque vanæ ſuperſtitionis abſurditates arguente, ſuo genio atque otio abundare, lubentiſſime patimur. Sic in figura I caput arietis de ſegete, ſub ſigno Arietis in ſpicas exeunte; caput agreſte de Deo Pane, quem eundem cum Sole omnium rerum parente Gentiles credidere; galli pedes, ceu avis calidiſſimæ & Soli ea de cauſa tributæ, de virtute Solari; caput pectusque equinum de aqua, hujus univerſi, juxta Homeri & Thaletis doctrinam, ſcaturigine; glandem denique de quibusvis fructibus ad hominis alimentum comparatis accipit. In fig. II juvenem alatum, equum habenis moderantem, genium ſive Dæmonem, qui hominis generationi atque actionibus præſidere Jamblicho aliisque creditus fuit, interpretatur. In III fig. confirmatis prioribus huc pertinentibus, elatum galli pedem calorem Solis, pedes ſeu culmos frumenti, quando in Arietis ſigno verſatur, attollentis depingere, argute docet. Inprimis autem Oedipum agit in explicatione chimæricæ ſtructuræ, quæ in corneolo num. 183 ſculpta, hic ſub Fig. IV comparet, inque ea originem urbis Romæ ac conditorum ejus ſymbolice adumbratam latitare credit. Per ſerpentem enim, qui in faſtigio eminet, denotari ait Æneæ in Italiam adventum, poſteaquam prope patris ſui ſepulchrum in Sicilia anguem conſpexerat: ſcrofam vero indicare ſacrificium ab Ænea poſt appulſum ſuum eo in loco, ubi deinceps Aſcanius Albam urbem fundavit, peractum; vel, cum apud veteres mos obtinuerit, ut in fœderum cærimoniis porca mactaretur, forſitan confœderationem illam ſolemnem inter Romulum & Tatium Sabinorum Regem initam deſignare: lupam duobus parvulis ubera præbentem, vulgatam Romuli & Remi educationem portendere: clavam denique Herculis & caput apri, quæ in infima parte cernuntur, ſymbola eſſe fortitudinis & valoris tam in vitiis coërcendis, quam hoſtibus domandis, quo priſcos Romanos excelluiſſe conſtat; quorſum & caput arietis, animalis pugnaciſſimi ac Marti ideo conſecrati, acceuſeri poſſet, quod Noſter vero Veneris, matris Æneæ, ſignum eſſe autumat, quandoquidem apud Elæenſes ejus ſimulacrum arieti inſi-

dentis cultum fuerit. Num vero conjecturis ſuis recte ſemper collineaverit ad amuſſim criticam, noſtrum examinare non eſt, ſed judicio Lectorum ſagaciorum merito relinquendum.

LE CHRISTIANISME ECLAIRCI &c.

i. e.

CHRISTIANISMUS ILLUSTRATUS QUOAD HODIERNAS de Quietiſmo controverſias; cum Animadverſionibus in librum, cui titulus, Tractatus Hiſtoricus de Theologia Myſtica.

Amſtelodami, apud G. Gallet, 1700. in 12. Alph. 1. pl. 4.

QUæ Archiepiſcopum inter Cameracenſem & quosdam Galliæ Præſules agitatæ ſunt lites, per Romani Pontificis ſententiam adeo non potuerunt penitus conſopiri, ut potius indies novi adhuc libelli controverſiæ iſtius memoriam nobis refricent. Et pleraque quidem hujus commatis ſcripta merito negligimus, quod aut crambe bis cocta in illis reponatur, aut talia referantur, quæ eruditorum judicio rectius ignorantur, quam diſcuntur. Aſt iſte, quem nunc exhibemus, libellus longe aliud ſuo jure ſibi poſtulat fatum. Excellens enim Auctoris prodit ingenium, lectoremque dubium relinquit, an judicii acumen, an libertatem ab omnibus diſſentiendi conatumque veritatem conſectandi, ſuſpicere in eo debeat.

Etenim (ut ſummam ejus paucis indicemus) Cameracenſem atque Meldenſem Præſules de Myſtica diſciplina ita inter ſe contendiſſe palam fatetur, ut uterque graviſſimos admiſerit errores, neuter rei veritatem aſſecutus ſit. Hiſce licet ſe judicem interpoſuerit quidam ex Proteſtantibus, Auctor ſcilicet Tractatus Theologici de Theologia Myſtica, aſt tamen nec hunc omne tuliſſe punctum, ut in ipſa tractatione ex inſtituto oſtendit. Cauſas quidem, cur doctiſſimi etiam Viri ſic a ſcopo aberraverint, varias eſſe, præcipuam tamen hanc forte non immerito exiſtimari, quod virtutes quas vocant theologicas, myſticamque diſciplinam, & virtutes morales, a ſe invicem non ſatis diſcreverint. Hoc ergo Auctori in hocce opuſculo conſtitutum eſt, ut theologicarum virtutum, myſticæ diſciplinæ, & virtutum moralium indolem explicet, atque diſcrimen accurate demonſtret, ſimulque errorum hactenus ad-

Digitized by Google

admiſſorum fontes, in diſcriminis hujus, veræque, qua præſertim myſtica diſciplina gaudet, indolis ignorantia oſtendat.

Virtutum Theologicarum nomine in ſcholis, uti conſtat, veniunt ſpes, fides atque charitas. De his itaque primo loco agit, ſed ita ut modernis controverſiis tractationem ſuam attemperet. Sic dum de charitate diſſerit, operoſus in eo eſt, ut demonſtret, charitatem ſive amorem Dei non excludere penitus amorem ſui ipſius, licet hic illi ſubordinari debeat. Nihil hic dicitur, quod ſuperfluum ſit: cuncta etiam ita inter ſe juncta ac colligata ſunt, ut decerpi hinc nihil queat, niſi magnam libri partem huc transſcribere vellemus: adeo miſſis hiſce, ad ea progredimur, quæ de myſtica diſciplina præcipit. Hiſce namque paulo diutius immorari, forte operæ pretium fuerit. Sect. I. II. & III.

Quod itaque Auctor *La Miſtique* vocat, nos diſciplinam myſticam appellabimus, arcanam quandam Dei in hominis cujusdam anima operationem hac voce indigitantes. Namque Auctor ipſe illud, quod *La Miſtique* vocat, ab ipſa Theologia Myſtica diſcernit, eaque voce effuſionem gratuitam, tranſeuntem & extraordinariam Dei, in gratiam hominis cujusdam, in quem hunc favorem conferre Deo placuerit, factam, ſe denotare profitetur. Effuſionem eam vocat, ut innuat, arte quadam atque induſtria hanc comparari non poſſe; ſed tantum requiri ſubjectum idoneum, virtutibus ſcilicet theologicis præditum: interim hanc effuſionem virtutes theologicas includere, imo his per illam novum gradum unctionis atque luminis addi. Gratuitam dum eam dicit, hoc innuit, eam nec zelo, nec vita ſancta, nec præparatione, nec auſteritate vitæ, nec exemplis, nec imitatione, nec loci ſanctitate, nec certo veſtimenti genere acquiri poſſe; Spiritus enim Dei, inquit, flat ubi vult: quo ipſo ingentem Pſeudo-Myſticorum turbam proſternit, qui aliis varias regulas atque inſtituta, ut myſtici evadant, præſcribunt. Tranſeuntem vocat hanc effuſionem, ne quis opinetur, per eam ſtatum viæ mutari in ſtatum comprehenſionis, & ordinem ſanctificationis in Evangelio præſcriptum & conſtitutum interrumpi. Simul tamen hanc effuſionem extraordinariam dicit, non quod ordinem a Deo ſemel conſtitutum evertat, ſed quod eum tranſcendat, idque improviſo & ad certa temporis mo- Sect. IV

Digitized by Google

menta. Rurſus Deo hanc effuſionem vendicat, ut oſtendat, Angelum hic non poſſe Dei vicem obire: cum Angelus niſi quod habeat, cum aliis communicare nequeat; ſolus autem Deus ſeipſum cum aliis communicare poſſit. Illi denique huncce favorem Numinis obtingere autumat, cui eum concedere Deo viſum fuit; non ac ſi quis hunc favorem promereri virtute quadam poſſit, ſed ut indicetur, æternam hominis iſtius ad hoc electionem plane gratuitam eſſe, & ut tenerrimus amor Numinis, quo in res creatas fertur, demonſtretur.

Ex iſta itaque definitione, hunc in modum explicata, varias elicit concluſiones. Myſticam ſcilicet illam Numinis perceptionem nec ad ſalutem neceſſariam eſſe, nec ad perfectionem hominis Chriſtiani requiri. Multos extitiſſe in Eccleſia ſanctiſſimos viros, qui tamen non fuerint myſtici. Ex myſtica experientia ſanctitatis & electionis non poſſe certum ac indubitatum documentum capi: nec myſticam illam perceptionem inter media ſanctitatem conſequendi in Evangelio eſſe præſcriptam. In ſanctorum numerum non eſſe referendum, qui fuerit myſticus, etiamſi eum, quod myſtica diſciplina profitetur, expertum eſſe conſtet. Nihilo ſecius myſticos ab Eccleſia non rejici, ſed explorari: myſticam autem perceptionem pro extraordinario quodam Divini favoris documento recte haberi, licet nec revelata ſit, nec promiſſa: nullum doctorem ſcholaſticum idoneum eſſe ad ſacros receſſus myſticæ perceptionis explicandos, imo ne quidem intelligendos. Myſticas operationes rectius ſenſatione percipi, quam intellectu comprehendi: easque melius cognoſci ab eo, qui eas expertus ſit, quam ab eo, qui multos libros myſticos compoſuerit: imo etiamſi illi ſcribant, qui has operationes Numinis experti ſint, eos tamen omni ſua induſtria efficere non poſſe, ut lectores ejusmodi quid in ſe ſentiant, ac illi ſenſerunt. Et hinc librorum myſticorum inutilitatem colligit; myſticam tamen perceptionem pro illuſione ſtatim habendam eſſe, abnuit. Explicat hinc, quo pacto myſtica perceptio differat a miraculo, prophetia, myſterio. Tum porro pronunciat, ad myſticam perceptionem non requiri hominis conſenſum, quia ſupra & ultra ordinem alicui obtingat. Eandem ergo ratione dignitatis ſuperiorem eſſe virtutibus theologicis, quas

me

tamen ſupponat; aſt ratione meriti, durationis, juris, eſſe inferiorem. Interdum in myſtica illa operatione cor hominis incredibili ſuavitate perfundi, ut ceteræ ſenſationes omnes ceſſent, tumque hominem amore proprio, Divino amori ſubordinato, ſummas delicias percipere, quas non expectaſſet. Interdum autem Divino lumine compleri intellectum, ut clarius quædam videat, quam ceteroquin fide complectatur, ſimilemque tum eſſe ejusmodi hominem Paulo Apoſtolo, ut ſit ne in corpore, an extra corpus, neſciat. Quod ad cordis iſtam perceptionem attinet, cum homines naturali propenſione ad ejusmodi delicias ferantur, contingere ut imaginatione decepti deliciis ſe perfundi credant, quæ tamen imaginationis ſolum ſint effectus. Atque tum Angelum tenebrarum in Angelum lucis transformari, qua de re multa, ſed perperam, myſtici quidam dicant. Hanc cauſam præcipuam eſſe, cur multi, myſticorum ſpeciem induentes, ſe & alios turpiter decipiant, a quibus cum infinita mala in Eccleſiam redundent, recte quidem ejusmodi hominibus ſilentium imponi, aſt ut homines ejusmodi quid ſibi ipſis non perſuadeant, nulla ratione effici poſſe. Ad illuminationem vero quod attinet, homines, qui hujus beneficii participes facti ſunt, itidem in magno verſari periculo, ne ſenſuum & fidei limitibus migratis, dum jam hoſce ſe exceſſiſſe putant, in ambitionem tandem quandam incidant, ruantque ita in præceps. Facilius tamen hoſce, quam priores, revocari in viam poſſe, autumat. Ceterum non una ratione Divinum lumen in animam hominum ſe inſinuare porro docet, ſimulque de ecſtaſi, viſione, apparitione & revelatione diſſerit. In ſomniis myſticas perceptiones locum non habere contendit, licet Divinas revelationes in iis hominibus contingere, lubens fateatur. Actum enim quendam hominis, ſcilicet devotionis, myſticam hanc perceptionem præcedere. Operationem itaque myſticam realem & plane Divinam eſſe concedit, etſi illud, quod ſenſuale eſt, ad imaginationem pertineat, & pro naturali operatione ſit habendum. Atque hic omnes aberrationum cauſas in compendium mittit. Nonnullos hic aberrare, quod nihil unquam myſticæ operationis experti ſint, licet illud in votis habuerint: alios, quod hac de re alios perperam loquentes ſecuti ſint: alios denique, quod ſenſuum carnisque deliciis

liciis immerſi ad illuſionem & phantaſiæ deliria ea omnia referant, quæ hac de re dicuntur. Hos poſtquam inter ſe comparavit, pergit, atque teſtimonio divi Pauli probat, quod myſtica iſta perceptio re ipſa fiat, nec ſolum pro imaginationis operatione ſit habenda: aſt ſimul ejusdem Pauli exemplo probat, quod quæ homo hac ratione percepit, ea nec poſſit nec debeat effari: *audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Imo non dubitat, illorum doctrinas, qui effari geſtiunt quæ perceperunt, aut percepiſſe ſe putant, cum Paulo Apoſtolo vocare *doctrinas hominum*, auctoresque ipſos referre ad *docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.* Caput fere hoc eſt totius operis, adeoque hic latius ſe diffundit Auctor, & non tantum rationibus probat, quod perperam agant, qui docere alios, quæ ipſi perceperunt, aggrediuntur, idque tum quod idea perceptionis, quam alius non percepit, in eo non excitari queat, tum quod verba, quibus utuntur, a rebus humanis aut ſenſualibus deſumta hiſce rebus exprimendis non ſufficiant, tum denique quod contra Pauli exemplum agant; ſed etiam incommoda quæ hinc ſequantur, enarrat. Scilicet mirum non eſſe inde infert, quod myſtici ſcriptores inter ſe ita diſſentiunt, ut conciliari nequeant, cum unusquisque ſuas perceptiones ſuo modo explicare annisus ſit. Teſtatur ſancte, ſe ultra ſexaginta libros myſticos perlegiſſe, nec tamen inveniſſe, qui inter ſe conſentiant. Dicit porro, ſe in peregrinationibus ſuis ultra quinquaginta viros, qui ſe pro myſticis venditaverint, vidiſſe atque cum illis fuiſſe collocutum, tandemque intellexiſſe, hoſce homines adeo inter ſe non conſentire, ut quod unus dicit, id alter ne capiat quidem. Atque ex eadem ratione provenire contendit, quod doctiſſimi Franciæ Præſules de rebus myſticis tam diverſos conceptus ſibi formarint, ut conciliari nullo modo poſſint. Omnia hæcce incommoda, imo lites & controverſias non poſſe non oriri, quamdiu myſtici non deſinant libros componere, & ſuas perceptiones cum aliis communicare. Nec ſatis eſt Auctori hæc ita expoſuiſſe; objectiones quoque quasdam ſibi proponit, in quibus diluendis induſtriam ſuam exercet. Prima hæc eſt, quod multi tamen ſcriptores myſtici inter ſanctos relati ſint: unde concludatur, eos non egiſſe perperam de hiſce perceptionibus ſuis commentando. Non una hic ratio-

Digitized by Google

ratione reſpondet. Sed placet nobis cumprimis ſecunda reſponſio: hos Auctores non ob ſcripta ſua, ſed ob vitæ ſanctimoniam in numerum ſanctorum relatos eſſe.

Hæc dum prolixe exequitur, comparationem inter Quietiſtas & Myſticos inſtituit, & ſingula capita, in quibus aut inter ſe conveniant, aut a ſe invicem diſcrepent, ediſſerit. Sic, ut nunc reliqua mittamus, in eo utroſque convenire dicit, quod ad eum perfectionis gradum ſe perveniſſe videri velint, ut reliquis nihil aliud relictum ſit, quam eos admirari, veſtigiaque illorum, ut ad idem faſtigium ſanctitatis perfectioniſque veniant, premere. Inter ea autem capita, in quibus diſcrepent, primum hoc eſt, quod Quietiſtæ breviſſima via ſummum perfectionis gradum ſe attigiſſe ſibi perſuadeant, dum amorem purum introduxerint, a quo etiam ſpes æternæ ſalutis ſejuncta ſit: cum contra veri Myſtici eum quoque amorem perfectum credant, qui cum deſiderio æternæ felicitatis, ſed amori Numinis ſubordinato, ſit conjunctus. Ex his, cujuſmodi reliqua ſint, facile intelligitur. Atque hæc cum velut in tranſitu Auctor ediſſeruit, ad myſticam perceptionem ulterius explicandam redit. Inter alia autem hoc cumprimis diligenter inculcat, myſticam perceptionem pro meditationis fructu aut effectu neutiquam eſſe reputandam: contemplationem quoque nec attrahere, aut conciliare alicui myſticam perceptionem, nec ei obſtare. Sed mittimus cetera, quæ ita decerpta vix intelligi poſſunt; id ſaltem obſervantes, id præcipue hic quoque Auctorem agere, ut ſcripta myſticorum, ceu imaginationis ſolum effectus, & id quod myſtici percipiunt, exprimere neutiquam apta, aut perperam etiam hoc exprimentia, impugnet atque rejiciat. Aſſerit namque diſerte, ſi quis myſticam perceptionem per regulas atque præcepta docere aggrediatur, eamque aut certis rationibus ac terminis alligare, aut methodo certa includere contendat, hunc nihil aliud agere, quam ut inordinatum amorem corruptæque imaginationis deliria prodat, amorique proprio inſerviat.

De amore hominis erga Deum, cum relatione ad amorem ſui ipſius conſiderato, dum porro Auctor ex inſtituto agit, quorſum tendat facile unuſquiſque intelligit. Nimirum ad amandum Deum cauſis certis homines impelli docet, ita quidem ut ſui ipſi- Sect. V.

us amorem amori Numinis ſubjiciant, atque poſtponant, neutiquam autem ut eum plane exuant. Et ita quoque homines ſeipſos Deo offerre in ſacrificium, non ut ſeipſos ſub prætextu zeli aut devotionis deſtruant, ſed ut amorem ſui ipſius itemque amorem mundi poſtponant, ſubordinentque amori erga Deum. Amplus ſe hic Auctori pandit diſſerendi campus, in quem tamen cum eo excurrere per inſtituti noſtri leges nobis non licet: id modo obſervamus, eum hoc cumprimis hic agere, ut oſtendat, ſi amor erga Deum ordinem a Deo præſcriptum non obſervet, eum hoc nomine plane indignum eſſe. Adeoque & contendit, ex hoc ordinis neglectu fieri poſſe, ut virtutes præſtantiſſimæ in vitia degenerent, ſi quis in exceſſu peccet. Eſſe quidem docet, qui ſecus ſentiant, quique odium ſui ipſius ab ipſo Chriſto injunctum, pœnitentiam ad ſalutem conſequendam ſummopere neceſſariam, ſimiliaque objiciant; quæ cum præcepta ſint, neminem in iis excedere poſſe, ut nimis ſeipſum odio proſequatur, nimis pœnitentiam agat. Aſt hæc ita diluit, ut aſſerat, Chriſtum non hoc velle, ut aliquis animam ſuam odio proſequatur, cum alibi dicatur, neminem unquam carnem ſuam odiſſe, hoc eſt, illud facere poſſe: ſed ſenſum eſſe, quod amorem noſtri, qui ſemper ad imperium adſpiret, & æqualem, nedum ſuperiorem, ferre nequeat, amori Numinis ſubmittamus, eaque omnia promte ac libenti animo peragamus, quæ Deus a nobis exigit, reclamante licet ac repugnante philautia iſta prava. Pœnitentiam ſane omnibus eſſe neceſſariam, aſt non hoc intelligendum de tali pœnitentia, qua ordo naturæ a Deo conſtitutus evertatur. Sed rectius hæc ceteraque in ipſo Auctore leguntur. Proinde his non diutius immorabimur, ſicut nec iis, quæ de virtutibus moralibus diſſerit. Hoc nomine enim quid deſignet,

Sect. VI. ex dictis utcunque intelligitur. Id vero Auctori præcipue conſtitutum eſt, ut oſtendat, virtutes haſce revera vitia eſſe, niſi per virtutes theologicas hoc demum obtineant, ut virtutum *Chriſtianarum* nomine dignæ cenſeri queant. Sed alia quoque adjungit conſideratione digna.

Tandem & de notis ejus ad librum, cui titulus, *Traité Hiſtorique contenant le jugement d'un Proteſtant ſur la Theologie myſtique*, & cujus auctorem celeberrimum Jurium eſſe fama fert, ali-

liquid dicendum eſt. Supponere hunc Auctorem dicit, myſticam perceptionem & theologiam myſticam unum idemque eſſe, adeoque non dari aliquod myſticæ perceptionis ſyſtema: myſticam diſciplinam non differre a Quietiſmo: Theologiam Cameracenſis Archiepiſcopi nihil aliud eſſe, quam Quietiſmum mitigatum, aut myſticam diſciplinam temperatam: Meldenſis autem Epiſcopi Theologiam nihil aliud eſſe, quam myſticam diſciplinam variationibus obnoxiam, qui ea impugnare ſuſtineat, quæ illa non comprehendat, tandemque tamen ſtatim ac incipiat ita explicare mentem, ut intelligi queat, ea approbare cogatur, quæ antea impugnaverit, &c. Quæ omnia ceteraque in toto opere ab eo propoſita ita comparata Noſter putat, ut in quibusdam ſubſcribere illi, in quibusdam refragari, ſuarum eſſe partium cenſeat. Suffragatur illi in eo, quod aſſerit, Cameracenſem Archi-Epiſcopum ejusque adverſarios multum a via regia hic aberraſſe, quod quid myſtica perceptio ſit, non ſatis intelligerent. Auctoris tamen hic fuiſſe monet, paulo accuratius illud explicare, & ea ſupplere, in quibus Epiſcopi iſti inter ſe contendentes defecerunt. Interim recte ab Auctore eos exſibilari, qui myſtici videri, quam eſſe malint, aut qui in ſcientiæ formam ſecretas haſce operationes Numinis redigere, artemque quandam, perfecte ſcilicet vivendi, hinc extruere audeant. Hic autem denuo ſedulo inculcat, maximum intercedere diſcrimen inter myſticam perceptionem & theologiam myſticam, hoc eſt ſcientiam iſtam, quam illi docent, qui myſticas perceptiones aut habuerunt, aut ſe habuiſſe putant. Myſticam perceptionem in dubium vocari non poſſe, imo ipſum Jurium eam concedere, dum referat exemplum Auguſtini & matris ejus Monicæ, qui ea gaviſi ſint, adeoque cum iſtud facere videatur, eum non ſatis ſibi conſtare aut perperam agere: theologiam autem myſticam pro fœtu imaginationis haud raro exorbitantis omnino eſſe habendam. Hanc diſtinctionem maximi eſſe ponderis, ut ſine ea quadrata miſceantur rotundis: eam tamen inſuper habitam neglectamque fuiſſe a Cameracenſi & Meldenſi Epiſcopis, indeque utrumque in eas ſe difficultates conjeciſſe, ex quibus ſe expedire nullo modo queant. Quietiſmum nihil aliud eſſe, quam myſticam Theologiam in exceſſu peccantem, concedit Noſter, atque ex ſuis demum hypotheſibus hoc

Digitized by Google

recte intelligi addit. Sententiam autem Cameracenſis Archiepiſcopi pro Quietiſmo pauliſper emollito habendam eſſe, illis vix perſuaderi poſſe dicit, qui unquam cum Molinoſo collocuti ſint. Provocat hic ad colloquia quædam A 1684, præſente Chriſtina Sueciæ Regina, cum Molinoſo habita, quæ ſi aliquando in lucem ederentur, manifeſtum inde fore ait, eos, qui pro ſectatoribus Molinoſi habiti ſint, mentem ejus non percepiſſe: cum divinarum rerum ſyſtema, quod ſibi finxerit Molinoſius, intellectu longe difficilius ſit, quam ſyſtema Spinozæ. Certe Cameracenſem Præſulem ne ſeipſum quidem ſatis intelligere, tantum abeſſe ut intelligat myſticos. Guyoniam, cujus haud ſemel in hoc certamine injecta eſt mentio, habeaturne pro Quietiſtica, an muliere mentis non ſatis compote, perinde eſſe, nec Cameracenſi Præſuli hoc fraudi eſſe poſſe, quippe qui aperte ſatis declaraverit, ſe pietati ſolum & virtuti mulieris patrocinari. Dixerat Jurius, Theologiam myſticam nondum in ſyſtematis cujusdam formam eſſe redactam. Addit Noſter, Theologiam myſticam a perceptione myſtica diſtinctam non poſſe in ſyſtematis formam redigi, quia hoc nomine tantum diverſæ & ſæpius ſecum pugnantes hominum myſticorum, aut qui tales videri voluerint, imaginationes deſignentur. Has vero ut quis pro veris reputet, aut defendat, aut multum de iis ſolicitus ſit, a nemine requiri. Aſt ipſam perceptionem myſticam non eſſe cum Theologia myſtica confundendam, cujus ſyſtema ex definitione Auctoris, ſupra quoque a nobis allata, eluceſcat. Exagitat Jurius myſticorum placita de Deificatione, ſtatu paſſivo &c. Merito, inquit Noſter. Illi enim, qui de perceptionibus myſticis ſcribere aggreſſi ſunt, quod tamen facere non potuerunt, nec debuerunt, non potuerunt non in multa abſona incidere. Interim cavendum monet, ne ſimul ipſam perceptionem myſticam in dubium vocemus: præterea vero non has tantum myſticorum notiones, quas Jurius exagitat, incommodis ejusmodi obnoxias eſſe, ſed quascunque etiam aliquis excogitaverit, ad easdem perceptiones exprimendas, eas ſimilibus incommodis obnoxias fore. Finem Theologiæ myſticæ Jurius eſſe dicit transformationem in Deum, eamque ſententiam explodit. Noſter hactenus ei ſuffragatur, ut concedat falli magnopere, qui per Theologiæ myſticæ regulas atque præcepta hun-

Digitized by Google

hunc finem ſe conſecuturos ſperent. Interim non abnuit, eos qui operationes Divinas in anima ſua percipiunt, longe auguſtius quid percipere, licet nec vox transformationis in Deum, nec alia quæcunque, apta ſatis ſit ad illud, quod percipiunt, exprimendum. Sed reliqua quæ addit, quæque ejusdem commatis ſunt, prætermittimus. Quivis enim facile intelligit, qui hæcce legerit, eo cuncta tendere, ut demonſtret, dari perceptionem myſticam, & ut, quæ a Jurio ad hanc forte impugnandam dicta videri queant, amoliatur: in iis autem, quæ contra ipſam theologiam myſticam a Jurio disputata ſunt, lubens ei ſuffragetur. In tertia tractatus ſui hiſtorici parte, Jurius ex inſtituto contra Archiepiſcopum Cameracenſem diſputat, demonſtraturus, parum ſolidis rationibus ad ſe defendendum Præſulem hunc uti. Nec refragatur Noſter, imo fatetur, loquendi formulis parum accuratis eum uti, nec tamen per principia hactenus expoſita aliter ſe rem habere poſſe. In quarta autem operis ſui parte, quæ reliquis longe eſt prolixior, arma ſua contra Meldenſem Epiſcopum ſtringit Jurius. Statim ab initio hunc Epiſcopum ceu virum aulicum & aulicis rationibus conſilia ſua accommodantem ſiſtit. Non abnuit plane Noſter. Addit ſolum, ergo nec alia ab eo quam ab aulico Epiſcopo expectanda eſſe. Comparationem porro inſtituit Jurius inter doctrinam moralem Jeſuitarum & Cameracenſis Archiepiſcopi, & cum illa longe pejor ſit, miratur, cur eam toleret Meldenſis Præſul, cum hanc tamen nullo modo ferre queat. Noſter hactenus illi accedit, ut fateatur, moralem Jeſuitarum doctrinam erudito ac pio homini neutiquam probari poſſe; aſt addit tamen, fruſtra eam reprehendi, cum nulla ſperanda ſit emendatio. Aſt quod aſſeruerat Jurius, moralem doctrinam myſticorum præferendam eſſe morali doctrinæ Jeſuitarum, in eo neutiquam ei ſuffragatur. Illam enim in exceſſu, hanc in defectu peccare. Tam autem graviter eum peccare, qui in exceſſu peccat, quam qui in defectu peccat. Multa alia adjungit ejusdem argumenti, quæ omnia hic recenſere ſupervacaneum eſſet. Sic Meldenſem Epiſcopum ſibi contradixiſſe fatetur: aſt non adeo hoc illi exprobrandum fuiſſe cenſet, cum Theologia myſtica contradictionibus nunquam careat. Quæ Jurius porro de politicis conſiderationibus, quæ Romanum Pontificem ad ferendam ſententiam

Digitized by Google

tiam impulerint, de libertate eccleſiæ Gallicanæ juribusque in hac controverſia imminutis, de Rege Galliæ huic negotio ſeſe immiſcente diſſerit, ea Auctor diluere aut excuſare annititur: quo ſucceſſu, alii videant; nobis enim hic tandem ſubſiſtendum eſt.

TRAITE' DES EAUX DE BOURBON L' ARCHAMBAUD &c par le Sieur JEAN PASCAL.

i. e.

TRACTATUS DE THERMIS BORBONICIS ARCIMBALDI. Authore JOHANNE PASCALIO, Doctore Medico.

Pariſiis apud Laurentium d'Houry, 1699. in 12. Conſtat plag. 16 $\frac{1}{2}$.

SItne idem hic Auctor, qui fermentationis directorium univerſale potentiamque in totum macrocoſmum immenſam jam olim collaudavit, magnamque ejus vim in homine peculiari tractatu, ante hos 18 annos in lucem edito, & in Actis noſtris A. 1684 menſe Junio p. 284 recenſito, demonſtravit, certo affirmare non poſſumus. Argumentum tamen a priori alienum non eſt, dum thermas, & ſpeciatim Borbonienſes ſibi explicandas ſumſit. Cum enim nullus hactenus hiſce de thermis diſtinctam propoſuerit ideam, Medicorum æque ac ægrotorum commodo conſultum ſe credidit, ſi eandem nunc ſuppeditaret. Ad phænomena igitur recenſenda, quæ unicuique haſce thermas viſitanti pa-
Part. I. c. 2. tent, ſe initio accingit. In puteis ſcilicet ſuperficiem aquarum aliquanto pinguem & oleoſam notari; ebullitionem inſignem ac vehementem, fumumque abundantem adverti; vitro ſi infuſæ fuerint, cryſtallinam fulgere limpiditatem, colore odoreque expertem; ſi bibantur, calorem inſignem, non tamen adurentem deprehendi, indeque nullam vel labiis, vel linguæ, vel gulæ noxam oboriri; ſaporem ſalinum minus a calidis, a frigefactis autem magis ſubacido-ſalinum linguæ imprimi; ſi ad ebullitionis ſtatum ſuper ignem redigi debeant, idem requiri temporis ſpatium, ſive calidæ ſive frigefactæ apponantur, quod aqua communis ſibi expoſcit. Antequam autem ad earum naturam & generationem explicandam pergat Auctor, ſcaturiginem earum, in tres puteos, aquas has ad eandem
c. 3. altitudinem continentes, diviſam, ductusque per quos aquæ ad diverſa ducuntur balnea, deſcribit, & nunquam exſiccari hos puteos,
ſive

ſive calidiſſimus ardeat Sirius, ſive maxima aquæ quantitas exhauriatur, tradit. Et quoniam præter balneorum uſum per multa ibidem ſecula vigentem, aquæ non ſolum ore hauriri, verum etiam per embrocationem partibus affectis applicari cœperunt, poſt balneorum deſcriptionem, modum pariter, quo ſtillicidium iſtud adhiberi ſoleat, delineat. In reſervatoriis, in quibus ſtagnant aquæ, adhærere dicit fæces calidas fumantes, quas tartarum vocat aquarum, ſulphur pingue & ſal cum copioſa terra continentem; propter ſulphur autem concentratum & ſal magis fixum, promtius eas & majori cum impetu partem affectam uſu externo adoriri docet, quam ipſas aquas; hinc non ſolum calidas dicto in loco eas uſurpari, ſed & in remotas terras transportatas, una cum decoctis cephalicis, nervinis, vel aliis appropriatis calefieri, & ſic externe applicari poſſe. Sed relictis his ad ea progreditur, quæ ante aquarum eruptionem in terræ viſceribus contingere ſupponit; ac dubiam non ſolummodo eorum opinionem pronuntiat, qui a certis mineris & metallis talium aquarum vim deducunt, quoniam quale ſit metallum vel minerale illud, nullus hactenus determinare auſus fuit; verum penitus falſam vocitat. Cum enim 1) Regnum Minerale corpora ſolida & gravia, quorum principia per mixtionem combinata motu inteſtino, a quo alias vita mixtorum dependet, ſunt privata, complectatur; 2) fragmenta vel minima a metallis arte ſeparata characterem ſpeciei ſervent; 3) calor centralis & ſulphur radicale, quod in pleriſque mixtis obſervatur, extinctum & ſuffocatum quaſi ſit in familia minerali; difficile conceptu eſſe tradit, quomodo aquæ Borbonenſes vivæ, animatæ, per levia principia, extraordinaria penetrandi vi præditæ, & virtute activa ſublimi & quaſi vivificante dotatæ, ex terræ ſinu Sal volatile vel Nitrum ſubtiliſſimum ſecum vehentes, ebullientes, ignitæ, & ſulphure vivo imprægnatæ, caloremque notabilem producentes, poſſint habere ullum characterem Mineralem vel virtutem accipere a familia Metallica. Quod ut clarius deducat, aſſerit, aquas ſubterraneas ſimplices Metalla & Mineralia intacta relinquere, Sale vero vitriolico; aluminoſo &c. imprægnatas, diſſolvere eadem, horumque portiones ſubtiliſſimas ſecum vehere; adeoque tres ponit characteres, quibus aquæ Minerales a communibus diſtinguantur.

cap. 4.
cap. 5.
cap. 6.
cap. 7.
cap. 8.

guantur. 1) ſcilicet, ſaporem illarum eſſe vel martialem, vel vitriolicum, vel aluminoſum &c. 2) ſi bibantur, citiſſime eas per urinarias & primas vias corpus permeare, nec ventriculum gravare, nec abdomen inflare, obſtructiones reſerare, recrementa p. n. detergere, & tot morborum fomites removere. 3) illis evaporatis relinqui heterogeneum quid, ex particulis metallicis & ſpiculis ſalinis mixtum. In aquis autem Borbonenſibus calidis nullum eſſe ſaporem, de minerali abſolute teſtantem, nec in frigefactis talem, qui magis ad mineralium claſſem, quam ad ſalia eſſentialia plantarum ſucculentarum nitroſarum referri valeat. Licet vero characterem ſecundum ipſis haud deneget, non tamen particulis mineralibus, ſed ſalibus nitroſis ex terræ abyſſo verſus ſuperficiem elatis & ab aquis ſolutis eum deberi docet; tandem ſal, quod evaporata humiditate relinquitur, præter tantillum terræ, uniforme, ſubtile ac tenacitati & ſoliditati ſalis cujusdam Mineralis contrarium pronuntiat; quatenus in aqua promte ſolvatur, in aëre in deliquium abeat, & in vaſe terreo clauſo repoſitum diu incorruptum haud perſeveret. Quibus denique addit, ſalia Mineralia præter tartarum & nitrum, (quæ pro Mineralibus Author non habet, cum ille viti, hoc ſpiritui aeris acido ortum debeat) nunquam ſal alcalicum, vegetabilia vero calcinata copioſum exhibere. Imo ipſum ſulphur thermarum vegetabile, vivum, & aquæ vitæ inſtar mobile pro ſententia hac Noſtro pugnare videtur, cum ſulphur minerale lateat ſub ſalium concretione, obvolutum ita, ut,
cap. 9. niſi aquarum ſtygiarum vi, reſolvi ſe non patiatur. Ex calore igitur aquarum, & ſapore vellicante judicat Noſter, duas adeſſe ſubſtantias activas, ſulphur nimirum vivum, mobile ac animatum, & ſal pungens; quoniam autem nulla ignis veſtigia nec in manu, nec in ore ab aquis relinquuntur, ſulphur nec aſperum, nec rapidum, ſed mite, balſamicum, corpuſculis rotundis & ſphæricis conſtans; ſal vero nec acre, nec rodens, ſed volatile, & temperatum,
cap. 10. cuſpidibus levibus, & benignis præditum eſſe exiſtimat. Sed intimius Noſter aquarum harum ingredientia examinando invenit, menſuram unam (*une pinte*) aquarum poſt evaporationem concedere reſiduum ſalinum, quod ſolutum, filtratum, & evaporatum reddat 50 grana ſalis, relictis in filtro terræ albicantis & levis granis ſeptem. Hanc tamen addit notam & enchireſin, ut ſcilicet evaporatio

Digitized by Google

ratio inſtituatur in vaſe collum anguſtum & fundum amplum obtinente; ſicque in lateribus ſal volatile ſub forma cryſtallorum ſubtilium, ſplendentium, & pyramidalium adhærere; in fundo vero ſubſidere ſal fixum, non adeo album. Quibus ſingulis ſub examen vocatis, obſervavit, ſal volatile, omni ſalſo privatum ſapore, linguam ſubacidorum inſtar pupugiſſe, in loco humido non facile per deliquium, commodius in aqua ſolvi potuiſse. Quoniam autem nec ejus ſolutio cum ſale tartari, ſale viperarum, pulvere perlarum, coralliorum, cornu cervi calcinato; nec ipſum ſal cum acido ſulphuris vel ſpiritu vitrioli efferveſcentiam init, ſed aſperſum flammæ candelæ ſtrepitum ſubito excitat, flammamque cœruleam reddit; hujusque ſolutio Mercurii ſublimati corroſivi ſolutioni album, tincturæ heliotropii rubrum colorem conciliat, atque ſal Saturni ſolutum in pulverem album præcipitat: non ſal acidum, nec ſal alcali actuale, ſed ſal hermaphroditicum, mediam inter volatile & fixum naturam nactum, eſſe concludit; imprimis cum circa oleum tartari, camphoræ & vitrioli ſolutiones, eosdem quos nitrum edat effectus. In ſalis fixi analyſi advertit, hoc ſolutum poſt filtrationem & evaporationem albeſcere; ſaporem ſubtilem, pungentem, ſubacidum & ſubſalſum poſſidere; pulveriſatum fundum in aqua communi petere, in loco humido in deliquium abire, vas terreum, in quo per aliquod tempus aſſervatur, penetrare & extrinſecus inſtar filorum cryſtallinorum adhærere, quæ ſoluta aquam reddant pungentem & acidam, ita ut habeat ſaporem Mercurialem, & cum nitri per carbones fixati granis aliquot efferveſcat. Quoniam igitur ſalis ſolutio cum ſale tartari, cum bile animalium, cum limatura Martis, cum ſale volatili viperarum non ebullit, concludit Author, hoc texturam valde laxam habere, hujusque unionis principium eſſe acidum ſubtile. Præterea notavit, ſal fixum mixtum cum acido ſulphuris vel ſpiritu vitrioli rectificato efferveſcentiam producere, cum aceto forti agitationem excitare, hujusque aciditatem imminuere; tincturam coralliorum cum aceto deſtillato paratam in pulverem album præcipitare; oleis per ſuccos citri, lapathi acuti, vel berberis coagulatis priſtinam reſtituere fluiditatem; ejusque ſolutionem coagulo lactis affuſam, coagulationem diſſolvere. Atque ex his omnibus deducit, ſal hoc fixum obtinere cha-

Digitized by Google

cap. II. racterem alcali. Cautos tamen harum aquarum examinatores eſſe jubet, quo minus ex ſalis in fundo relicti phænomenis concludant, eas eſſe alcalicas, cum alcali ſoboles ſit ignis, poſtquam ſcilicet particulæ nitroſæ Mercuriales avolarunt; quemadmodum quotidie videmus, particulas fixas cum terra in foco ſub cinerum forma relinqui, ſi concremetur lignum, acidas vero & nitroſas in fuliginem ſe elevare; item plantas ſucculentas & nitroſas parum ſiccatas ſal ſuum eſſentiale concedere acidum, ſuper igne vero tractatas ſal fixum relinquere. Quod ut clarius evadat, jubet aquas has ſub radiis Solaribus evaporare, & tum contrarios obſervari dicit effectus ab illis, quos edit ſal evaporatis ſuper ignem aquis reſiduum; illud enim liquores acidos in fermentationem ſenſibilem non cogere, nec ſolutiones cum acido factas præcipitare, nec fluiditatem priſtinam mixto coagulato reddere obſervavit. Nec alia deſunt argumenta, quibus probare conatur, ſal naturale aquarum Borbonienſium non idem eſſe, quod in vaſe evaporatis illis relinquitur; alias thermæ ipſæ Borbonienſes eundem deberent exhibere effectum, quem edunt aquæ Borbonienſes deſtillatæ & ſale ſuo naturali exutæ, debita tamen denuo ſalis fixi in vaſe relicti quantitate imprægnatæ. Sed experientia docuit, 1) aquas has calidas obtinere calorem vehementem, urentem, ſenſationem dolorificam in lingua relinquentem: thermas Borbonias minus; 2) aquas frigefactas gaudere cuſpidibus pungentibus & ſenſibilibus valde: thermas Borbonias ſapore ſubtili, ſubacido atque nitroſo; 3) aquas cum ſpiritu vitrioli, ac ſulphuris, & aceto efferveſcere, hosque liquores ſua aciditate defraudare: thermas Borbonias minus; 4) aquas ſaponis & lixivii inſtar ſordes detergere, & mundare lintea: thermas Borbonias potius rubras & magis conſpicuas reddere maculas; 5) aquas loco aquæ ſimplicis farinæ fermento imprægnatæ affuſas fermentationem valde inhibere: thermas vero eandem promovere; 6) aquas literas ſolutione gallarum & vitrioli exaratas obſcurare: thermas Borbonias minus. Quibus experimentis & hæc addit, ſcilicet 7) cruſtam ſalinam orificiis ductuum majorum adhærentem in aqua ſimplici more ſalium alcalinorum non ſolvi; 8) terram hanc ante infuſionem cum ſpiritu vitrioli, ſulphuris & aceto deſtillato &c. non efferveſcere, calcina-

tam

Digitized by Google

tam vero paucis acidi cujusdam guttis infuſis ebullire. Poſtquam cap. III.
igitur Author aquas has nec acidas nec alcalicas eſſe demonſtravit, in eo eſt, ut ſal hermaphroditicum, de acido & alcali participans, illis inexiſtere probet, idque variis argumentis: 1) quoniam aquæ nec cum acido nec cum ſalis cujusdam lixivioſi ſolutione effervescunt; 2) quoniam ſal naturale corporum externorum impreſſiones facile ſuſcipit, a particulis ignis promte diſſociatur, ac propter laxam ſui compagem acidas deperdit particulas; 3) quoniam ſal, quod lateribus adhæret, inter evaporandum igni vel candelæ flammæ injectum crepitum excitat, flammamque cœruleam reddit.
Cognitis itaque, ex quibus conſtant aquæ hæ, particulis, modum cap. IV.
deſcribit, quo ambo ſalia connubium hoc ineunt, atque ſupponit, ſinum telluris repletum eſſe prodigioſa materiæ craſſæ, oleoſæ, ſulphureæ, bituminoſæ & inflammabilis abundantia, quæ ex continua ſpirituum nitroſorum ibidem circulantium pervaſione perpetuo deflagret, fuliginesque per montium ignivomorum ſpiracula emittat; deinde, in terræ ſinu multum ſalis fixi, (quod mari & ſalinis materiam ſuppeditet,) diſperſum eſſe, hocque continuo ab igne ſubterraneo elevatum calcinari & ſublimari in ſal alcali volatile & fixum, receptis particulis igneis, aptum reddi cum acido fermentationem ſubeundi, atque ebullitionem & calorem excitandi; tandem adeſſe cavitates collectionibus nitroſis repletas, quæ inſtar torrentis liquorum acidorum continuo circulentur, efferveſcant, & non modo verſus centrum præcipitentur, ac metalla ingrediantur, ſed ſublimentur quoque verſus ſuperficiem, & vegetabilibus ſe aſſocient. Quibus poſitis credit, ſub oppido Borbonienſi in terræ ſinu eſſe cavitatem aqua dulci repletam, ex diverſis ſcaturiginibus novum ejus proventum recipientem, illucque decurrere duos rivos, unum a meridionali plaga vehentem aquas ſale alcaliſato repletas, alterum a plaga ſeptentrionali liquorem ſuppeditantem mercurialem acidum. Ex hoc concurſu oriri tumultum, aquam rarefieri, & ebullire, particulas alcalicas, quas acidum tanto cum impetu pervadit, exprimere particulas igneas, ex calcinatione receptas, acidum permeans alcali ligari in coagulum ſubtile, vel concretionem tenuem, & nitroſam, facile tamen ſolubilem, ſicque continuo, hac fermentatione durante, data Borbonii

cap. 14. porta, ruere & prorumpere thermas. Qua vero ratione & cur
cap. 15. aquæ Borbonienſes ab aliis thermis differant, paucis explicat; atque de virtutibus earum in genere agens, tria perpendenda proponit: 1) Aquas rarefactas conquaſſari, in ſpumam reſolvi, exinde leviores, ſubtiliores, fluidiores, penetrantes evadere, atque ſe expandere. 2) Sulphur in poris alcali latens moveri ab acido per totum aquæ corpus, hancque rarefactionem & ſubtilitatem ob inteſtinum impulſum continuo perſiſtere. 3) Sal ex acidi cum alcali conjunctione ortum concretionem eſſe ſubtilem, in qua particulæ fixæ alcalinæ attenuatæ & ad volatilitatem quandam redactæ, acidæ vero in poris alcali edulcatæ ſint, ita ut aqua exinde neceſſario evadat ſubtilis & dulcis. Ex quibus infert, tales aquas habere vim vivam, potentem, mira ſubtilitate ſuffultam, quæ ipſis concedat ſubitam penetrationem, & motum valde activum; hinc celerrime eas percurrere viſcera digeſtionum, vaſa ſanguinea & genus nervoſum, habitumque corporis. Hinc mirum non eſſe, eas, quamprimum bibantur, per diureſin, ſedes & diaphoreſin operari; atque per ſe conſtare, quomodo ventriculo, inteſtinis, utero, vaſis
cap. 16. ſanguineis, pulmonibus, cerebro &c. auxilium ferant. Quemadmodum autem potæ thermæ ſuam exerunt virtutem expandendo ſe a centro verſus circumferentiam; ita extrinſecus applicatæ a circumferentia ad centrum penetrant, non ſolum morbos in habitu depellendo, verum etiam mineras eorum vel in remotiſſimis locis abditas deſtruendo. In ſpecie balnea Authori agere dicuntur mundando, detergendo, aperiendo, reſolvendo, calefaciendo, humectando. Embrocationem ſe habere ad balnea, quemadmodum evacuatio particularis ad univerſalem; ita tamen, ut multo violentior ſit illa quam balnea, penetrando interſtitia, ductus aperiendo, fibras dilatando, viſcoſitates & quicquid coagulatum eſt, reſolven-
cap. 17. do. Sicut autem diverſa ingredientia aquarum diverſas neceſſario edunt operationes, in eo Author eſt, ut declaret, quid ſulphuri, quidve ſali in acceptis ſit referendum. De ſulphure differens, quoniam ſtatuit, illud dulce & balſamicum, in matrice ſubterranea motum inteſtinum acquirere, ipſiusque partes magis ſubtiles elevari & per impulſionem ſpirituum nitroſorum ſub forma effluviorum urentium & ignitorum ſe disjungere, majoremque ſubtilitatem acqui-

quirere, ſi deflagret, ſi poros alcali intret, ſi alcali cum acido coëat, aliter fieri non poſſe autumat, quin hic ignis ſubtiliſatus, radiorum inſtar luminoſorum maxime tenebroſa loca penetrantium, ſpiritus ſub combinatione ſalium fixorum depreſſos exaltet, fermentum in corpore ſub phlegmatis coagulati pondere debilitatum refocillet, & calorem naturalem languentem renovet. Sal vero hermaphroditicum ſub triplici reſpectu conſiderat, vel quatenus ſibi adhuc relictum eſt, & tum nitrum volatile vocat, vel quatenus facta partium ſuarum divulſione diſſolvitur, & ſub ſchemate acidi vel alcalici ſalis examinat. Nitro volatili ad maſſam ſanguineam delato deberi dicit, quod flamma hujus languens reſtauretur, & fuliginibus obſcurata potentiorem vigorem adipiſcatur. Disjunctum vero ſal diverſos producere effectus; acidum quidem, tanquam leve & magis penetrans citius canales transcurrere, ob exilem vero ſui copiam ſphæram activitatis valde reſtrictam habere; hinc ratione prioris ſedes & urinam cito movere, ratione poſterioris primas vias ſuperficietenus ſaltem & non radicaliter evacuare; recrementa tamen billioſa infringere & efferveſcentias ſanguinis reprimere; alcali vero triumphare de acido, quocunque in loco hæreat. Singulos inſuper recenſet morbos, in quibus proſint hæ aquæ, tales ſcilicet, ubi quid reſolvendum, movendum & calefaciendum ſit; potiſſimum tamen in depellendis ventriculi malis egregie ſe illas commendare aſſerit; minus autem convenire, ubi humores fuſi, in motu conſtituti, & calefacti ſint; tumque mala non ſolum non tollere, ſed potius augere, ſcilicet in fermentationibus nitroſis & ſulphureis, ubi oleum in motu conſiſtit & alcali prædominatur; ut in febribus, excepta quartana, cujuscunque generis, maraſmo, fluxu immoderato hæmorrhoidum & uteri, abſceſſibus &c.

cap. 18. cap. 19. cap. 20.

Monitis illis, quæ theoriam ſpectabant, ea nunc aggreditur, quæ praxin concernunt; & quoniam virtus aquarum Borbonienſium optime ſe manifeſtat, ſi debito modo uſurpentur eædem, varia ante uſum, circa uſum, & poſt uſum thermarum obſervanda proponit. Ante uſum reſpicere jubet ad cauſam, fomitem morbi, & temperamentum ægri; ponderandum ſcilicet eſſe, num cauſa morbi ex illarum ſit numero, quæ per aquas has profligari ſe patiuntur; inquirendum, annon morbus ſit complicatus, ita ut alte-

Part. II. c. 1

alteruter aquas prohibeat; e. g. in ſtomachi debilitate frigida & humida cum calida hepatis intemperie: advertendum, num æger temperamenti ſit calidi, & habitum habeat exſiccatum &c. Quo anni tempore frequentandæ ſint thermæ, explicaturus Noſter, vernale & autumnale ſolum deprædicat commodum; hyeme enim aërem craſſum, ponderoſum & frigidum alterare corpus, & poros occludere; æſtatem nimis calidam ſiccamque calefacere, & corpus exſiccare; vere autem aërem repletum nitro volatili, & moderate calidum habitum corporis relaxare, poros dilatare, & ſanguini novos fermentationis motus conciliare. Autumno aërem remittere de calore, easdemque qualitates, quas verno tempore obtinet, recipere. Ver tamen generatim autumno præfert, quoniam corpus humiditatibus hybernis repletum magis diſpoſitum ſit ad calorem aquarum admittendum, utpote qui hoc tempore raro nimios excitet motus; autumno tamen curam inſtituere ſuadet illis, qui temperamenti phlegmatici ſanguinem ſalibus fixis & ſeroſitatibus repletum habent, utpote quorum corpus ſiccando æſtas præparet. Menſe igitur Aprili & Auguſto bibere aquas, Majo & Septembre balneis & embrocationibus uti ſuadet. Ante uſum aquarum porro ſuadet, quoniam aquæ cito per vaſa rapiuntur, cum efferveſcentia operantur, recrementa in primis viis latitantia ſecum abripiunt, adeoque patulas vias & transſpirationis abundantiam efflagitant, ut maſſa ſanguinea ad juſtam mediocritatem per venæſectionem redigatur, & viæ apertæ per purgationes ſerventur. *Illam* ergo ad 6 vel 8 uncias inſtituendam jubet, præſente plethora, verno tempore, in ægris, qui temperamentum ſanguineum obtinent, ætatis vegetæ & juvenilis ſunt, plenius vivunt, vitam ſedentariam exercent, hæmorrhoides, menſesve ſuppreſſos habent &c. Majoris momenti evacuationem per alvum eſſe, exinde conſtare putat, quod cauſæ morborum, quæ evacuationem per alvum, thermas ſimiliter indicent; eam igitur aquarum uſui recte præmitti dicit, ne thermæ recrementa ex primis viis ad vaſa ſanguinea propellant, ipſæque penetrandi vi priventur; repeti vero debere durante thermarum uſu & poſt eum, ut ſcilicet tartarus, qui, humoribus alteratis, eorumque fluidiore portione evaporata, partibus adhuc inhæret, abradatur, & aquarum pars crudior craſſiorque glandulis vel membra-

(margin notes: cap. 2. — cap. 3. — cap. 4.)

Digitized by Google

branarum texturæ adhuc impactæ, abluatur. Selectum interim horum evacuantium commendat, prout recrementa vel ſicca & aduſta, vel fixa & adhærentia, vel in motu conſtituta ſunt, tumque vel purgantia vel emetica in uſum vocanda eſſe, ita tamen ut ægrorum palato inſimul conſulatur. Quæ evacuantia qua ratione corpus præparent, poſtquam ediſſeruit, de modo utendi aquis prolixe agit, dicens, quosdam bibere tantum aquas in morbis ſimplicibus & recentibus; quosdam bibere & balneo uti, ubi viſcida ſint fundenda, intemperies acida removenda, & mineræ ſalinæ circa nervos tollendæ; quosdam embrocationem addere, in morbis inveteratis, ubi in membris particularibus humores concreti & fermenta fixa deprehendantur. Quodſi igitur quis per 8 vel 10 dies aquas Borbonienſes debito modo, (quem breviter deſcribit) ore hauſerit, balneum, urgente neceſſitate, non poſthabito thermarum potu, commendat, atque ut e. gr. balneo domeſtico (quod temperatius publico dicit) utens in labro ſemel de die vel mane jejuno ſtomacho, vel veſperi tres circiter horas ante paſtum, per horam unam ſedeat, tum lectum petat, ſudorem curet, idque ad 7 vel 8 dies continuet, jubet. Embrocationem vero ſuadet in morbis, quos frigidos vocant, in conſtitutionibus pituitoſis potiſſimum, vacuo ſtomacho admittendam, quanquam & reliqua temperamenta eandem perferant ſimiliter, niſi ſanguinem maxime mobilem poſſideant ægri; pectus tamen, abdomen & caput hoc modo irrigare ob inflammationis metum prohibet; quemadmodum nec modum laudat, quo ſpongia inter aquas deſtillantes & caput interponitur, cum is, ſi, applicata capiti frigido ſpongia, non noceat, certe absque fructu ſit, quoniam aquarum decidentium impetus ad obſtructos poros penetrare non valeat. Circa vivendi rationem hac in cura neceſſariam, tria potiſſimum reſpicit: 1) ut primæ viæ ſerventur apertæ, 2) motus ſanguinis naturalis conſervetur, 3) & habitus corporis maneat perſpirabilis. Quodſi vero contingat, ut inter bibendum ſuppreſſio urinæ, dolor lumborum; ſub balnei uſu, tuſſis, oppreſſio pectoris; inter embrocationem dolor capitis, ſuffuſiones, tinnitus aurium, vertigo &c. oriatur, quid agendum breviter communicat. Qua ratione demum poſt thermarum uſum cor-

pu,

cap. 5.
cap. 6.
cap. 7.
cap. 8.
cap. 9.
cap. 10.

Digitized by Google

pus purgandum, & reliquiæ morboſæ penitus exturbandæ, ut experti conſulantur Medici, author eſt.

CASPARIS CALVÖRII FISSURÆ SIONIS, *hoc eſt, de Schismatibus ac Controverſiis, quæ Eccleſiam Domini ab aſcenſu ejus ad decurſum ſeculi XVII usque agitarunt, Tractatus Theologico-Hiſtoricus.*

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtoph. König, 1700. in 4. Alphab. 8.

PRimas lineas debere librum hunc bibliothecæ Theodori Jordanis, Conſiliarii, dum viveret, Eccleſiaſtici Electoralis Brunſuicenſis & Superintendentis in Hercynia Generalis Clauſthalienſis, in præfatione ad Lectorem aſſerit Maxime Reverendus Calvörius, qui abs illius genero, Wilhelmo Mechovio, Phyſico ac Medico civitatum in Hercynia metallicarum ordinario, rogatum ſe eſſe profitetur, ut opusculum illud ſuo cum præloquio in lucem publicam emitteret. Non diffitetur autem, quod paulo id penitius inſpiciens, deprehenderit, autorem ejus (de quo etiamnum, quis qualisve fuerit, ſibi non conſtare ait) fuiſſe quidem virum perquam eruditum, ſed qui non tam mundo, quam ſibi, aut paucis forſitan amicis, adeoque ſecurius ſcripſerit. Admovit ergo manum operi, elimaturus ea, quæ aut deerant, aut abundabant, aut alias ἀκρίβειαν ſtudioſiorem requirebant. At enim vero tot ſe inveniſſe teſtatur παροράματα, ut iis tollendis labore vel Herculeo opus eſſe intellexerit. Interea factum eſt, ut omnem ſive *religionum* ſive *ſectarum* hiſtoriam diligentius excuſſerit, ac *libellum* ſatis antea exiguum in novum fere opus juſtique voluminis formam redegerit. Diligentiam autem in eo præcipuam huc contulit, ut, ſi non ubique, utplurimum tamen, centrum ac cardinem, hoc eſt, theſin præcipuam religionis ſive ſectæ cujusvis recenſendam ſumeret, indeque ceu ex radice totam arborem cum fructibus, hoc eſt, concluſiones & poriſmata, additis hypotheſibus & principiis, deduceret, ac ordinatum cujuslibet ſive religionis ſive ſectæ ſyſtema exhiberet. Potiſſimam tamen operam in hiſtoriam *controverſiarum noſtri temporis* impendit, quamvis nuſpiam *nudum* voluerit agere Hiſtoricum, meras recenſentem heterodoxias aut Schiſmaticorum

Digitized by Google

corum ſtrophas, ſed brevem inſimul elenchum conſulto adjecerit. Præmiſſa cernitur operi univerſo tabula, qua orbis hodierni facies quoad ſacra ac religionem breviter delineatur; Hermes item varia ſive Hæreticorum ſive Schiſmaticorum devia ad Catecheſeos ſemitam ex Danæo monſtrans: quæ præliminaria mox ipſa excipit Hiſtoria ſecundum calculos Chronologicos, additis in margine Imperatoribus ac Pontificibus, religione aut ſecta quavis emergente vigenteve moderamen rerum civilium eccleſiaſticarumque tenentibus, diſpoſita. Sicuti autem ad ſeculorum ordinem utroque reſpexit Autor oculo, ita quodvis horum peculiari inſignivit titulo, primumque Judaizans, ſecundum Paganizans, tertium Hypocriticum, quartum Chriſtopneumatomachum, quintum Naturalizans, ſextum Eutychianizans, ſeptimum Barbaro-Papizans, octavum Iconomachum, nonum Prodromo Calviniſticum, decimum Barbarum, undecimum Clerico-Tyrannicum & quærens in crepuſculo, duodecimum Monacho-Scholaſticum & pulſans in aurora, decimum tertium Enthuſiaſtico ſuperſtitioſum at anhelans in nebula, decimum quartum Rapax at fulgurans in caligine, decimum quintum Schiſmaticum at fulminans ſub meridiem, decimum ſextum Effringens in meridie at Libertinizans, tandemque decimum ſeptimum Tepeſcens ad veſperam attamen novaturiens cognominavit. Tres, quæ in Europa obtinent, religiones cardinales ſingulari reſervavit mantiſſæ, cui etiam de Græcis atque Anatolicis, de Coptitis, Habaſſinis & Muhammedanis ſive Turcis commentarios inſeruit. Denique, ut appareat, ubinam Pontificia, Evangelica & Reformata, tres Europæ religiones præcipuæ, a ſe invicem divortium faciant, ubinam ex adverſo amicas jungant dextras, in duabus tabulis (tot enim, cum Evangelici & Reformati adverſus Romanenſes unam inſtruant aciem, ſufficere eſt arbitratus,) dogmata cum dogmatibus in columnis parallelis comparavit, ut hac ratione uno intuitu illorum ſive concordia ſive divortium ob oculos ponatur. Et prima quidem tabula confert Evangelicorum ac Romanenſium placita, hoc ordine, ut prima ſingulorum foliorum columna ex libris Symbolicis proponat theſes Eccleſiæ Evangelicæ, reliquæ vero columnæ ex Concilio Tridentino in aciem producant decreta Patrum Tridentinorum, oſten-

dantque, ubinam ea cum Evangelicorum placitis aut conſentiant aut ab iisdem diſſentiant, idque vel vere vel apparenter, aut denique, ubinam fluctuent, ac jam in hanc jam in illam partem nutent; in quem cenſum retulit quoque Autor ambigue dicta, quibus Patres non auſi rotundo ore loqui, Lectorem ſuſpenſum ac dubium, quid demum velint, tenent. Altera tabula confert eadem fere methodo, (niſi quod loco diſſenſus apparentis conſenſui apparenti peculiaris deſtinata eſt columna,) Evangelicos cum Reformatis. Illorum dogmata delineavit Autor ex corpore doctrinæ Julio, horum autem doctrinas deſumſit ex confeſſione Eccleſiæ Reformatæ Gallicanæ, prout eadem in Bibliis Genevenſibus majoribus conſpicitur.

ORANG OUTANG, SIVE HOMO SYLVESTRIS: Or, the Anatomy of a Pygmie &c.

i. e.

PYGMÆI ANATOME, CUM CERCOPITHECI, SIMIÆ ET Hominis Anatomia comparata. Autore EDUARDO TYSONE, *M. D. Collegii Medici atque Societatis Regiæ Socio, Bethlehemenſis Xenodochii Medico, atque in Chirurgorum Collegio Anatomiæ Profeſſore.*

Londini apud Thomam Bennet & Danielem Brown, A. 1699. in 4. chartæ auguſt. Conſtat Alph. 1. & Figur, Tabul. 8.

QUam egregie hactenus comparativa Anatome naturalisque animalium Hiſtoria Clariſſimi noſtri Autoris ſolertiſſima increverit manu, e multis, quas exactiſſimas diverſis temporibus communicavit, & deſcriptionibus animalium diverſorum, & obſervationibus anatomicis, neminem latere poterit, cui vel Anglorum, vel Haffnienſium, vel noſtra Acta evolvere, aut unice catalogum earundem præſenti opuſculo annexum volupe fuerit inſpicere. Animal ipſum rariſſimum, ex Angola translatum, cujus accuratiſſimam hic Anatomiam cum ſpecimine aliquo philologico exhibet, tanto magis Pygmæi nomine indigitat, quod, dum reliqua nomina æquivoca videntur, eam præciſe obtineat ſtaturam, quam pygmæis

gmæis ex ſimiarum genere Veteres attribuerunt. Quemadmodum vero, qui de ſimiis egerunt, numeroſiſſimas harum ſpecies vix invicem ſatis deprehenduntur diſtinxiſſe, ita ſimilem confuſionem Noſter evitaturus, ſpecialem quarumvis Pygmæi diſſecti partium, externarum æque ac internarum, ſolicite non ſolum conformationem tradit, ſed & cum ſtructura earundem partium, tum in ſimia & cercopitheco, tum in humano etiam corpore, utpote cum quo nulla alia ſimia magis concordet, confert. Poſtquam enim in limine integrum de ſimiis ex Ariſtotele adduxit locum, eumque Anglice redditum commentario propterea illuſtravit, ut animalis præſentis cum eodem convenientia aut diſcrepantia innoteſceret, mox animalis, & totius, viginti ſex pollices longi, & partium externarum dimenſiones ac proportiones curioſius enumerat, figurasque, quibus externam ejus formam ad vivum a Cowpero voluit adumbratam, cum figuris e Tulpio, Bontio & Geſnero transſcriptis non minus, ac cum horum multorumque aliorum Autorum deſcriptionibus comparat. Hinc ad ſingularum partium, plerumque ſimul a laudato Cowpero delineatarum, Anatomen accedens, ab integumentis ad abdominis viſcera, partes genitales, muſculos, contenta thoracis, uvulam, linguam, oculos atque cerebrum progreditur, ac in oſſium demum, juxta Riolani ductum, & muſculorum ab eodem Cowpero deſcriptorum, recenſione finiens, potiores circumſtantias repetit, quibus vel cum humano magis corpore, vel cum ſimia aut cercopitheco Pygmæus congruat, quarumque illæ quadraginta octo, hæ autem non niſi triginta quatuor habeantur. Atque inſignis talis ipſius cum homine affinitas noſtrum porro permovit Autorem, ut in Specimine Philologico adjecto, Veterum Pygmæos haud amplius ad Strabonis, Aldrovandi, J.C. Scaligeri, Caſauboni & Spigelii exemplum, pro mero figmento, ſed pro brutis potius cum Herodoto & Philoſtrato, ac ſpeciatim cum Alberto Magno pro certa ſimiarum ſpecie reputaret. Homerum namque Poetam pygmæos horumque cum gruibus certamen primum commemorando, verum egiſſe Hiſtoricum, quod Plinius ex Megaſthene & Strabo ex Oneſicrito rationem Geranomachiæ multo probabiliorem, quam vel Athenæus & Ælianus, vel Pomponius Mela, ſuggeſſerint, Ariſtoteles autem ipſam Pygmæorum exiſtentiam ſa-

tis probatam dederit. E diverſo ex Hiſtoricis Græcis Cteſiam imprimis, Hiſtoricæ de pygmæis relationi multas fabulas e cerebello proprio immiſcendo, non minus a veritate aberraſſe, quam eos, qui modo fabulis ejusmodi fidem præbendo, pro veris homuncionibus eosdem habuerint, cumque nanis ſeu pumilionibus confuderint, v. gr. Geſnerus, Talentonius, Bartholinus, Voſſius &c. modo aliis imponendo, ſimias in Java majori depilatas & ſpeciebus aromaticis conditas alibi pro homunculis marinis, M. Paulo Veneto & Jonſtono referentibus, oſtenderint. Neque Cynocephali Veterum, Satyri & Sphinges aliis brutis, quam cercopithecis ſive ſimiis caudatis cum Ariſtotele, Philoſtorgio & Alberto Magno annumerantur, poſtquam Cteſias denuo de Cynocephalis, & Tulpius atque Bontius homines a ſe viſos & depictos ſylveſtres pro Satyris venditantes, præter alios fuerant notati.

JAC. B. NOVA METHODUS EXPEDITE DETERMINANDI Radios Oſculi ſeu Curvaturæ in Curvis quibusvis Algebraicis.

Methodus hæc nec in radicum æqualitate, nec in Theorematis noſtris Menſ. Jun. Act. 1694 exhibitis fundata, ſed ſingulari quadam eruta ratione, radium curvaturæ in omni Curva Algebraica citra ullum differentialium adminiculum generaliter exhibet, idque tanta facilitate & promtitudine, ut nihil poſſit expeditius. Sufficit enim pro ſingulis æquationis terminis, e veſtigio & nullo prævio calculo, alios quosdam ſubſtituere, prout e mox dicendis patebit: Eſto Curvæ cujusvis Algebraicæ (cujus utique tangens inventa ſupponitur) abſciſſa $AB = x$, applicata $BC = y$ & ſubnormalis $BD = z$ (quæ omnes datæ ſunt ob datum C punctum) & ſit inveniendus Radius Oſculi ſeu Curvaturæ CE.

TAB. VIII. Fig. 5

Regula: Æquatione tota, quæ Curvæ naturam exprimit, ad unam partem conſtituta, & deleto ſi adſit termino, quem neutra indeterminatarum x & y ingreditur; reliquorum ſinguli, in quibus reperitur ſola x, repræſententur per fx^m; in quibus ſola y, per gy^n; & in quibus reperiuntur junctim x & y, per $hx^r y^s$; denotantibus nempe literis f, g, h terminorum ſuorum coëfficientes, & literis

$m, n,$

m, n, r, s exponentes poteſtatum ipſarum x & y. Tum vero fiat fractio, in cujus - - - *numeratore* - - | - - *denominatore*,

pro ſingulis	fx^m gy^n $bx^r y^s$	ſubſtituatur	$+mfx^{m-1}$ $-ngy^{n}$ - - $+rbx^{r-1}y^s z -$ $sbx^r y^s$	$+\overline{m-mm},fx^{m-2}yy$ $+\overline{n-nn},gy^{n-2}zz$ $+\overline{r-rr}bx^{r-2}y^{s+2}$ $+\overline{s-ss},$ $bx^r y^{s-2}zz - 2rsbx^{r-1}y^s z$,

hoc eſt, loco datæ æquationis $fx^m + gy^n + bx^r y^s + a = 0$ (quæ forma eſt, ad quam omnes referuntur) ſcribatur

$$\frac{+mfx^{m-1}z - ngy^{n} + rbx^{r-1}y^s z - sbx^r y^s}{+\overline{m-mm},fx^{m-2}yy + \overline{n-nn},gy^{n-2}zz + \overline{r-rr},bx^{r-2}y^{s+2} + \overline{s-ss},bx^r y^{s-2}zz - 2rsbx^{r-1}y^s z}$$

quo facto, ut denominator fractionis ad ipſius numeratorem, ſic erit CD ad radium oſculi quæſitum CE.

Exemp. 1. Æquatio pro Parabolis omnis generis eſt $x - y^n = 0$. Conf. x cum fx^m, & zy^n cum gy^n; erit $f = 1$, $m = 1$, $g = -1$, & $n = n$: quibus valoribus ſubſtitutis reſultat fractio $\frac{z + ny^n}{\overline{nn-n},y^{n-2}zz} = \frac{z+nx}{\overline{nn-n},y^{n-2}zz} =$ (ob $ny^{n-2}zz = 1$ ex nat. Parab.) $\frac{z+nx}{\overline{n-1},z}$ unde $\overline{n-1},z$. $z+nx :: CD. CF$, ſive, $z. + z+nx :: CD. \overline{n-1}\ CE$; quod propter ſubtangentem Parab. $B. = nx$ hanc facillimam conſtructionem ſuppeditat: Ex puncto F, ubi tangens CF ſecat axem, excitetur axi perpen-

pendicularis FG, cui occurrat producta DC in G, erit $DG = \overline{n-1}\,CE$, adeoque $CE = \frac{1}{n-1} DG$.

Exemp. 2. Sit Æquatio Curvæ $y^3 + x^3 + xxy - xyy + a^3 - aay + aax - axx + ayy = 0$. Neglecto a^3, & collatis

$$\begin{array}{l|l}
+y^3 \text{ cum } gy^n, \text{ habetur } g=1, \& \; n=3 & -aay \text{ cũ } gy^n, \text{ habetur } g=-aa, \& \; n=1 \\
+x^3 \;..\; fx^m \;..\; f=1 \;.\; m=3 & +aax \;..\; fx^m \;..\; f=aa \;.\; m=1 \\
+xxy \;..\; bx^r y^s \;..\; b=1 \;.\; r=2 \;.\; s=1 & -axx \;..\; fx^m \;..\; f=-a \;.\; m=2 \\
-xyy \;..\; bx^r y^s \;..\; b=-1 \;.\; r=1 \;.\; s=2 & +ayy \;..\; gy^n \;..\; g=a \;.\; n=2
\end{array}$$

quibus ubique ſurrogatis exurgit fractio

$$\frac{-3y^3 + 3xxz + 2xyz - xxy - yyz + 2xyy + aay + aaz - 2axz - 2ayy}{-6yzz - 6xyy - 2y^3 - 4xyz + 2xzz + 4yyz + 2ayy - 2azz};$$

Dico, hujus denominatorem ad numeratorem ſe habere, ut CD ad quæſitam CE,

Obſerv. 1. Cum data ſit relatio inter x, y, z, ſeu AB, BC, BD, CD, poterit ejus ope ſemper una pluresve harum quantitatum e fractione eliminari, eoque quæſitum in terminis plerumque ſimplicioribus exhiberi; ut ſupra in 1. exemplo contigit.

2. Non opus eſt, ex data æquatione tollere prius fractiones & ſurditates, quando hæ ſimplices duntaxat poteſtates quantitatum x & y innuunt. Tantundem enim eſt ex gr. $\frac{aa}{x}$ atque aax^{-1}, $\sqrt{ax}$ atque $a^{\frac{1}{2}}x^{\frac{1}{2}}$, $\sqrt[3]{xyy}$ atque $x^{\frac{1}{3}}y^{\frac{2}{3}}$. &c.

3. Imo nunquam illas tollere eſt opus, etiamſi ſigna radicalia binomia & multinomia involvant. Non minus enim aſſignari poteſt, quid pro talibus in fractione ſit ſubſtituendum. Sic

ſi

Digitized by Google

ſi habeatur in æquatione quantitas ſurda $\sqrt[n]{\overline{x^m + a^m}}$, brevitatis cauſa dicta p, ejus loco in numeratore fractionis ſurrogo $\frac{mx^{m-1}z}{np^{n-1}}$, in denominatore repono $+\frac{\overline{m-mmx}^{m-2}yy}{np^{n-1}} + \frac{\overline{n-1}, mmx^{2m-2}yy}{nnp^{2n-1}}$, pariterque etiam in aliis.

4. Haud abſimili methodo tangentibus inveniendis regula præſcribi poteſt, quanquam eadem vulgari quoque differentialium calculo haud difficulter eliciatur. Sit rurſum data æquatio $fx^m + gy^n + bx^r y^s + a = 0$; dico fore

Subnorm. $BD = \frac{-mfx^{m-1} - rbx^{r-1} y^s}{+ngy^{n-2} + sbx^r y^{s-2}}$ | Subtang. $BF = \frac{-ngy^n - sbx^r y^s}{+mfx^{m-1} + rbx^{r-1} y^s}$

Segm. axis $AF = \frac{-ngy^n - sbx^r y^s - mfx^m - rbx^r y^s}{+mfx^{m-1} + rbx^{r-1} y^s}$; cui ſimilem jam regulam in primo Actorum anno exhibuit Nob. D. Tſchirnhaus, niſi quod ipſe in ordinanda æquatione ad maximam poteſtatem y reſpicere jubeat, quod hic non eſt neceſſe. Sufficit, quod omnes termini æquationis ab una parte collocentur.

Atque hæc ſunt, quæ publico hac vice impertiri lubuit. Eorum veritatem qui examinare velit, regulam noſtram tentet in variis Curvis, de quarum radiis curvaturæ per alias methodos jam conſtat: qui vero in artificium inventionis ipſum curioſius inquirit, hoc ſibi ad ſolvendum velut ænigma proponat, donec ſolutum dedero ipſe.

JO. JACOBI SCHUDT COMPENDIUM HISTORIÆ JUDAICÆ ad ductum Juſtini Hiſtor. Lib. XXXVI potiſſimum ex Gentilium Scriptoribus collectum.

Francofurti ad Mœnum, apud Frid. Knochium, 1700. in 8. Alphab. 1. plag. 17.

AUtor libri Clariſſimus, qui de Gymnaſio Mœno-Francofurtenſi hodie quam optime meretur, ac dudum *Deliciis* Hebræo-Philologicis, tractatu *de SS. Dei nomine*, eruditiſſimo, quod nuncupavit, *Trifolio* ſubjuncto, ſcriptisque aliis nomen ſibi famamque acquiſivit, Hiſtoriam quoque nunc Judaicam e profanis delineare Scriptoribus inſtituit. Utut enim non paucas extare viderit Hiſtorias Judaicas a Chriſtianis & Judæis conſcriptas, neminem tamen id ex inſtituto egiſſe ait, ut, quæ Gentiles de Judæis tradidere, colligeret, licet hos non pauca ab aliis prætermiſſa, quæque res Judæorum illuſtrare poſſint, annotaſſe certum ſit. Ex iis ergo integram colligere hiſtoriam allaboravit, fragmenta excutiens, quæ Joſephus, Clemens Alexandrinus, Euſebius, aliique conſervarint, ipſis Gentilium Autoribus, qui res Judæorum fuſius pertractavere (quales Hecatæus Abderites, Eupolemus, Artapanus, Alexander Cornelius Polyhiſtor, Demetrius, Ariſtobulus, Juſtus Tiberienſis, ſimilesque Scriptores Græci,) jam pridem uſui legentium ob temporis injuriam ſubtractis. Fundamenti interim in locum ſubſtravit Juſtinum, cæteris, qui hodienum adhuc extent, in rebus Judæorum enarrandis prolixiorem, tametſi hic quoque a fabuloſis initiis exorſus, nonniſi ad Moſis & Aaronis tempora progreſſus ſit, ubi filum ſubito abrumpat. Nihiloſecius ſe id egiſſe teſtatur, ut, quantum fieri potuerit, res Judæorum ſecundum ſeriem temporum digeſtas, ab ortu & initiis Reipublicæ Judaicæ ad noſtra usque tempora exhiberet, adeoque Joſephum, ubi Gentiles defecerint, ſæpius in ſubſidium ſe advocaſſe fatetur. Tribus vero libris integrum negotium abſolvit. In *primo* mox ab initio tria priora capita e Juſtini libro trigeſimo ſexto, tanquam hiſtoriæ hujus fundamentum exhibet, fidemque dehinc Scriptorum Gentilium in tradendis rebus Judæorum admodum ſuſpectam eſſe innuit. Aſt ea propter haud pigratur ex iisdem repetere, quæ de afflictis Judæorum

orum rebus ſub Regibus Syriæ tradidere; ubi ſimul & Syriæ Regum, ſub quibus Judæi libertatem recuperarint, res geſtas breviter attingit. Poſt ipſam libertatis reſtitutionem Judæis factam examinat, gentis item originem atque nomen pandit, quidque Gentiles de Joſepho, de Moſe, duce & legislatore, de exitu ex Ægypto, itinereque ac commoratione in deſerto ſcripſerint, enarrat. Sabbathum porro Judæorum adverſus Gentiles vindicat, Initia reipublicæ Judaicæ non ſordida, ſed honeſta & glorioſa fuiſſe innuit. De inſtitutis inſuper & moribus Judæorum, ac de Sacerdotio & Regia apud Hebræos majeſtate diſquirit. Convitia Gentilium in Judaicam gentem, & generatim, & cumprimis ob circumciſionem, cultum cœli nubiumque, Bacchi etiam, aſini & porcorum conjecta explodit, odium Gentilium & profanum religionis Judaicæ contemtum ſimul accuſans; nec convitia mendaciaque reticet, quibus Gentiles Chriſtianos, quos cum Judæis ſæpius confundant, cavillentur. In *ſecundo* libro de regione Judæorum agit, ejusque proventus ac fructus, & imprimis balſamum & palmas celebrat; Mare dehinc Mortuum & regionem Sodomiticam ejusque memorabilia ex profanis ſcriptoribus illuſtrat. In *tertio* fata & mutationes reipublicæ ac gentis Judaicæ ad noſtra usque tempora enarrat, ſigillatim oſtendens, qualia illa fuerint ſub dominatione Perſarum, Alexandri M. & ſub imperio illius ſucceſſorum, itidemque Romanorum, usque ad excidium urbis & gentis per Titum Veſpaſianum, ſub quo nempe reipublicæ Judaicæ excidium irruperit. Inde eorundem fata ad Julianum usque Apoſtatam, irritumque conatum reſtaurandi templum Hieroſolymitanum conſiderat. Ulterius ingentem & per totum terrarum orbem diſperſam Judæorum multitudinem admiratur, atque de cauſis & mediis, unde hæc proveniat, ſolicitum ſe gerit. Nec de cladibus & exiliis Judæorum diſſerere omittit, ac Judaizantium quoque meminit, quidque de Judæis fidem Chriſtianam amplectentibus ſit ſentiendum, haud diſſimulat, ac tandem, qua lege abjectiſſima Judæorum hodierna fex & plebs, quam latius deſcribit, in rebuspublicis Chriſtianis tolerari queat, oſtendit. In appendice, quam ſubnexuit, de obſervanda ratione atque methodo in promovenda converſione hominis Judæi, diſcurſus initium fieri omnium commo

Digitized by Google

modiſſime exiſtimat a conſcientia Judæi, præſertim ſi morti is vicinus, aut ob admiſſa ſcelera magiſtratus autoritate e medio tollendus fuerit.

JOANNIS GRAVII, OLIM ASTRONOMIÆ IN ACADEMIA Oxonienſi Profeſſoris Saviliani, Vita, ſcriptore THOMA SMITHO, S. Theol. Doctore & Societatis Regiæ Londinenſis Socio.

Londini, 1699. in 4. plag. 6.

CUm maximopere interſit reipublicæ literariæ, virorum præclare meritorum conſervari memoriam, bene certe conſuluit illi Auctor Clariſſimus, quod Joannis Gravii, Aſtronomiæ apud Oxonienſes Profeſſoris Saviliani, tam luculenter nobis *vitam* & *ſcripta* elucubrata recenſuerit. Scilicet is Colmoræ prope Alresfordiam, celebri in provincia Hantonienſi oppido, A. 1602 natus, patrem habuit Joannem Gravium, iſtius eccleſiæ rectorem, atque juvenum generoſioris proſapiæ doctorem. Ab eo cum fratribus tribus, quos vidit poſtea viros clariſſimos, Græce & Latine probe doctus, & ingenuis moribus imbutus eſt. Quare anno ætatis decimo quinto Oxonium profectus Noſter, ibique gravioribus Philoſophiæ diſciplinis inſtitutus, A. 1621 Baccalaurei honores in artibus adeptus eſt, Magiſtri titulo poſt tres annos ornandus, niſi A. 1624 a Cuſtode & Sociis magnifici Collegii Mertonenſis, poſt rigidiſſimum examen, in ordinem ſuum receptus, per quatuor annos ſeveriori diſciplina exercendus fuiſſet. Ibi igitur poſt lectos relectosque claſſicos Autores, ad Philoſophiæ naturalis & Mathematicarum diſciplinarum culturam animum ita applicuit, ut A. 1628 menſe Junio Magiſtri laurea donatus, a Viris clariſſimis Henrico Briggio, & Johanne Bainbrigio, altero Geometriæ, altero Aſtronomiæ Profeſſoribus, & inſigni Mathematico Petro Turnero, ad intimæ familiaritatis jura admitteretur. Qua re magis ille excitatus, poſt recentiores Mathematicos, veteres inprimis, Græcos, Arabicos, Perſicosque, illarum linguarum peritiſſimus, ingenti, quod editi ab ipſo libri teſtantur, cum fructu excuſſit. atque indefeſſo ſtudio id obtinuit, ut A. 1630 in Collegium, ab Illuſtri Viro, Thoma Greshamo, ad propagandas natura-

turales ſcientias inſtitutum Geometriæ Profeſſor, ſalvis Collegii Mertonenſis juribus, vocatus, Guilielmi Laudi Cantuarienſis Epiſcopi favorem adipiſceretur. Cujus commendatione & auxilio, cum jam Pariſiis fuiſſet, in Orientem & Ægyptum, acceptis ad Legatum Regis Angliæ apud Turcas literis, Pythagoræ, Platonis, Strabonis, aliorumque exemplo, A. 1637 iter ſuſcepit. Quo Romam delatus, ejus urbis omnia notabiliora, venerandæ inprimis antiquitatis reliquias, quatenus veteris architecturæ rationem repræſentabant, ſollicite ſcrutatus eſt: non neglectis numiſmatibus, & reliqua ſupellectile literaria, ad menſuras, vaſa, pondera examinanda idonea. Quod idem & Genuæ, Liburni, Piſis, Senis, Patavii, Florentiæ, Venetiis, alibique fecit. Conſtantinopolim A. 1638 menſe Aprili delatus, a Petro Wichio, Anglico Legato, & Cyrillo Lucari Patriarcha amice exceptus, & in procurandis Græcis codicibus manuſcriptis multum adjutus eſt. Ubi per ſex menſes moratus, quæ digna ingenio ſuo collegerit Gravius, aliquando ſe editurum Autor pollicetur. Conſtantinopoli relicta Rhodum appulſus eſt Gravius, inde tandem Alexandriam devectus, ibidem per quinque menſes, quicquid in cœlo, in terra, vel ſubtus eam in cavernis, cryptisque rarum & eximium eſſet, quidque ad naturam, indolem & conſtitutionem ſoli & climatis, ſive ad artem, veterumque Regum & incolarum ingenium pertineret, exploravit. Inprimis Pyramidum, quarum meminere Herodotus, Diodorus Siculus, Strabo, Plinius, & alii, ſtructuram ſecundum Mathematicorum regulas (id quod induſtria & ingenio ejus dignum erat) accuratiſſime examinavit: & tandem codicibus manuſcriptis, gemmis ſculptilibus, icunculis, numiſmatibus, aliisque ſpoliis literariis, quæ ex barbarorum manibus redemerat, auctus, A. 1693 per Florentiam, ubi a Sereniſſimo Magno Duce Ferdinando II, & illuſtri Viro D. Roberto Dudlejo, artis Nauticæ, Aſtronomiæ & Geographiæ ſcientia incluto, gratiſſimus hoſpes excipiebatur, Romam remeavit, atque obſervationibus ſuis ibi recognitis & auctis, A. 1640 felix tandem in patriam rediit. Ubi quidem rebus omnibus ob religionis negotium turbatis, Reverendiſſimo Laudo Mœcenate ſuo capite plexo, Academicis tandem togas cum ſagis militaribus commutantibus, multa impedimenta objecta ſunt ſtudiis ejus, donec A. 1643, defuncto Viro CL. Joanne

Bainbrigio, Medicinæ Doctore, & Aſtronomiæ Profeſſore Saviliano, in ejus locum, ſervato etiam Mertonenſis Collegii beneficio, Oxonii ſubſtitueretur. Quo munere fungens, emendando Calendario Juliano, poſcente Rege, operam ſuam impendit; emendatumque illud conſilio ejus fuiſſet, niſi malo fato, Regiis rebus prolapſis, Senatorum Weſtmonaſterienſium juſſu a Commiſſariis Oxonium miſſis Academia reformata, plurimi Collegiorum Præfecti, Profeſſores ac Socii ob fidem Regi ſervatam ejecti, ipſe denique Gravius, ob pecunias in Collegii ærario repoſitas Regi ad incitas redacto mutuo datas, excedere Academia juſſus eſſet. Quare is ad amoliendam ægritudinem animi Londinum profectus, libros, quorum argumenta jam olim animo conceperat, edidit. Inter hos primum locum meretur

Pyramidographia, ſive Deſcriptio Pyramidum in Ægypto, Londini 1646, in 8 Anglice edita. Circa quem librum notat Autor hujus Vitæ, CL. Gravium ſolas tres illas celebriores Pyramidas, in arenoſis Libyæ ſolitudinibus ad occidentale Nili littus collocatas, quarum ſæpe meminere veteres, deſcripſiſſe: reliquis, quarum viginti fere adſunt, aliorum ſtudio relictis. Illarum vero primum conditores recenſet; deinde tempus, quo conditæ fuerint, veriſimillimis rationibus indicat; demum, forma illarum conica explicata, verum illarum finem addit, illasque non oſtentationis, vel populi laboribus exercendi gratia, ut Plinio videtur, ſed ſervandorum Regum ac Reginarum corporum cauſa, ideo exſtructas aſſerit, ut Ægyptii, ex quorum ſententia tamdiu anima in corpore perdurat, quamdiu illud a putredine intactum ſervatur, Regibus ſuis immortalitatem quaſi præſtarent. Qua occaſione D. Smithus Joannem Fridericum Hervartum refellit, qui Pyramidas ad reprimendas Nili eluviones conditas eſſe aſſerit. Præmiſſis generalioribus his diſſertationibus, trium illarum Pyramidum ſtructuram & rationem omnem Gravius deſcribit. Quam deſcriptionem in Itinerario ſuo Gallice exhibet Thevenotus; Latine ſe editurum Smithus pollicetur. Cum autem brevi poſt editam Pyramidographiam aliquis obſervationibus divulgatis Gravii fidem dubiam reddere ſuſtinuiſſet, ille ſecundis curis denuo librum ſuum recognovit, tandemque, ſe maximæ pyramidi altitudinem juſto minorem aſſignaſſe, eamque ad quadringentos nonaginta novem pedes aſſurgere deprehendit.

II.

Digitized by Google

II) Syntagma de Pede Romano & Denario, ex quibus, tanquam ex duobus principiis, menſuræ & pondera antiquorum deduci poſſint. Londini A. 1647, in 8, Jo. Seldeno inſcriptum. In hujus libelli prima parte Autor certam conſtantemque eſſe inter menſuras & pondera analogiam demonſtravit, & juſta comparatione habita utraque explicuit. Idque ut perficeret, antiquas Romæ alibique ſtructuras, pedes, omnemque dimetiendi rationem diligentiſſime obſervavit, tandemque Colotianum verum eſſe antiquorum Romanorum pedem ſtatuit: in fine duplicem tabellam, qua pes Romanus cum Anglicano & aliarum gentium pedibus comparatur, adjunxit. Altera parte omnium antiquorum ponderum rationem a Denario pari judicio exquiſivit.

III) CL. V. Joannis Bainbrigii Canicularia; una cum demonſtratione ortus Sirii heliaci pro parallelo inferioris Ægypti, Autore Joanne Gravio, Oxoniæ, 1648, 8vo. Tractatulum hunc, quem Bainbrigius bello & morte impeditus abſolvere nequiverat, rogatu Reverendiſſimi Uſſerii Armachani, cum ſupplemento neceſſario Gravius edendum curavit. Cui acceſſere inſigniorum aliquot ſtellarum longitudines & latitudines ex Aſtronomicis obſervationibus Ulug Beigi, Tamerlanis magni nepotis.

IV) Elementa linguæ Perſicæ. Londini 1649, 4to. Hæc Seldeni rogatu, ante ſuſceptum iter in Orientem, eodem tempore quo Ludovicus de Dieu, conſcripſit Gravius. His additus anonymus Perſa de ſiglis Arabum & Perſarum Aſtronomicis.

V) Epochæ celebriores, Aſtronomis, Hiſtoricis, Chronologis, Chatajorum, Syro-Græcorum, Arabum, Perſarum, Choraſmiorum, uſitatæ, ex traditione Ulug Beigi, Indiæ citra extraque Gangem Principis. Perſice & Latine, Londini A. 1650, in 4. Hoc opere, recondita Orientalium eruditione refertiſſimo, ut facilius noſtrates ad emendationem Chronologiæ uterentur, epochas illas ad periodum Julianam & epocham Chriſti Dionyſianam revocavit: & in fine adjecit Choraſmiæ & Mawaralnahræ, i. e. regionum extra fluvium Oxum, deſcriptionem, ex tabulis Abulfedæ Iſmaelis, Principis Hamah.

VI) Aſtronomica quædam ex traditione Shah Cholgii Perſæ, una cum hypotheſibus Planetarum, & cum excerptis quibusdam

Digitized by Google

ex Alfergani elementis Aſtronomicis & Ali Kushgii de terræ magnitudine & ſphærarum cœleſtium a terra diſtantiis. Lond. 1652.4. Adduntur binæ tabulæ Geographicæ, una Naſſir Eddini Perſæ, altera Ulug Beigi Tatari.

VII) Lemmata Archimedis apud Græcos & Latinos jam pridem deſiderata, e vetuſto codice manuſcripto Arabico a Joanne Gravio traducta, & cum Arabum ſcholiis publicata. Edidit in Miſcellaneis ſuis V. CL. Samuel Forſterus, Aſtronomiæ in Collegio Greshamenſi Profeſſor, Londini 1659. in fol.

VIII) De modo pullos ex ovis in fornacibus lento & moderato igne caleſcentibus apud Kahirenſes excludendi. Hanc ſchedam in Actis Philoſophicis A. 1677 menſe Jan. & Febr. cum figuris æneis impertitus eſt D. Georgius Entus.

IX) Epiſtola de latitudinibus Conſtantinopoleos & Rhodi, ad Reverendiſſimum Uſſerium Armachanum directa. Hanc iisdem Actis inſeruit anno 1685 menſe Decembri D. Smithus.

Libri porro prelo a Gravio parati fuere:

I) Tabulæ integræ longitudinis & latitudinis ſtellarum fixarum juxta Ulug Beigi obſervationes. Contulerat eas cum quinque codicibus manuſcriptis. Quas deinde D. Thomas Hydus, tanquam opus a nemine attentatum, aggreſſus verſione Latina donatas edidit Oxonii A. 1665.

II) Verſio Georgii Chryſococcæ e manuſcriptis Perſicis Græce facta, prout repererat eam in codice MS. Item *Tabella longitudines & latitudines* ſtellarum inſignium XXV *continens: item* Κανόνιον τȣ̃ μήκȣς καὶ πλάτȣς τῶν ἐπισήμων πόλεων. Quas edidit Iſmael Bullialdus Gallus, in appendice ad Aſtronomiam Philolaicam, Pariſiis A. 1645.

III) Deſcriptio Peninſulæ Arabicæ ex Abulfeda, cum deſcriptione maris Perſici & Rubri, Arabice & Latine. Ejusdem Deſcriptio ex Ptolemæo, Græce & Latine. Hanc a fratre ejus Thoma Gravio, una cum aliis hujus codicibus MSS. pecuniis ſuis redemit Academia Oxonienſis, inque Bibliotheca publica reponi curavit.

IV) Narratio Geographica de montibus terræ juxta Arabes ex Abulfeda, Anglice.

V) De Tataris ſive Mogolenſibus, e Teixera Hiſpano, qui plurima ex Emircondo Perſa mutuatus eſt, Anglice.

Digitized by Google

VI) Commentarii in Epochas ſupra num. V. memoratas, in ipſis Epochis, quanquam in titulo eorum mentionem faciat, omiſſi.

VII) Verſio integra Tabularum Geographicarum Abulfedæ.

VIII) Elementa omnium ſcientiarum, præſertim Mathematicarum. Quæ in D. Smithi Bibliotheca aſſervantur.

IX) Mappæ quædam Chorographicæ e tabulis Naſſireddini, Abulfedæ, & Ulug Beigi, ut & minoris Aſiæ mappa Chorographica.

X) Apparatus Lexici Perſici, collectis fere ſex millibus vocabulis.

XI) Alia multa de Geographis e gente Arabum; de ponderibus & menſuris Arabum: de Mumiis, &c.

Tot rei literariæ & eximiæ eruditionis monumenta ut in communi Angliæ ſtrage bellicoque tumultu Gravium edere potuiſſe miramur; ita triſtiſſimam ejus ſortem merito dolemus: quippe cujus res privatas, ipſo Oxonio pulſo, omnibus fortunis, libris omnibus a militibus direptis, ſchedis laceratis, codicibus MSS. disjectis, afflictiſſimas fuiſſe accepimus. Unde, quanquam in vitæ ſolatium uxore Londini ducta, animi mœrore ob publicam calamitatem affectus, A. 1652, quinquaginta annos natus, literis ſuis immortuus eſt; hærede inſtituto fratre Nicolao ætate ſibi proximo: qui ejus conſilio & juſſu totum machinarum inſtrumentorumque, cœleſtium obſervationum uſibus adaptatorum, apparatum in Muſeo Saviliano repoſitum, in perpetuum ſervari ultimis tabellis curavit: quorum index habetur in magno opere Catalogorum Oxon. parte I. p. 302. Id dolendum, quod Epiſtolæ, quarum cum Viris doctiſſimis quaquaverſus frequens commercium habuerat Gravius, pari modo non ſint aſſervatæ.

DE LA GENERATION DES VERS DANS LE CORPS DE L' Homme.

i. e.

TRACTATUS DE GENERATIONE VERMIUM IN CORPORE humano. Authore NICOLAO ANDRY, Doctore Medicinæ Facultatis Pariſienſis.

Lutetiæ Pariſiorum ap. Laur. d'Houry, 1700. in 12. Alph. I. cum fig. æn.

CUm ea ſit vermium in ægrotorum corpore nidulantium conditio, ut nullo ſæpe ſuam præſentiam manifeſtent indicio, quin ſymptomatibus, variis morbis horumve cauſis communibus, ſtipati

ti vel exercitatiſſimo imponant Medico; merito laudandus eſt Clariſſimus Author, quod in hoc tractatu phyſice non ſolummodo vermes examinare, eorumque generationem, diverſasque ſpecies tradere, ſed ſigna quoque, effectus, prognoſin, atque remedia anthelmintica euporiſta Medicis ſuppeditare voluerit, pleuritici potiſſimum invitatus exemplo, qui a verme lato inteſtinorum ductum occupante contraxerat morbum.

cap. 1. Etenim cum in inſectorum claſſe alia magna, alia parva deprehendantur, hæc ſub vermium nomine comprehendit Author, qui, licet in notabilem ſatis excreſcant quandoque magnitudinem, ſubtilitate tamen a prioribus diſcrepant. Omnes fere circa autumni finem moriuntur; ex ovulis vero, quorum copiam ſat amplam relinquunt, appropinquante vere viva excluduntur animalcula; hinc

cap. 2. vermis quaſi vere micans dicitur Noſtro. Ex putredine oriri hos, a ſe impetrare Author non poteſt ut credat, niſi quis rationem doceat, quomodo caſus ordinem ſpernens membra animalis ordine diſpoſita formet? & quidni plures eorum ſpecies, quam quæ nunc cognitæ ſunt, producantur? Exiſtimat potius, ex ſeminibus ſeu ovulis per calorem in materia apta perfici atque excludi vermes. Ad corpus autem noſtrum penetrant ovula, juxta Authorem, triplici modo, vel cum aëre, quem inſpiramus, vel cum alimentis, quibus veſcimur, vel a rebus, quas tangimus frequentius: quo poſtremo modo extrinſecus cuti affricantur, ita ut ſub ſquamulis hujus vitam adepti vermes vicina rodant vaſa, & ſic extravaſato & in pus mutato liquore, quem vehebant hæc, ſub tuberculis latitent & nutriantur. Hinc contingit, ut qui ſcarabæos & bombyces, infinitis aliis vermibus, eorumque ſeminibus, æque ac reliqua inſecta, ſcatentes colunt, ſcabie utplurimum defœdentur. His pariter intra carnium fibras poroſque latitantibus, & ſucceſſu temporis vivum producentibus animal ovulis debetur, quod, ſi carnis recentis fruſtra in vitro usque adeo cuſtodiantur, ut nullus muſcis pateat aditus, ſæpe vermes, (ſecus ac Dominus Redi obſervaverat) inibi conſpiciantur; quanquam non neget Author, embryones in utero jam tum infeſtari talismodi inſectis, quæ, dum

cap. 3. recens nati alvum deponunt, ſtatim rejiciantur. Quamvis vero conſtet, metallis quoque & vegetabilibus ſuos eſſe vermes, tali-

um

Digitized by Google

um tamen potiſſimum in animali regno fœcundus deprehenditur proventus, ita ut nec oſtreæ & conchæ excludantur; imprimis in corpore humano copioſiſſimi tam extra, quam intra inteſtina notantur, ut pauci ſint homines, ſive ſani ſive ægroti, qui eis careant. Qui extra inteſtina hærent, pro loci diverſitate ſunt 1) *Encephalici*, qui iterum dividuntur in encephalicos proprie ſic dictos qui cerebrum, naſicolas qui nares, auriculares qui aures, dentales qui dentes occupant. 2) *Pulmonales*. 3) *Hepatici*: quanquam enim bilis progeniem eorum deſtruere videatur, nihilominus tamen depravata, amaritie exuta, & pituitoſa reddita, ut in hydropicis, tantum abeſt, ut eam deſtruat, ut potius promoveat enormiter. 4) *Cardiaci*, quorum alii cor ipſum, alii pericardium reſpiciunt. 5. *Sanguinei*, qui intra vaſa ſanguinea latentes, licet diverſæ deprehendantur figuræ, frequentiſſimi tamen ſunt, quos Borellus balæniformes vocat. 6) *Veſiculares*, qui ex renibus & veſica per urinam excernuntur. 7) *Spermatici*, qui in ſemine naſcuntur, digni Authori viſi, quos in peculiari examinaret capite. Tantum ſiquidem abeſt, ut pro re toto genere præternaturali tales habeat, ut, quo perfectiore animal utitur ſanitate, eo majori horum frui frequentia illud exiſtimet, adeoque eosdem, Hartſoekerum & Leeuwenhoekium, (quorum illius ſententiam & inventum in Actis noſtris anno 1695 menſe Octobri pag 487, hujus autem A. 1683 menſe Octobr. p. 324 recenſuimus) ſecutus, ſimilem in animalibus, quem grana & ſemina in plantis, uſum præſtare, imo ipſa animalia eſſe, quæ a muliere in lucem produci debeant, credat: quoniam ea ſolum ætate, quæ ad generandum apta eſt, ejusmodi vermiculi obſervantur, in gonorrhœa & lue Venerea laborantibus langueſcunt; impotentes nullos vel non viventes gerunt; ovaria & ova fœminarum illis ſunt orbata; vermes ſpermatici humani, inſtar embryonum humanorum, majus habent caput, reſpectu reliquarum corporis partium, quam reliqui; uterus non niſi poſt coitum illis eſt refertus; ſemen, quo majorem eorum copiam continet, eo magis albicat; vermes zoophagi (quo nomine omnes in corpore humano inſignit, præter ſpermaticos) in febribus pleriſque naſcuntur, ſpermatici deſtruuntur; & qui Veneri nimis litant, eorum proventu deſtituuntur. Quibus poſitis breviter exponit, quomodo poſt coitum

art. I.

cap. II.

Digitized by Google

tum vermis in ovum ingrediatur, & cur non in tanta vermium copia, plures quam unus illud intrent? item, qua ratione mulier undecimo vel duodecimo poſt mariti obitum menſe, fœtum absque adulterii ſuſpicione excludere naturaliter poſſit? Nec omittendum eſt, cautelas allegari fideliter ab Authore, quas obſervare illos deceat, quibus diverſorum in animalium ſemine vermes microſcopiis luſtrare volupe eſt. 8) *Elcophagi*, qui naſcuntur in ulceribus, tumoribus, & apoſtematibus; ut in variolis, carbunculis, bubonibus peſtilentialibus, carne gangrænoſa &c. 9) *Cutanei*, quorum alii ſunt Crinones: alii Cirones, ſeu Acari: alii Bovini, qui boves utplurimum infeſtant, & in hominibus paſſionis bovinæ, juxta Alſaharavium, Avenzoar & Albucaſin, authores exiſtunt: alii Sericei, in Æthiopia & India familiares, ſerico contorto ſimiles, Avicennæ Venæ Medenæ, aliis Dracunculi dicti, in femoribus & cruribus potiſſimum nati; atque hos vermes vera animalia, non autem tumorem ac abſceſſum a calido ſanguine ortum eſſe, contra Paræum diſputat Author, idque peculiare in illis notat, quod duo habeant capita, in utraque nempe extremitate unum, quorum unum vigilat altero dormiente: alii Tomi, in India Occidentali incolarum pedes affligentes. 10) *Umbilicales*, quos equidem Author inteſtinalibus accenſere mavult, utpote ex inteſtinis ad umbilicum prorepentibus, & illuc iterum revertentibus; cum veroſimile haud videatur, vermem in vaſis umbilicalibus latentem abſtergentibus propinatis per inteſtina poſſe evacuari. 11) *Venerei*, qui in omnibus fere partibus lue Venerea affectorum latitant.

art. 2. Vermes inteſtinales ſunt vel Teretes, in ventriculo & inteſtinis tenuibus orti; vel Aſcarides, in recto producti; vel Lati, qui nutriuntur modo in pyloro, modo in inteſtinis tenuibus, & vocantur alio nomine Tæniæ. Harum duæ ſpecies obſervantur: una Tæniæ nomen retinet, & absque capite formato & motu vivit; altera Solium dicitur, quæ capite formato conſtat, movetur, & absque alterius vermis ejuſdem ſpeciei conſortio in corpore hæret; ad quam claſſem Cucurbitarios refert Noſter. Solii autem duæ iterum præ reliquis frequentiores obſervantur ſpecies: una per univerſum corporis tractum ſpinam nodoſam, altera poſt ſingulos articulos papillam, in cujus apice apertura advertitur, gerit; hæque papillæ, pulmonum aperturæ, totidem

Digitized by Google

dem trachearum vices ſuſtinent. Atque ex hac claſſe fuiſſe illum vermem, quem pleuriticus ultimo excreverat, docet Author, (vid. Fig. Tab. IX.) cujus naturam prolixius proſequitur. Scilicet, caput habuit bene formatum, oculis quatuor præditum; licet enim quidam nunquam caput in Solio ſe obſervaſſe teſtentur, contigiſſe tamen hoc putat, quod fruſtatim ordinario ejiciatur, capite cum collo in inteſtinis relicto: cutis dura, levis & albiſſima erat: aperto verme, per totum ejus tractum nil niſi corporum globoſorum glomus in conſpectum venerat, quæ pro veris ovis, ſecus ac Hippocrates microſcopiorum ope deſtitutus exiſtimavit, habenda eſſe cenſet, & per aperturam papillarum dictarum ad inteſtina, ex quibus ſub forma granorum cucumeris iterum rejiciuntur, deponi judicat Noſter. Quo minus autem debitam recipiant hæc ova perfectionem, & excludantur, ex defectu congruæ materiæ & nutrimenti hoc contingere putat, quatenus Solium, quicquid chyli in ventriculo elaboratur, avide abſumit, ac devorat. Quare non per os exitum quærat vermis, determinaturus Author, orificium ventriculi inferius obſtare dicit, per quod corpus vermis, poſt collum amplam ſatis craſſitiem nactum, penetrare eo usque nequeat. Refutatis tum quibusdam Fernelii, Perdulcis, & Mercurialis de Solio ſententiis, num in ventriculo nidulari vermes valeant, prolixius diſputat, idque affirmat. Ad generalius igitur convertit ſe denuo vermium examen, eorumque metamorphoſin, dum e. g. in ranas, lacertas, ſerpentes, ſcorpiones &c. vel potius in animalia his valde ſimilia, tranſmutantur, per ſimplicem partium accretionem, quæ pelliculam, qua teguntur, Nympha dictam, rumpant, contingere tradit, haud ſecus ac flores novam formam aſſumere quotidie videmus. Singulos, quos allegat Author, effectus vermium extra inteſtina hærentium, brevitatis ſtudioſi non recenſebimus, hoc unico contenti, quod, cum vermibus debeatur, quicquid moleſtiæ lue Venerea affecti patiuntur, Mercurius vivus illos necare Authori dicatur; hinc alii, eodem teſte, ſolis anthelminthicis hoc malum profligarunt. Inter eos vero, quos inteſtinales producunt, allegat Noſter vocem amiſſam, famem, eroſionem inteſtinorum, lactis defectum, cujus duo exempla ſat notabilia allegat, &c. Solium vero, præter alia, quibus ſtipatur, ſymptomata, ſyncopes, aphoniæ, & a

cap. 4. art. 1.

art. 2.

 mor-

morbo convaleſcendi difficultatis authorem pronuntiat; pleuritidem eo modo concitari addit, dum, abſumto a verme probo chylo, maſſa ſanguinea materia, qua dilui debebat, privetur, ſpiſſior reddatur, hinc ſtagnationibus obnoxia inflammationes proferat. De febribus malignis diſſerens, non examinat quidem, num vermes productum, an vero cauſa morbi dicendi ſint, illis tamen detentos tanquam verminoſos ſe tractare, &, excluſa vermium progenie, paucis cordialibus priſtinæ reſtituere ſanitati fatetur. Quoad ſi-
cap. 5. art. 1. gna, quibus vermium præſentia manifeſtetur, particularia recenſentur, & unicuique parti, quæ tales continet, propria. Inteſtinali-
art. 2. um ſigna in communia & propria dividuntur. *Illa* a ſymptomatibus, anni tempore, regione, ætate, temperamento, vitæ genere &c. deſumuntur: hæc prout vermes vel ſunt teretes, vel aſcarides, vel lati, differunt; qua occaſione Hippocratis effatum, dolores jejunorum in hypochondrio dextro a Solio hepar intrante excitari, explicatur & confirmatur. Ut quis autem immunis a vermibus
cap. 6. degat, aërem commendat purum & ſubtilem; lacticinia, cibos aceto paratos, ſuccum pomorum expreſſum, nucleos pini, melo-
cap. 7. nes, fungos &c. prohibet; alimenta rite aſſumere jubet, & Veneris abuſum cum lucubrationibus nimiis diſſuadet. Ex vermium dejectione prognoſin format, & attendere præcipit modo ad perſonam, num hæc ſit ægrota, an ſana? num quid comederit, nec ne? modo ad tempus, num ejiciantur in principio, ſtatu, vel declinatione morbi? modo ad locum, num ἄνω per nares, vel os, aut κάτω prodeant? modo ad excrementa, num ſoli, an cum fæcibus exterminentur; modo ad ipſos vermes, num ſint vivi, vel mortui, integri vel diſcerpti. Etiamſi vero acetum, lumbrici exſic-
cap. 8. cati, infuſio Mercurii vivi, Mercurius dulcis, fumus tabaci, infuſio corticum viridium nucum, tanquam anthelminthica euporiſta hactenus fuerint deprædicata, variis tamen edoctus experimentis,
cap. 9. art. 1. hæc tanquam noxia rejicit, ea potius commendans, quæ a ſe frequentiore uſu cognita atque probata fuerint. Poſtquam enim vermibus extra inteſtina natis ſingulis ſua remedia primum oppoſuit; mox contra inteſtinales talia proponit, quæ eos vel *necent*,
art. 2. vel expellant. Præ reliquis videlicet ad necandos vermes magnarum virium extollit corallinam, oleum, (nucum imprimis, non au-

Digitized by Google

autem amygdalorum dulcium) vinum, (Alonenſe potiſſimum) ſemen cannabis, hypericum; ſi interne ſumantur. Extrinſecus autem præter fel bovis, oleum abſynthii, rutæ, amygdalorum amarorum, ſemen cumini, aloen, centaurium minus, commendat emplaſtrum, quod recipit farin. hord. ſucci vermicularis ana ℔j. aceti albi ℥IV. umbilico applicandum, utpote quod lumbricos non ſolum enecet, ſed febrem etiam conjunctam abigat. Necant & expellunt ſimul aloe, hiera picra, pulvis cortic. aurant. rhabarb. ſaccharum in copia ingeſtum, uvæ paſſæ &c. Illi tamen modo minus fidendum eſſe dicit, quo ægri bolum aliquem filo alligatum deglutiunt, filum dein una cum verme retrahere conantes; licet enim idem ſuccedere forſan poſſet in animalibus per os in ſtomachum ingreſſis, de ſucceſſu tamen circa vermes in corpore natos dubitat; potius in Aſcaridibus, quos clyſteres potiſſimum evocent, lardum filo alligatum ſuppoſitorii loco applicat, illudque Aſcaridibus undique obductum retrahit. Quoniam vero cuncta hæc medicamenta in lumbrico lato ſine fructu propinantur; ne abſque ſolatio relinquat ægros, remedium, quo pleuritici Solium ejecit, fideliter communicat. Recipit ſcilicet Diagridii, Cremoris tartari, diaphoret. Mineral. ana ℈ß. Rhabarb. Rad. filic fœm. ana ʒß. Fol. & Flor. Tanacet. campeſtr. Pug. j. Cort. Rad Mori, antequam arboris fructus matureſcant, collecti, ʒj. Miſcet & mane in juſculo pinguiore propinat. Quæ alia contra Solium medicamenta in auxilium vocanda, Epiſtolæ ex Guillielmi Fabricii Obſervationibus ab Authore tranſſcriptæ docent. Cautelas denique addit Noſter tam circa diætam ab ægris, quam circa remedia a Medicis obſervandas. Jubet ſcilicet 1) ut verminantes multum comedant, ab iis liberati parum; 2) remedia non niſi Luna decreſcente, nec 3) continua ſerie propinentur, ſed mora aliqua interjecta, ne lumbrici ad inteſtinum colon recedentes omnem medicamentorum vim eludant. cap. 10.

Lubentes præterimus obſervationes ab Authore hinc inde interſperſas, ejusque digreſſiones, quas ſubinde facit; dum e. g. in præfat. probat, cochinillam non eſſe ſemen, ſed folliculum, ex ſucco plantæ a verme vulneratæ coagmentatum; pag. 137. hypotheſeos de acido & alcali abuſum perſtringit; p. 176. ſpecifica cepha-

Digitized by Google

lica, hepatica, uterina &c. omnino dari probat; pag. 205. tabaci abuſum damnat; pag. 237. aquam ſimplicem pro potu ordinario hauſtam melancholiam, vel pravos humores generare negat &c. ne in nimum excreſcat noſtra relatio. Illud unice addendum: Epiſtolas Hartſoekeri, & Baglivi, quæ Authoris de vermibus ſententiam egregie illuſtrant, ut & theſes, in quibus frequentiorem uſum tabaci, utpote ſale cauſtico, & ſulphure narcotico conſtantis, mortem accelerare demonſtratur, ſub præſidio Domini Fagon defenſas, huic tractatui eſſe annexas.

EXPLICATIO FIGURÆ.

TAB. IX. EXhibet hæc Lumbricum latum, Solium dictum, quem potio anthelminthica ex corpore pleuritici delirantis Lutetiæ Pariſiorum d. 9. Junii A. 1698. expulit. Latus fuit hic inſtar tæniæ; 4. ulnas Pariſienſes cum 3. pollicibus (ſeu 8¾ ulnas noſtrates) longus, abſque ea portione, quæ in inteſtinis relicta fuit. Per 5. horas vixit extra inteſtina, miris ſe torquens motibus; ſubtilis & tenuis prope caput, & collum; in medio corporis craſſitie thalerum, dimidium pollicem latitudo æquabat.

A. denotat caput nigrum, oculis magnis præditum.

B. juncturas ſeu articulos, in quos corpus albicans diſtinguebatur,

C. papillas, inter ſingulos articulos interpoſitas, quæ pulmonum vices ſuſtinent.

d. aperturas papillarum, per quas tanquam per totidem tracheas aër ingreditur pulmones.


FLORA NORIBERGENSIS, SIVE CATALOGUS PLANTARUM in agro Noribergenſi, tam ſponte naſcentium, quam exoticarum; opera & labore JOH. GEORGII VOLCKAMERI M. D. Phyſici ordinarii Noriberg. & Acad. Cæſareo-Leopold. Collegæ.

Noribergæ ſumptibus Michaellianis, 1700. in 4.
Conſtat Alph. 2, pl. 11. & Fig. plag. 6.

CUnctis plantarum, quarum nomina ordinem Alphabeticum ſecutus deſcribit Author Nobiliſſimus, ſpeciebus florendi tempus, locum natalem, & quandoque culturam, Exoticarum præcipue, quam olitoribus noſtris aut ſciolis hortulanis ignotam prorſus, Botanophilo indefeſſo haud dedecori fore, pronuntiat, ſubjungit. Ge-

Digitized by Google

d A. 1700. pag. 5



Digitized by Google

Digitized by Google

Generibus ſingulis notas characteriſticas adjicit, a peritioribus Botanicis, Paulo Ammanno, Hermanno, Rob. Moriſonio, Joh. Rajo, Aug. Quir. Rivino deſumtas, ut exin facili negotio absque variorum librorum laborioſa evolutione conſtet, quibus in capitibus conveniant, quibusve diſcrepent dicti Scriptores. Ultimo notas generaliores & ſpecialiores addit, propriis obſervationibus illuſtratas, methodum ſecutus naturæ & probatiorum in hac ſcientia Authorum, qui plantarum genera non a ſeminibus, aut floribus ſolum, ſed a totius plantæ habitu plurimisque attributis, quæ huic vel illi generi competunt, ſimul junctis deſumunt, ita tamen, ut ſemper primarius habeatur reſpectus ad fructificationem. A ſeminibus enim vel ſola fructificatione extorqueri poſſe ſtirpium notas genericas negat, exemplo Chryſanthemi bacciferi Africani, quod angioſpermum eſt, cum cæteræ hujus generis plantæ fere omnes, ſi raphanum excipias, ſepto prædicto præditæ ſint. A floribus tantum ac petalorum numero deducere ſtirpium genera, rem incerti eventus pronuntiat; poſſidet enim Althæam Noſter, ex Africæ decantato Capite Bonæ Spei apportatam, rariorem, flore cœruleo, & quaſi cochleato, quæ marceſcens in quinque reſolvitur petala, revera ab invicem disjuncta, cum tamen ſingulæ hactenus, quæ nobis innotuere, ex Malvaceo genere & Alcearum, flore ſuperbiant monopetalo, quinquefariam diviſo. Idem docere dicit Naſturtium Africanum Chriſtophorianæ foliis, ex tetrapetalarum ſiliquoſarum familia oriundum, flores nihilominus pentapetalos conſtanter ſuppeditans. Illud adhuc monendum, Authori gymnoſpermas dici, quæ fructus ferunt binis membranulis cinctos, non facile absque ipſius nuclei damno ſeparabilibus, angioſpermas vero, quæ tribus utplurimum integumentis circumvallata gerunt ſemina, quorum exterius absque nuclei læſione facile ſegregari poteſt; id quod in Tabulis ſuis Cognationum plantarum mox edendis uberius explanaturum ſe pollicetur. Rariores demum plantas curioſo ſtirpium rimatori in figuris æneis exhibet, huicque operi adjungit.

LIBRI NOVI.

Obſervationum ſelectarum ad Rem Literariam ſpectantium Tomus I & II. Halæ Magdeb. in officina Rengeriana, 1700. 8.

Grund-

Gründliche Anleitung zu nützlichen Wiſſenſchafften / abſonderlich zu der *Matheſi* und *Phyſica*, wie ſie anjetzo von den Gelehrteſten abgehandelt werden. *A. 1700. 4.*

Via ad Pacem inter Proteſtantes præliminariter reſtaurandam, ſtrata per colloquia ſolennia atque alia Pacificorum ſcripta irenica, quæ Calixtina comitatur Epicriſis. Helmſtadi apud G. W. Hammium, 1700. 4

Henrici Leonardi Schurzfleiſchii Hiſtoria Enſiferorum, Ordinis Teutonici Livonorum. Witteberga apud J. G. Meyerum & G. Zimmermannum, 1701, in 8.

Georgii Henrici Urſini, Gymnaſii Ratisponenſis Rectoris ac Prof. Publ. Inſtitutiones pleniſſimæ, quibus Lingua Latina & præcepta ſolide traduntur, & cauſa notis additis accurate eruuntur vel examinantur. Ratisponæ typis Jo. Georgii Hofmanni, 1700. 8.

Petri Burmanni Jupiter Fulgurator in Cyrrheſtarum Nummis. Trajecti ad Rhenum, apud Gu. Van de Water, 1700. 4.

Burmannorum Pietas gratiſſimæ B. Parentis memoriæ communi nomine exhibita a Franciſco Burmanno F. Adjiciuntur mutua Cl. Limburgi & Fr. Burmanni Epiſtolæ. Trajecti ad Rhenum, 1700. 8.

Caſparis Thurmanni, JCti, Conſiliarii quondam Saxo-Lauenburgici, Duellica, ſeu de barbara & belluina duellandi conſuetudine, collecta e Bibliotheca ſua materiarum Juridicarum univerſali. Halæ Magd. 1700. 4.

Ejusdem Bibliotheca Academica de Rebus & Juribus non tantum Academiarum & Academicorum, ſed etiam doctorum aliorumque extra Academias viventium, imo univerſæ rei literariæ immunitatibus &c. Halæ Magd. impenſis J. F. Zeitleri & H. G. Muſſelii, 1700. 4.

Jo. Schotani a Sterringa Phyſica Cæleſtis & Terreſtris. Franequeræ apud Jo. Gyzelaar, 1700. 8.

Penſées ingenieuſes des Peres de l'Egliſe. Par le P. Bouhours. A Paris chez Louis Joſſe, 1700. 12.

Jacobi Lidii Agoniſtica ſacra, cum Additamentis Joannis Lomeieri. Zutphaniæ, apud J. a Spyk & D. Schutten, 1700. 12.

Neu-vermehrte Grund-Sätze der Deutſchen Sprache im Reden und Schreiben / vorgeſtellet von *Johanne Bödikero*. Berlin bey *J. W.* Meyer und Gottfried Zimmermann / 1701. 8.

*** *** ***

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

Publicata Lipſiæ

Kalendis Decembris Anno M DCC.

TRAITE' DE L' AUTORITE' DES SENS CONTRE LA Transſubſtantiation.

i. e.

TRACTATUS DE AUCTORITATE SENSUUM CONTRA Transſubſtantiationem, auctore JOANNE LA PLACETTE, *Miniſtro Eccleſiæ Gallicæ Hafnienſis.*

Amſtelodami apud G. Gallet, 1700. in 12. plag. 14. ½.

NOn incelebre inter Reformatos Theologos nomen eſt *Joannes la Placette*, cujus tot lucubrationes eruditæ exſtant, ut inter τοὺς πολυγράφους jure meritoque referri poſſit. Nam præter multa ad pietatem promovendam & pacandam conſcientiam facientia ſcripta, qualia ſunt *Nouveaux Eſſais de Morale*, *Traité de la Conſcience*, *Divers Traitez de Cas de Conſcience*, *Traité de la Foy Divine*, *Traité de la Reſtitution*, *Abregé de la Morale Chrêtienne*, *Communion devote*, *Traité de l' Aumone*, *de l' Orgueil*, *des bonnes Oeuvres*, in refutandis Pontificiorum erroribus diligentiſſime verſatus eſt, editis *ſex Collationibus de Eucbariſtia*, *Obſervationibus Hiſtorico-Eccleſiaſticis circa Romani Pontificis auctoritatem in definiendis rebus fidei*, quas in Actis A. 1695 p. 452 recenſuimus, & *Inſanabili Romanæ Eccleſiæ Scepticiſmo*, quem A. 1697 p. 264 invenies. In præſenti libello, poſtquam cap. I præfatus eſſet, omnes noſtræ cognitionis fontes, videlicet ſenſus, rationem, analogiam fidei, ſacram Scripturam, & Patrum ſcripta contra Tranſſubſtantiationis dogma militare, primo ſolum, nempe ſenſuum argumento, ſe uſurum monet, quippe quod & præjudi-

ciis careat, & altercationes omnes tollat, & a quolibet, etiam ſtupidiſſimo, facile percipi, ac paucis expediri poſſit. Hinc *cap. II* obſervat, Catecheſin Tridentinam, Bellarminum, Tapperum, Baiſium alioſque Pontificios fateri, quod ſenſus doctrinæ iſti contradicant, & hanc contradictionem, utpote quæ ab omnibus ſenſibus ſimul fiat, ſtudioſe exaggerat. Exceptiones dein Pontificiorum diligenter enumerat & refellit. Nam *cap. III primam* affert Widefordi, qui omnem certitudinem ſenſuum inficiatur, & ad baculum provocat, qui in aqua fractus appareat, ad pavonum caudas colorem perpetuo mutantes, ad Iſaacum, qui Jacobum pro Eſavo ob ſenſuum deceptionem habuerit. Ad quæ reſpondet, ſenſuum certitudine ſublata, ſcepticiſmo januam aperiri, imo fidem ipſam, quæ ex auditu oriatur, collabi; Romano-Catholicos hic potiſſimum in diſcrimine verſari, quorum fides Eccleſia, Pontifice, Conciliis, aliisque rebus in ſenſum cadentibus nitatur; Servatorem ipſum ad ſenſus nos ablegare, Matth. XI, 4. 5. Luc. XXIV, 38. 39; idem facere Apoſtolos 1. Joh. I, 2. 2. Petr. I, 16. 17; baculum in aqua fractum videri, ob manifeſtam diverſitatem diaphanorum; caudas pavonum revera colorem mutare, h. e. lumen diverſimode reflectere; exemplum Iſaaci, quod Jo. Vitalis, Corn. a Lapide & alii ad Tranſubſtantiationem mire quadrare glorientur, ἀπροσδιόνυσον eſſe, cumprimis ob ſenſus Iſaaci ſenio debilitatos. *Secundam* exceptionem Maldonati, Richelii Cardinalis & Nueti, quod ſenſus, etſi in aliis rebus, non tamen in illis, quæ ad fidem ſpectant, certi ſint, *cap. IV* percenſet, reſpondetque, ſenſum in ſacris literis & alibi interdum pro ratione carnali peccato corrupta accipi, non vero hoc loco: abſurdos omnino eſſe eos, qui nihil credant, niſi quod ſenſibus percipiunt; ſed nec eos abſurditate carere, qui contraria ſenſibus pro veris habeant: ſenſum loqui, ubi fides taceat; fidem docere, ubi ſenſus ſileant: ſenſum, rationem & fidem eſſe tria lumina, non oppoſita, ſed ſubordinata, ſe invicem perficientia, non deſtruentia: ſic, cum Chriſtus in his terris verſaretur, ſenſum docuiſſe, illum vero corpore humano fuiſſe præditum; rationem, in illo corpore animam rationalem eſſe; fidem, cum iſto corpore & anima Divinam quoque naturam unitam eſſe. *Cap. V tertiam* exceptionem Greg. de Valentia, qui ſenſibus certitudinem in rebus fidei

Digitized by Google

fidei tribuit, ſed ubi fides illis contradicit, relinquendos & ex illa corrigendos eſſe, autumat, ita ſolvit: fidem ſenſibus nunquam contradicere: hoc quidem veteres Hæreticos, ſed impie, docuiſſe: imo fidem, ſi ſenſus corrigeret, ſe ipſam infirmaturam eſſe. Pergit *cap. VI*, & affirmat, fidem a ſenſibus originem ducere, ejusque certitudinem ab iisdem dependere, hocque Martinonum, Papiſtam celebrem largiri. Exceptionem *quartam* Thomæ, Vaſquez, Tapperi, Eſtii & Arnaldi, quod ſenſus ſola accidentia, non vero ſubſtantias percipiant, ita *cap. VII* diruit. Senſus ait omnino percipere & diſcernere ſubſtantias, partim vage, cum album ab albedine vel ipſa vulgaris loquendi conſuetudo diſcriminet, & concreta primo in ſenſus cadant, fatentibus Conimbricenſibus & Bernerio, partim diſtincte, quid ignis, quid aqua ſit, etſi id rudi modo fiat: hanc eſſe, quam vulgo appellent, facultatem æſtimativam, & huc Servatorem noſtrum reſpexiſſe, cum de ſubſtantia carnis ſuæ diſcipulos vivendo & tangendo convincere vellet, Joh. XX, 27. Subjungit *cap. VIII*, eandem eſſe Patrum doctrinam, qui contra Marcionitas, & Eutychianos, veritatem corporis & naturæ humanæ Chriſti impugnantes, hoc cumprimis argumentum uſurpaverint. Exceptionem *quintam* Bellarmini & Becani, quod nimirum ſenſus ſubſtantias quidem percipiant, ſed indirecte ſolum, per accidens & incerte, non ſecus ac Patriarchæ Angelos apparentes ſæpe pro hominibus habuerint, aggreditur *cap. IX*, id omne negando, reponitque, corpora ab Angelis aſſumta a veris diſcerni potuiſſe, vel tangendo, quod Thomas, Vaſquez & Becanus concedant, vel diſſecando, quod Durandus & Tena largiantur. Quam reſponſionem *cap. X* continuat, & Chriſti ablegationem ad ſenſus, Patrum provocationes ad eundem, omnes hominum actiones, præcepta divina, & religionem univerſam ſenſuum certitudinem ſupponere, urget. Progreditur inde ad exceptionem *ſextam* Arriagæ & Magnani, quod Deus in organis ſenſoriis ita operetur, ut corpus Chriſti velut panem percipiant, & *cap. XI* reſpondet, hoc pacto Deo fraudes & præſtigias tribui, & præter naturam ſacramenti nullum viſibile ſignum, quod verum ſit, in Euchariſtia relinqui; ubi etiam eos conficit, qui corpus Chriſti in Euchariſtia per modum ſpiritus eſſe nugantur. Hinc *cap. XII ſeptimam* exce-

ptionem Scholaſticorum, qui mutationem in objecto factam eſſe, & accidentia panis ſine ſubjecto a ſola quantitate ſuſtentari docent, peraccurate refellit, atque ſpeciatim *cap. XIII* demonſtrat, accidentia hic ſine ſubjecto eſſe non poſſe, quia tum non amplius eſſent accidentia, & conceſſo hoc dogmate, dubitari poſſet, an ulla in univerſo orbe ſubſtantia exiſteret, cum omnia, quæ dantur, congeries accidentium eſſe poſſent. Porro *cap. XIV* oſtendit, nec juxta Carteſianam Philoſophiam modos ſine ſubſtantia ſubſiſtere poſſe, maxime extenſionem, quæ juxta illos ſit ipſa materia. Denique *octavam* Rohaltii exceptionem, quod omnes modi panis, locus, ſitus, figura &c. communicentur corpori Chriſti, *cap. XV* reſpondet, hoc poſito, corpus Chriſti fieri panem, cum juxta eundem Rohaltium collectio modorum ſit vera rei eſſentia, & *cap. XVI* vana Rohaltii effugia, quod Deus per omnipotentiam ſuam contradictoria vera facere poſſit, aut eſſentiam rerum immutare, vel quod forſan ſyſtema aliquod Philoſophiæ hactenus ignotum dari poſſit, ex quo hæ contradictiones conciliari queant, diligentiſſime confellit.

ABREGE DE LA VIE DES PEINTRES &c.

i. e.

HISTORIA COMPENDIOSA VITÆ PICTORUM, UNA CUM eorundem operum cenſura: & tractatus de Pictore perfecto, de cognitione Delineationum, & Figurarum aenearum uſu.

Pariſiis apud Carolum de Sercy, 1699. in 12. maj.

Conſtat alphab. 2.

QUantum olim Græcia Arti tribuerit Pictoriæ, vel ex ſolo hoc conſtare poteſt, quod receperit eandem in ipſum Liberalium chorum, interdicto perpetuo, ut ſervitia neque addiſcerent neque docerent pictores. Ne quis igitur miretur, tanti ſemper æſtimatam fuiſſe ad hæc usque tempora nobiliſſimam illam & antiquiſſimam artem, ut illuſtrium Virorum manibus etiam tractata, & in ſummis deliciis habita ab iisdem fuerit. Jacobi Auguſti Thuani nomine quid ſeculo noſtro illuſtrius fuit? Qui quam pingendi diligens fuerit, adoleſcens maxime, ipſe eſt teſtis. Bongarſium, Gendios fratres Johannem & Nicolaum, Golzium item & Venium, non minus literis atque elegantiſſimorum carminum laude, quam

Digitized by Google

quam pingendi artificio clariſſimos extitiſſe, nemo facile ignorat. Præclare itaque de Republica Literaria meritos eſſe illos, qui artis hujus non ſolum, ſed & pictorum ipſorum hiſtoriam ab interitu ſcriptis ſuis vindicavere, quos inter eminent præ cæteris ex recentioribus Sandrart, & Felibien quivis facile fatebitur. Sed cum vel pretii exceſſus, vel diffuſa etiam & ampla commemoratorum jam autorum opera, a lectione eorundem nonnullos deterrere queant, non minores laudes tribuendæ forſan illis, qui artis hujus hiſtoriam & progreſſum in nucleo curioſis exhibere ſatagunt. Talis eſt præſentis hujus tractatus autor Dominus de Piles, qui in compendio nobis tradit quam exactiſſime Vitas pictorum celebriorum, *i. e.* illorum, qui vel ad artis hujus reſtaurationem, vel ad ejusdem perfectiorem gradum aliquid contribuerunt, vel quorum tabulæ atque picturæ in muſeis Principum & curioſorum aſſervantur.

Conſtat autem tractatus hic ſeptem potiſſimum libris vel ſectionibus.

Liber I brevis eſt Introductio in artis pictoriæ cognitionem, & proponit ideam Pictoris numeris omnibus abſoluti, atque normam certam & regulam de picturis & pingendi charactere rite judicandi: atque in hoc libro ſatis conciſe ac breviſſimis explicat Autor omnia illa requiſita, quæ ad artem pictoriam genuinam neceſſaria ſunt. Qua occaſione, ſub finem ejusdem libri, cap. 26, 27, & 28 agit etiam de pictorum Delineationibus, quippe quæ non minus atque integræ picturæ in magno habentur a curioſis pretio: itemque de Figuris æneis, earundem origine atque utilitate: ut & denique de Tabularum pictarum differentia, earundemque genuinis autoribus cognoſcendis. Nimirum hanc perfecti pictoris ideam præmittere debebat Autor, ut conſtaret, cuinam fundamento ſua de præcipuorum pictorum tabulis cenſura, quam hinc inde in ſequentibus ſuppeditat, inniteretur.

Libro enim tractatus hujus II aggreditur hiſtoriam pictorum eorundemque cenſuram ipſam, incipiendo ab illis, qui priſcis temporibus in Græcia inclaruerunt, quorum ſex potisſimum, inter reliquos celebriores, recenſet: Zeuxem nimirum, Parraſium, Pamphylum, Timanthem, Apellem atque Protogenem. Et de his quidem

dem, actisque eorundem atque picturis tantum profert, quantum ex relatione veterum Græciæ hiſtoricorum conſtare poteſt.

De Florentinis atque Romanis pictoribus agit liber III. Et cum de his certiora & clariora per modernorum hiſtoricorum monumenta extent, accuratius etiam commemoratorum pictorum vitas deſcribit, ita quidem, ut cujusvis, quantum posſibile, recenſeat patriam, parentes, diem natalem, præceptores, tabulas ab unoquoque pictas, cum locis, ubi adhucdum inveniuntur, dona peculiaria, acta notatu digniora, vitæ terminum, atque diſcipulos; quam methodum in ſequentibus etiam libris conſtanter ſervare Autorem, incidenter hic monendum. Incipit autem Romanorum & Florentinorum ſchola cum Florentino quodam Cimabue nomine, qui a pictore ex Græcia oriundo artis fundamenta acceperat, ſub finem ſcilicet ſeculi XIII.

Erat enim hoc fere tempore, cum Senatus Florentinus pictores arceſſebat ex Græcia, ad reſtaurandam, quam Barbarorum in Italia furor extinxerat, pingendi artem. Poſthæc magis magisque iterum exculta atque auguſtior indies reddita fuit hæc ars, ſtudio & opera Leonhardi de Vinci, Raphaelis Sanzio Urbinatis, Julii Romani, Polydori de Caravage, Franciſci Mazzoli Parmenſis, Perrini del Vaga, Michaelis Angeli Bonarotti &c.

Claudit agmen ſcholæ hujus Petrus Berretinus, civis Romanus, qui medio ſeculi hujus ad finem properantis inclaruit.

Venetorum ſcholam comprehendit liber IV, eandemque ut fundator aperit Jacobus Bellinus, cum filiis ſuis Gentili atque Johanne, quos ut celebriores excipiunt Georgius ex Marca Treviſana, Titianus Vecelli ex Foro Julii, Jacobus Robuſtus cognomine Tinctor, Paulus Caliari Veronenſis, & Jacobus de Ponte, qui ſub finem ſeculi præcedentis XVIti vixit.

Lombardorum vitæ recenſentur libro Vto, quos inter Antonius Corregienſis agmen ducit, A. 1472 in oppido quodam Ducatus Mutinenſis Corregium appellato, natus. Sequuntur hunc, ut artis in hac ſchola principes, li Carrachi, Guido Reni, Dominicus Zampieri, Johannes Lanfranc, Franciſcus Albanus, Franc. Barbieri &c. Ultimus fere ex his eſt Michael Angelus Merigi, ex Ducatus Mediolanenſis burgo quodam, Caravage appellato, unde & cognomen

gnomen traxit, oriundus. Vixit hic ſub finem ſeculi XVI & principium XVII, atque in colorum applicatione vix parem habuiſſe dicitur.

De Germanorum & Belgarum ſchola agit liber VI. Hubertus atque Johannes Van Eyk primum in hac obtinent locum, quippe quos gloria fundationis ſcholæ Belgicæ manet, non minus ac Albertum Durerum Germanicæ, & horum memoria incidit in medium ſeculi XV. Poſt Alberti tempora Pet. Paulus Rubens Antverpienſis, (qui honos & decus artis pictoriæ Autori noſtro κατ' ἐξοχὴν audit,) Antonius Vandeik, & Rembrant Van Rein maxime & præ cæteris hac in ſchola floruerunt. Claudit numerum pictorum Germanorum & Belgarum Caſpar Netſcher, Praga Bohemus, qui apud Batavos, & præſertim Hagæ Comitum, maximam vitæ ſuæ tranſegit partem ubi & A. 1684 obiit.

Septimus & ultimus hujus tractatus liber Gallorum continet ſcholam, in qua Johannes Couſin primo recenſetur loco, qui A. 1589 e vivis exceſſit. Sequuntur hunc, ut egregia artis decora, Nicolaus Pouſſin, Jacobus Stella, Carolus Alphonſus Du Fresnoy, & Philippus de Champagne.

Tandem & ſcholam hanc concludit Autor cum hiſtoria Caroli le Brun & Petri Mignard, quorum prior ad excellentiorem evexit gradum ſtatum Academiæ pictorum, quæ Pariſiis floret, & A. 1690 vitam cum morte commutavit: poſterioris vero hiſtoriam, una cum operum recenſione, in peculiari tractatu proxime prodituram promittit Autor.

Ad calcem totius operis, epimetri quaſi loco, annectit Dn. de Piles brevem characteris pingendi cuivis nationi proprii deſcriptionem, quam eodem abſolvit ordine, quem hactenus in recenſendis pictorum vitis obſervavit, incipiendo cum Romanis, ac finiendo cum Gallis. Hanc autem notam nationalem characteriſticam ſi quis probe obſervaverit, facile de tabularum pictarum genuinis auctoribus judicare poterit.

JACOBI LYDII AGONISTICA SACRA, cum additamentis JOHANNIS LOMEIERI.

Zut-

Zutphaniæ, apud Johannem a Spyk & Danielem Schutten, 1700. in 12. plag. 12.

CUm ſuperiori anno 1698 doctiſſimi Lydii poſthumum de re militari ſyntagma in Actis noſtris menſe Junio recenſeremus, inter libros ab ipſo vivente olim evulgatos, Agoniſticæ quoque ſacræ mentionem fecimus. Hanc (cum primæ editionis A. 1657 impreſſæ exempla diſparuiſſe dudum cognoviſſent) in gratiam eorum, qui iſthac vocum ac phraſium Agoniſticarum in Scriptura Sacra & Paulinis maxime Epiſtolis obviarum explicatione delectantur, excudi denuo fecerunt bibliopolæ Belgæ, ac dum omni penitus acceſſione eruditiſſimum opuſculum carere noluerunt, clariſſimi Lomeieri notas quasdam ſubjunxere. Ex his, utut numero exiguæ ſint, nonnihil tamen ſpeciminis in locum allegaſſe juvabit. Diſſentit inter alia a Lydio Lomeierus, quod is cap. XI, p. 48 in verbis Paulinis, ὑποδησάμενοι τὸς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τȣ̃ Ευαγγελίȣ τῆς εἰρήνης. Eph VI, 15, a curſoribus ſumtam innuerit metaphoram, quippe quorum pedibus maxima laboris pars incubuerit, quare eos calceis quibusdam muniverint. Longe enim aliter ſe rem habere monet, ſive uſum calceorum, ſive mentem Apoſtoli, ſive denique ſignificationem vocis ἑτοιμασία conſideres. Calceamenta nimirum apud veteres quaſi pedum quædam vincula fuiſſe dicit, quæ tantum abeſt, ut ad currendi alacritatem quid contulerint, ut occupatis potius in curſu certiſſimam crearint remoram. Apoſtolum deinde haud inſtruere curſorem ad celeritatem, ſed militem ad pugnam excitare ſtatariam obſervat, calceosque adeo militi commendaſſe ait, ne, uliginoſo præſertim ſolo inſiſtens, facile laberetur. Et hanc ipſam quoque vocis ἑτοιμασία ſignificationem facit, quodque eadem baſin atque fundamentum denotet, ex uſu Græcorum Veteris Teſtamenti interpretum oſtendit. Addimus huic obſervationi aliam, qua locum Johanneum, ἐλεύκαναν ϛολὰς αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τȣ̃ Ἀρνίȣ, Apoc. VII, 14. illuſtrat. Multos enim hærere ait in difficultate, quomodo hæ ſtolæ dealbatæ ſanguine dicantur, cum ſanguis dealbandi vim non habeat? Parum ergo aſſentitur illis, qui ad ſolam reſpicientes albedinem, pro gloriæ & puritatis emblemate eandem

dem habeant. Judicat e contra, convenientiam inter ſanctificationem Sacerdotum Leviticorum & Chriſtianorum iſta phraſi ſignificari: Leviticos namque Sacerdotes ad altare non admiſſos fuiſſe, niſi ante ipſi una cum veſtibus, quas induerant, ſanguine aſperſi forent, ex Exod. XXIX, 21, & Lev. IIX, 30 probatum dat. Sicut ergo hos ſanguine mundari oportuerit, ut ad ſacerdotium obeundum idonei evaderent: ita Chriſtianos virtute ſanguinis Chriſti ornari ait ad ſpirituale ſacerdotium per ſtolas albas figuratum; unde locus hic per metonymiam potius adjuncti ſigni, quam per metaphoram intelligendus ſit.

METHODICUS AD POSITIVAM THEOLOGIAM APPARAtus, Autore R. P. PETRO ANNATO.

Pariſiis, apud Nicolaum Couterot, 1700. in 4. Alphab. 4.

QUonam apparatu ad Theologiam poſitivam addiſcendam opus eſſe judicent Doctorum inter Pontificios hodiernorum celeberrimi, haud difficulter ex præſentis Tractatus facie, a nobis breviter jam adumbranda, benevoli Lectores perſpicient. In ſeptem ille libros diſpeſcitur, quorum *primus* Poſitivæ & Scholaſticæ Theologiæ diſcrimen pariter ac utriusque naturam exponit. Et iſtam certe ab hac non eſſentia, ſed accidentali tantum procedendi modo diverſam eſſe, Clariſſimus Autor innuit; neutram ſufficere, verum utramque utilem, utramque neceſſariam eſſe autumat, Scholaſticæque uſum aliqualem in Eccleſia ſemper viguiſſe contendit. Dehinc quid ſit & unde ſecernatur fidei Catholicæ doctrina? quidque hæretica, vel erronea, aut alia quælibet fidei nociva? quid denique pure theologica doctrina ſit? diſquirit. Dogma Catholicum generice & late ſumtum triplex eſſe ait, imperatum, liberum, & toleratum, atque ex his ſolum imperatum pro fidei dogmate agnoſcit. *Secundus* liber Scripturam Divinam conſiderat, & illius veritatem ac naturam in anteceſſum commonſtrat. Poſt librorum Canonicorum qualitatem & numerum inveſtigat. Porro ex omnibus ſacrorum codicum editionibus, ſolam vulgatam Latinam authenticam fideique regulam eſſe pronunciat. Inſpirationem Divinam quoad ſingula verba ſingulosque apices, & ſenſum Scripturæ

Digitized by Google

multiplicem adſtruit, regulas pro genuino illius ſenſu noſcendo ſuppeditat, obſcuras quasdam, ut appellat, loquendi formulas in iisdem uſitatas, paſſiones item animi corporisve membra Deo tributa explanat, ἀντιλογίας apparentes conciliat, ponderaque, monetas, menſuras atque vaſa paſſim in ſacro codice memorata delineat. Liber *tertius* circa traditiones occupatur; ubi poſt harum diviſionem notas Autor præſcribit, quibus mediantibus Divina traditio ab Apoſtolica, & Apoſtolica ab Eccleſiaſtica ſecerni queat. Hinc traditionis Divinæ exiſtentiam prolixe vindicat, utpote quæ neutiquam in nova demum lege certa ſit, verum in Moſaica quoque, imo & in naturali, viguerit. Judæorum imprimis traditionem, una cum explicationibus illius variis, quales nempe Miſchna, Gemara, Maſora & Cabbala, excutit. Traditiones ullas, præterquam Apoſtolicas diſciplinam ſpectantes, itemque Eccleſiaſticas, abrogari poſſe negat. In libro *quarto* ſanctos Eccleſiæ Patres in ſcenam producit, Doctorumque ante omnia & Patrum Eccleſiæ deſcriptionem inſerit. Hinc nullius ſeorſim, imo nec plurium idem ſentientium, ſed omnium unanimiter quid adſtruentium doctrinam infallibilem eſſe pronunciat. Poſt regulas autem in legendis Patrum ſcriptis tenendas, catalogum texit eorum, quos præ cæteris celebrare ſoleat Eccleſia, & eum pro triplici Patrum ætate diſponit. Prima eſt eorum, qui Apoſtolicis aut proximis ab his temporibus floruere; ſecunda ad quintam usque Synodum œcumenicam A. C. 553 ſub Vigilio coactam, & tertia tandem inde ad Doctorem usque Seraphicum, Bonaventuram, pertingit. *Quintus* liber Concilia qua dogmatice qua hiſtorice ſpectanda ſiſtit, & Apoſtolica primum, deinceps celebrata poſt Apoſtolorum ævum œcumenica, ultimoque particularia in cauſa præcipuarum hæreſium habita enumerat. In *ſexto* libro ad Pontificias Eccleſiæ definitiones ſe confert Autor, earumque infallibilitatem declarat atque limitat. Decretales præ cæteris Epiſtolas nec genuinas abſolute, nec ſuppoſititias vocare audet, ſatis tamen illas, ubi ſacris Canonibus haud contrarientur, Theologi veneratione dignas eſſe affirmat. Conſtitutionibus Apoſtolicis omnem γνησιότητα abjudicat, nec mitius cenſet de Canonibus, qui vocentur, Apoſtolicis. Primatum Romani Pontificis prolixe contemplatur, & generalem dici poſſe hunc admittit Epiſcopum, eo ſenſu,

ſenſu, quo particularis Epiſcoporum particularium cura iſto titulo minime tollatur. Quæſtionem, ſub quonam Pontifice in Gallias primum Chriſtiana introducta fuerit religio? dum inſpergit, primo jamtum naſcentis Eccleſiæ ſeculo ſub Petro, primo Chriſti vicario, & Clemente, poſt Linum & Cletum, Romano Pontifice id factum eſſe reſpondet. Anti-Chriſtum de cætero vocandum eſſe Pontificem Romanum totus negat, vulgatam de Johanna Papiſſa narrationem explodit, deque eminentiſſimo Cardinalium Collegio nonnihil differit. *Septimus* liber, isque ultimus, præcipuas hæreſes in Eccleſia ſubortas allegat, & ſtrictim percenſet; Lutheranos vero dum peſſimis hæreticis annumerat, parum feliciter procedit, ac vel in ipſo nomine explicando hallucinatur, quandoquidem PROTESTANTES eos ideo dici arbitratur, quod Confeſſionem Auguſtanam ſectari ſe jactent atque *proteſtentur*; cum tamen longe aliam denominationis hujus originem eſſe, in vulgus notum ſit. Cæterum ſub finem librorum ſingulorum, primum modo ſi exceperis, notitiam Autorum, qui materiam in quolibet eorum propoſitam latius excuſſerint, annectit, & eam ob rem ſecundo claros in Scripturam Sacram commentatores, tertio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ traditores, quarto illuſtrium Eccleſiæ ſcriptorum, quinto Conciliorum, ſexto vitæ ſummorum Pontificum collectores, & ſeptimo eos, qui circa hæreſes verſati fuerint, adjungit.

A DEMONSTRATION OF THE MESSIAH In which &c.

i. e.

DEMONSTRATIO MESSIÆ, QUA VERITAS RELIGIONIS Chriſtianæ adverſus Judæos potiſſimum defenditur. Pars III. Autore Maxime Reverendo, in Deo, Patre RICHARDO, *Epiſcopo Bathonienſi & Wellenſi.*

Londini, apud W. Rogers & M. Wotton, 1700. 8.
Alphabet. 1. plag. 12.

Ecce hic partem III operis anti-Judaici præſtantiſſimi, cujus edendæ ſpem fecimus anno ſuperiore p. 246, cum ſecundam il-

Digitized by Google

lius partem pro inſtituto noſtro recenſeremus. Autor Reverendiſſimus *Richardus Kidderus* primo loco in illa oppugnandam ſibi ſumit objectionem Judæorum de perpetuitate legis Moſaicæ ritualis, & præter alia urget locum Hagg. II. 6, variaque adducit teſtimonia, quibus ipſi profitentur, Deum novum legem daturum per manus Meſſiæ, omniaque ſacrificia ceſſatura eſſe præter euchariſticum: nec modo tempore neceſſitatis conceſſum eſſe comedere de ſuilla, aliisque cibis vetitis, ſed & Synedrium vel Prophetam poſſe ad certum tempus diſpenſare circa omnia præcepta ac ritus legis, excepta idololatria. In loco Matth. V. 17. 18. docet ſermonem potiſſimum eſſe de lege morali, ceremoniales vero leges ſingulari ratione Jeſum impleſſe tanquam antitypum; atque uti impleviſſe dicitur, quæ a Prophetis de ipſo prædicta fuerant, ita neque forenſibus legibus ipſum ſe oppoſuiſſe, at has collapſa deinde politia Judaica per ſe ceſſaſſe & concidiſſe. Similiter reſpondet ad Rom. III. 31. & Luc. XVI. 29. Alia Judæorum objectio eſt, qua variis Prophetarum locis promiſſam urgent temporibus Meſſiæ pacem; cum in præſens usque tempus bella inter Chriſtianos eſſe non deſinant, & Jeſus ipſe dixerit, ſe non pacem afferre ſed gladium. Sed viciſſim negari nequit, Jeſu noſtri, quo nato pacem terris annunciabant Angeli Luc. II. 10. 14, exemplum ac præcepta meram pacem ſpirare; tum inimicitiæ inter Judæos & Ethnicos prædicato Evangelio apud innumeros evanuerunt, & qui vere Chriſtiani fuere, pacem ſemper ſunt amplexi, nec vana ſpes eſt, magis magisque hunc Spiritum pacificum Evangelii inter homines prævaliturum. Pax præcipue ſpiritualis a Jeſu nobis parta, cujus regnum non eſt de hoc mundo, & qui pacem ſuam dat nobis non ita ut mundus ſolet, Joh. XIV. 27. Quando autem Matth. X. 34. dixit, ſe pacem non afferre ſed gladium, neutiquam ſcopum adventus ſui cauſamve, ſed eventum expoſuit, quod nempe variæ hæreſes ac perſecutiones Evangelio ſe eſſent oppoſituræ.

Quanquam Autor Maxime Reverendus, jam in ſecunda parte, loca Novi Fœderis ab objectionibus Judæorum liberare inſtituit, nihilominus capite 3 hujus tertiæ partis alia adhuc ſibi vindicanda ſupereſſe intellexit, ex quo ab amico ipſi legendus conceſſus eſt liber MS. *Porta Veritatis*, qui Rad. Cudworthi olim fuit, & A. 1634.

ad-

adverſus Chriſtianos ſcriptus autore, qui ſe *Jacobum Ben Amram* appellat, & forte non alius eſt a *Menaſſeh Ben Iſraël*, omnesque vires ac ſummam induſtriam ad Chriſtianiſmum oppugnandum attuliſſe videtur. Contra hunc igitur late diſputat, & Matth. XII. 3. 4. conciliat cum 1. Sam. XXI. 1. ſimiliter Luc. IV. 25. cum 1. Reg. XVIII 1. Grotium fere ſecutus. Ad Luc. II. 22. 23. 24. refellit autorem Portæ, qui ex illis ſacris purificationis collegit, Jeſum non fuiſſe conceptum ſine peccato, neque ſi miraculoſa fuerit ejus nativitas, poſſe de eo dici, quod ἀνοίγε τὴν μήτραν. Cum loco Marc. X. 19. ubi Judæus Servatori vitio vertit, quod quærenti de vita æterna conſequenda ſecundæ tantum tabulæ præcepta commendaſſet, eleganter confert Pſalmum XV. Ad Matth. VIII. 32. oſtendit, non poſſe reprehendi Jeſum, quod gregem ſuillum Dæmonis poteſtati permiſerit, cum inter Judæos ſummi res ſcandali opprobriique fuerit ſues alere, ut ad illum locum ex ſcriptoribus Hebræis docet Lightfootus. Quod vero promiſerat Servator, ſe diſcipulis poſt reſurrectionem appariturum in Galilæa, quod nunquam deinde factum eſſe ex ipſis Evangeliſtis demonſtrare conetur Judæus, impletum clariſſime docet ex Matth. XXVIII. 16. 17. Joh. XXI. 1. Gallicinium proprie dici, quod matutinum tempus proxime antecedit (non quod media nocte auditur) obſervat e Marc. XIII. 35, atque id intelligi a Matthæo, Luca & Johanne, quando de Petro referunt verba Jeſu, quod antequam gallus cantaſſet, Dominum ſuum ter ſit abnegaturus. Fruſtra igitur illis a Judæo opponi Marcum, qui duplicem galli cantum non minus vere memorat. Omittimus quæ accurate deinceps diſputantur ad vindicandam inſcriptionem Jacobi de duodecim tribubus, & ad loca Joh. XVI. 7. XIX. 39. Matth. XXVIII. 18. Joh. XXI. 25. Gal. III. 10. ſq. Hebr. IX. 19; ubi inter alia oſtendit, inepte a Judæo argui Paulum, ubi nihil alieni a Moſis ſententia ſcribit, nec tamen Moſis verba ſe citare indicat, de interpolato Moſe; extolli vero Chaldaicam paraphraſin, plenam additionibus manifeſtis & ſæpe ineptis, ut pluribus exemplis in medium allatis demonſtrat. Erudite etiam diſſerit de paſchate per Chriſtum anticipato, & die crucifixionis, de quibus Judæus incredibilia pariter & inter ſe pugnantia ſcribi contenderat.

Capite quarto, quinto & ſexto dogma Trinitatis oſtendit, non, ut

ut cavillantur Judæi, rationi & ſcriptis V. T. eſſe adverſum ac repugnans, ſed in ſcriptis Moſis ac Prophetarum, tum libris Apocryphis, aliisque ſcriptis Hebræorum, Zohar, Midrash Tillim, &c. paſſim inſinuatum, imo ad Ethnicos usque famam illius penetraſſe. Inter alia urget, vocem *Elohim* pluralitatem denotare in Deo, atque hoc contra Abravanelis aliorumque objectiones latius tuetur, laudata etiam Exercitatione Clariſſimi hodie Hamburgenſium Profeſſoris Sebaſtiani Edzardi, in Anglia recuſa, quam de eodem nomine Elohim ante aliquot annos Witebergæ Richardo Simoni oppoſuit. Inprimis vero diligenter colligit & quantivis momenti eſſe putat Philonis Judæi de Λόγῳ aſſerta, neque Chaldæorum Paraphraſtarum præterit teſtimonium, quos de *Verbo* tanquam de Divina perſona paſſim loqui, probat adverſus Guil. Vorſtii diatribam, a Rittangelio etiam in Libra Veritatis non ita pridem in Belgio recuſa impugnatam. Cum vero huic Rittangelii Libræ oppoſita pridem a Vorſtio Bilibra, ſed nuper demum diu poſt autoris obitum itidem in Belgio edita, Maxime Reverendo Kiddero, poſt finitam jam hanc tertiam partem, in manus incidiſſet, illam quoque in præfatione ad breve examen revocat, quod ex inſtituto & ſingulari *de Verbo Subſtantiali* diatriba, Hamburgi ante paucos menſes in lucem emiſſa, fecit idem Clariſſimus Edzardus.

Ut porro adverſus Judæos probetur, Meſſiam jam tum neceſſario veniſſe, capite ſexto multis vindicatur locus Gen. XLIX. 10. adverſus exceptiones varias, quæ a Judæis jactari ſolent. Ait etiam in præfatione, ſe conſtituiſſe locum illum liberare a parhermenia Viri doctiſſimi Joh. Clerici, niſi in hoc labore ab eodem Edzardo præventum ſe vidiſſet. Sperat de cætero fore, ut celeberrimus ille Vir denuo illum locum cum cura retractet, ac ſibi ipſi quam optime ac ſolidiſſime reſpondeat. De Danielis hebdomadibus dicere omiſit, quod ſciret, plenam ſolidamque illius argumenti diſcusſionem jam a pluribus annis a doctiſſimo Eccleſiæ Anglicanæ Præſule ſuſceptam, & jam ex parte editam eſſe. Vehementer autem denuo inſiſtit loco Hagg. II, 6. ſequ. eumque præcipue a *Jacobi ben Amram* ſupra memorati detorſionibus ſollicite & erudite abſolvit. Cumque vulgatisſima Judæorum exceptio ſit, adventum Meſſiæ in hoc usque tempus dilatum eſſe propter populi peccata, capi-

Digitized by Google

capite IX præclare oſtendit, promisſionem Mesſiæ non fuiſſe hypotheticam, ſed abſolutam. Nomen vero dierum Mesſiæ, qui paſſim a Prophetis dicuntur *dies ultimi*, optime quadrare in tempus, quo Jeſus inter Judæos verſatus eſt; vere enim fuiſſe illos dies ultimos Eccleſiæ Judaicæ & Moſaicæ œconomiæ.

Hiſtoriam XXIV Pſeudo-Mesſiarum, quam capite X texit Autor Maxime Reverendus, tanto lubentius h. l. præterimus, quo magis idem argumentum, a Lentio & aliis traditum, alibi attigiſſe nos recordamur. Inde variis argumentis exploditur relatio Antonii Montezini, de reliquis adhuc in America decem tribubus, a Menaſſeh Iſraëlide avide arrepta, & ſingulari libro, qui *Spes Iſraëlis* inſcribitur, defenſa, ſed a Rev. Theophilo Spizelio τῷ μακαρίτῃ in Elevatione relationis Montezinianæ confutata. Denique de quæſtione, an converſio Judæorum ſperanda ſit, ad eruditi cujusdam Scriptoris tractatum, qui jam in Anglia ſub prælo ſudat, lectores remittens, capite XI ſive poſtremo diſquirit, quid Principibus & Magiſtratui, quid Academiis, quid Viris politicis, eruditis, divitibus, quid aliis faciendum ſit, quo Judæi infenſisſimi religionis noſtræ hoſtes ad Chriſtianam fidem amplectendam non ſine ſucceſſu invitentur. Rem eſſe maximi momenti, ac ſi recte tractetur, non tantum populi illius fæcem, ſive vere ſive falſo Chriſtianum nomen profeſſuram, ſed & ditiores & honeſtiores doctioresque Judæos de veritate religionis Chriſtianæ certo perſuaſum iri; ne quis forte religionem noſtram inutili multitudine mendicorum & hypocritarum onerandam cauſetur. Cæterum in iis, qui cum Judæis agere volunt, merito deteſtatur vim, tormenta, injurias, argumenta ficulnea & abſurda, convicia denique. Neque tamen in eorum gratiam, quo citius eos lucremur, dogmata quædam verisſima relinqui debere. Methodum Judæos ex V. T. convincendi laudat per literas ſibi communicatam a Rev. Sene, quo neminem forte plures Judæos, ex quo tempore ceſſarunt miracula, ad Chriſti fidem convertiſſe ait, Esdra Edzardo S. Th. Lic. Suadet a Magiſtratu eos, quemadmodum Romæ fit, urgendos, ut concionibus & colloquiis Chriſtianorum interſint, ut rationes improbati a ſe Chriſtianiſmi exhibeant eidem Magiſtratui. In Academiis, & per beneficentiam Mæcenatum, optat ſumma ope propagari ſtudia Hebraica, & præclara

Digitized by Google

clara ingenia ad eximios in illis profectus faciendos excitari foverique; a Viris Hebraice doctis autem errores ipſorum & dictorum Propheticorum detorſiones modeſte & ſolide confutari. Quod caput eſt, ab omnibus Chriſtianis deſiderat, ut Judæi pia illorum vita, Evangelioque digna converſatione, ad amplectendam noſtram provocentur religionem. Viciſſim monet, ut Judæis diræ ſolennes in Jeſum & Chriſtianos ſevere interdicantur, prudenter etiam impediantur illi, ne ſub Judaiſmo ad magnas divitias dignitatesque pervenire poſſint, quia nihil facile ſit, quod eorum pertinaciam magis confirmare ſoleat, quam ſi ſe neutiquam rejectum a Deo populum, ſed felicem, opulentum & potentem, probabili queant ratione jactare.

D. JOH. FRIDERICI MAYERI, CONSILIARII REGII ET DUcalis in ſacris primarii, Profeſſoris Kilonienſis & Hamburgi ad D. Jacobi Paſtoris, De Romani Pontificis Electione Commentarius, una cum Acceſſionibus.

Hamburgi apud Gotfridum Liebezeit, 1700. 4. Alph. 2. plag. 10.

JAm decem anni ſunt, cum Maxime Reverendus & celeberrimi nominis Auctor juſto Commentario ritus quosvis in Eccleſia Romana circa electionem novi Pontificis uſitatos, a morte usque Pontificis prioris ad recens electi inaugurationem usque, ex ipſis ſemper Scriptoribus Pontificiis curioſe fuit perſecutus, additis variis ſtricturis & obſervationibus Hiſtorico-Theologicis. *Subjunxit etiam* pridem Commentario ſuo diſſertationem duplicem, quarum una eſt de titulo Pontificis *Servus ſervorum*; *altera*, num dogma Pontificium ſit, Papam Romanum eſſe Deum, quam Grotio opponendam exiſtimavit: & denique Cardinalis Azzolini Aphorismos Politicos de iis, quæ Cardinali Pontificis dignitatem ambienti, vel hujus deſideriis faventi, in Conclavi obſervanda ſint, ex Italica lingua in Latinam translatos. Nunc vero cum mortuo Pontifice (quod hoc Chronoſticho Max. Rev. Auctor expreſſit, *InnoCentIVs XIIproDeVs PontIfeX In Ipſo IVbILæo MorItVr*) de novo iterum eligendo Purpurati Patres conſilia agitant, novis denuo acceſſionibus locupletatum hunc commentarium, & Illuſtri Viro Paulo de Fuchs inſcri-

ſcriptum in lucem prodire juſſit. Agitantur autem in illis hæ quæſtiones: utrum vivo adhuc Pontifice, de ſucceſſore conſilia inire, vel ſuffragia colligere liceat Cardinalibus? Utrum uxoratus in Pontificem eligi poſſit? An Papa uxoratus poſſit petere & reddere debitum conjugale? Utrum Romanus Imperator poſſit eligi in Pontificem? qua occaſione afferuntur literæ Imperatoris Maximiliani ad Paulum de Lichtenſtein datæ 16 Sept. 1511, quibus ſe Pontificiam dignitatem ambire perſpicue profitetur, & in hunc finem a Fuggero 300000 numorum aureorum peti jubet. Agitur porro de quæſtione, utrum Papale axioma quisquam recuſaverit, & utrum electo Pontifici poſſit conſtitui Curator? Denique de Cardinali Decano, qua dignitate Dux Bullioneus hodie fungitur, ſingularis diſquiſitio ſubjuncta eſt, qua de prærogativa & muneribus illius, variaque alia ad illam dignitatem ſpectantia, fuſe & diligenter ex ſcriptoribus Pontificiis pertractantur.

SALOMONIS VAN TIL, THEOLOGI DORDRACENI, PHOSphorus Propheticus, ſeu MOSIS & HABAKUKI Vaticinia novo Commentatio illuſtrata, & cum juſta rerum hiſtoria accuratius collata. Accedit Diſſert. paradoxa Theologico-Chronologica de anno, menſe & die nati Chriſti.

Lugduni Bat. apud Jordanum Luchtmans, 1700. 4.
Conſtat 5 Alphabetis & tabulis æneis 2.

CElebertrimus Autor, in Actis noſtris plus ſimplici vice ex merito laudatus, præſentes commentarios vel ideo in lucem emiſiſſe ſe innuit, ut luculento quodam exemplo ac ſpecimine oſtenderet uſum & praxin regularum ſuarum hermeneuticarum, quas in Introductione ad ſcripta Prophetica, Belgico idiomate ante aliquot annos vulgata præſcripſerat.

In Vaticinio Moſis ſive Cantico ejus Prophetico Deut. XXXII 1-43 illuſtrando ita verſatur, ut autorem Moſen doceat conſiderandum eſſe tanquam Prophetam Dei, qui poſt fata ſua ultimis Reipublicæ Judaicæ temporibus redivivus, Judæos Chriſtum Dei filium

um verum Deum agnoſcere nolentes acerrime redarguit. Argumentum Cantici ait eſſe diſceptationem quandam forenſem, veluti coram Deo judice, ubi Moſes *κατηγόρος* Joh. V. 45: teſtes adducti, cœlum & terra: ille cujus a Moſe cauſa agitur, Rupes ſalutis, cujus magnitudo rapta ponitur in controverſiam: rea vero gens Judaica, cui judicium excidii Moſes comminatur, ita, ut ſimul addat ſeveritatem Judicis temperandam futura reliquiarum Judaicæ gentis ad cor parentum converſione. Sermonis formam ligatam eſſe monet, ſed quo demum carminis genere conſtet hoc antiquiſſimum poëma, cum Viris doctiſſimis ingenue fatetur ſe ignorare. Sequitur inde, præter Cantici analyſin, fuſior & diligens ſingulorum verborum expoſitio, apodixis, & implementum Hiſtoricum cum prophetia ingenioſe collatum; de quibus ſingulis prolixius hoc loco agere, non eſt noſtri inſtituti.

Simili induſtria ad Habakuci Prophetiam explicandam accedit, quam ſcriptam conjicit haud diu ante Nebucadnezaris expeditionem, tempore quo omnia inter Judæos corruptiſſima jacebant, & publica gentis tribunalia ab hominibus impiis occupata judicium nequiter perverterant. Deum ait in hac Prophetia occurrere ſub ſchemate judicis, piorum cauſam agentis, & hypocritarum atque impiorum judicium præparantis, ad quem Propheta querelas defert piorum, & a quo viciſſim reſponſa quaſi ad populum Judaicum refert, quibus animus eorum erigatur. Cæterum vias Dei cum ante Chriſti adventum in carnem, tum poſt illum obſervandas ab Habakuko exponi obſervat. Reſpectu prioris temporis deſcribi conſilium Dei de repurganda Eccleſia Judaica, per judicium populo corruptiſſimo imminens & per Chaldæos infligendum, cum hoc tamen rerum eventu, ut velit juſtus Judex tandem caſtigationis ſuæ inſtrumentum confringi, & reliquias populi exploratas libertati reſtitui, atque in ſtatu reſtituto conſervari, donec Chriſtus veniat, & partam juſtitiam & ſalutem denunciet. Reſpectu vero poſterioris temporis doceri in hac cauſa errantes, regnum Chriſti quoque habiturum ſuas adverſitates & oppugnationes, verum Dei manu ita coërcendas & ſubigendas, ut os obloquentium & ſeſe veritati opponentium ad plenariam *ἐχεμυθίαν* tandem redigatur, & Eccleſia triumphis glorioſior ſub tutela Regis,

Digitized by Google

gis, ultima tranquillitate fruatur. Succedit iterum totius Prophetiæ analyſis, ſingulorum verborum expoſitio, & autoritas Prophetica demonſtrata per ſingulorum prædictorum implementum.

Loco epimetri, Phoſphoro huic Prophetico ſubjecta eſt diſſertatio de anno, die & menſe nati Chriſti, quem cum Herodis morte conjungendum ratus, contendit, & ceu ipſe p. 62 ſibi pollicetur, *ad omnium convictionem* probat eſſe diem 21 menſis Octobris anni Juliani 42. Quamvis vero ante hos viginti annos eandem fere ſententiam *Michaël Semſcballus* Jeſuita, ac ſimilibus fere argumentis defenderit in libro, qui inſcribitur: *Trias Evangelica, ſive Quæſtiones de anno, menſe & die Chriſti nati, baptizati, & mortui*, Leodii 1670. 4. quem celeberrimus Autor oculis uſurpaſſe haud videtur: non ingratum tamen lectoribus noſtris futurum exiſtimamus, ſi argumentum novæ iſtius, atque, ut ab Autore vocatur, paradoxæ diſſertationis hoc loco paucis expoſuerimus.

Tota in tres partes diſtincta eſt, quarum prima oſtendit omnia κριτήρια & fundamenta, quibus ſententiam de tempore nati Servatoris ſuperſtruere Chronologi hucusque conati ſunt, minime ſufficientia eſſe. Initio itaque facto ab æra vulgari, quæ a Dionyſio Exiguo Abbate Rom. A. 530 originem ducit, & Chriſtum natum ſupponit anno Juliano 46, demonſtrat illam primæ antiquitati incognitam, & incertis partim, partim falſis nixam fundamentis. Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alex. Euſebius, Sulpicius Severus & alii veteres eam omnes anticiparunt, triennio alii, plerique quadriennio. Neque ante Caroli M. ætatem uſurpata videtur, imo vix recepta demum ſub Eugenio IV, qui ad Pontificatum evectus eſt A. C. 1431. Ut prætereamus, incertum eſſe, an nativitatis a die 25 Dec. quæ Bedæ ſententia eſt, an quod plerique nec ineptis argumentis ducti malunt, conceptionis ſimul æram (25 Mart.) dare voluerit Dionyſius. Deinde nihil incertius eſſe affirmat traditione de die natali Chriſti 25 Dec. refellitque ea, quæ pro illa ex primis ſeculis (ſubleſtæ fere fidei) teſtimonia afferri ſolent; quod erudite & pluribus factum eſt a ſumme Reverendo Ittigio noſtro in diſſertatione tertia earum, quas appendici diſſertationis de hæreſiarchis Apoſtolicæ & Apoſtolis proximæ ætatis ſubjecit. Aſſentitur autem celeberrimorum virorum Grævii & Harduini

Part. I. Cap. 1.

Cap. 2.

ſententiæ, quorum ille in notis ad Lactantium de mortibus Perſecutorum, hic in Antirrhetico diem illum conjicit ab Ethnicorum uſu, qui die 25. Dec. natalem Solis celebrabant, ad Chriſti Solis Juſtitiæ natalem obeundum, per Chriſtianos ſeculi IV revocatum fuiſſe. Facile hinc rejicit argumenta futilia, quæ pro tempore brumali nativitatis Chriſti quidam allegarunt, v. gr quod Johannes ait, *oportet eum creſcere* Joh. III. 30, quaſi his verbis reſpexerit rationem anni, in quo fere a die 24 Junii dies decreſcunt, a 25 Dec. accreſcunt: & quod Zacharias, Baptiſtæ genitor, ſacra peregerit die ſolennis pro toto populo expiationis, cum tamen conſtet, Zachariam fuiſſe ex claſſe Abiæ, nec usquam inter Pontifices maximos memoretur Potius ſententiæ illi de die 25 Dec. non obſcure repugnare hiſtoriam ipſam Evangelicam monet, cum brumali tempori parum conveniant paſtores pecora ſua ſub dio alta nocte cuſtodientes, quos, ut eſt apud Calphurnium

Non fas ante greges in paſcua mittere clauſos,
Quam fuerit pacata Pales.

Neque ad cenſum inſtituendum fuiſſe oportunum tempus hiemem; quæ duo argumenta adverſus Kepleri exceptiones vindicat. Cap. 3. Neque vero ex deſcriptione Auguſti œcumenica tempus nati Chriſti accurate poſſe definiri, quod omnis fere ejus memoria ex hiſtoria Romana excidat. Cumque ter cenſum Populi Romani ab Auguſto actum memoret Suetonius, anno Juliano 18, 38, 59, nullum ex hiſce docet eſſe illam a Luca memoratam deſcriptionem, utpote quæ non fuerit ejusmodi cenſus ſive pecuniarum per capita exactio œcumenica, ſed collectio nominum, ad concinnandum rationarium Imperii; ut taceamus, deſcriptionem illam, a tempore edicti ad perfectam executionem, potuiſſe rem eſſe plurium annorum. Cap. 4. Neque ex locis Luc. III. 1 & 23. rem accurate decidi poſſe demonſtrat, cum incertum ſemper ſit, quomodo & a quo termino annus Tiberii decimus quintus computandus ſit, & ad minimum integram biennii latitudinem dubiam relinquat: deinde verba ἐτῶν ὡσεὶ τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, non minus controverſi ſenſus eſſe apud interpretes; denique Johannem potuiſſe incipere munus ſuum anno Tiberii XV, ac recepiſſe tamen Jeſum ad baptiſmum ſuum anno demum Tiberii XVI. Obiter etiam hic & in addendis

P.

Digitized by Google

p. 212, ſq. refellit Uſſerium aliosque, qui æræ Tiberii vulgari Pro-Conſularem ſubſtituerunt; at verba ἐτῶν ὡσεὶ &c. contra Scaligeri ſententiam reddit, *cum quaſi triginta annorum eſſet*. Porro nec calculo Ephemeriarum ſacerdotalium rem confici, adverſus eundem Scaligerum aliosque probat, ex Sculteto & Cloppenburgio monens, temere tanquam certum ſupponi, vicibus Hieraticis ab Antiocho interruptis & a Juda Maccabæo reſtitutis, primam in ordine familiam primo quoque munus ſuum iniiſſe. Cui accedit, quod unaquæque claſſis per ſingulos annos binas ſacris operandi vices obire debuit. Cap. 5.

Pars ſecunda temporibus Herodis accuratius inquirendis deſtinata eſt. Ex Dione ac Joſepho itaque docet, Herodem Aſcalonitam, Archelai & Herodis Tetrarchæ patrem, regia dignitate a Romanis decreto Senatus primum auctum eſſe C. Domitio Calvino II. & C. Aſinio Pollione Coſſ. anno U. C. 714, Juliano 6, period. Jul. 4674. circa autumnum. Cum vero Antigonus Herodi ſe oppoſuiſſet, Romanis præcipue auxiliis non ſat candide cum ipſo agentibus, poſt necem Antigoni demum regno potiri illi licuit anno U. C. 717, Juliano 9, period. Jul. 4677, ſimiliter autumnali tempore. Quæ altera regni Herodis epocha variis Joſephi locis diſertiſſime hic confirmatur, & adverſus Harduinum aliosque defenditur. Neque Joſephus, in hiſtoria Herodis pergens, aliter fere annos regni Herodis, quam a ſecunda hac epocha numerare ſolet. Mors Herodis, ut variis characteribus ex Joſepho collectis demonſtrat, præceſſit Paſcha anni Juliani 43 aliquot menſibus. Incidit igitur in annum Actiacum 28, Julianum 42, atque ut a R. Elieſere Joſephi æquali in Megillath Thaanith annotatum eſt, diem 7. Ciſleu ſive Novembris 25. Cui teſtimonio plurimum tribuendum eſſe, poſt Uſſerium, Noriſium, Schelſtratenum, minime dubitat. Examinatis inde variis ſententiis eruditorum virorum de Eclipſi Lunari, quam ſub ipſum Herodis letalem decubitum accidiſſe refert Joſephus 17. 8. Antiquitatum, contendit innui eam, quæ contigit anno Juliano 42, menſis Septembris die 5 labente. Part. 1, Cap. 2. Cap. 2, & 4. Cap. 3.

Parte tertia denique ſententiam Autor ſuam, variis argumentis confirmatam, proponit & explicat. Cumque breviter inquiſiviſſet, quare Evangeliſtæ, in deſcriptione nati Chriſti annum Herodis

rodis & Auguſti accuratius deſignare neglexerint, quod nempe minus curæ ipſis eſſet, in re præſertim nupera, temporis notationem addere, narrationem ipſam perſequi contentis: obſervat ex Matth.
Part. 3. II. 1. conſtare, Chriſtum natum ante mortem Herodis, adeoque
Cap. 1. ante diem 25 Nov. anni Juliani 42, quo ipſo plurimorum Chronologorum ſententiæ perſpicue evertuntur. Deinde Matth. II. 19. ſequ. diem ultimum exilii Chriſti inter Ægyptios, componi cum die mortis Herodis, & Matth. II. 22. ſequ. principium habitationis Nazarethanæ conjungi cum principio regiminis Archelai. Denique Luc. II. 39. diem a nato Domino quadrageſimum, quo Maria ſacra fecit, proxime connecti cum principio habitationis Na-
Cap. 2. zarethanæ, *ὡς ἐτέλεσαν, ὑπέστρεψαν.* Porro ſacra puerperii ſtatim poſt mortem Herodis, & proxime a reditu Chriſti ex Ægypto celebrata fuiſſe, inter egreſſum e loco exilii & ingreſſum in Galilæam ejusque civitatem Nazareth, ex collatione locorum Matth. II.
Cap. 3. 22. ſequ. & Luc. II. 39. manifeſtum eſſe videtur. Certe non fuerunt oblata ante fugam in Ægyptum, quia illis peractis non redierunt parentes Bethlehemum, ubi tamen a Magis ſunt inventi, Matth. II. 8. ſequ. ſed Nazaretham Luc. II. 39; neque cum publice in templo offerrentur, ullum amplius ab Herode periculum eſſe potuit, qui dum viveret, Hieroſolymis verſabatur: neque occulta amplius erat de nato Jeſu fama, qualis fuit, cum Magi adventaſſent Matth. II. 8. Quod ſi biennio demum poſt Magos acceſſiſſe ſtatuamus, natalis Chriſti referendus eſſet ad annum Julianum 40, quod res
Vid. p. 61. ipſa non fert, & refellitur ex Luc. III. 1. & 23. Proxime igitur a nativitate Chriſti, (non demum 16 diebus poſt, ut habet traditio Romana, nedum integris duobus annis interjectis) Magorum adventum ſtatuendum eſſe, minime ambigit, & adverſus Ægidii Strauchii exceptiones pluribus argumentis tuetur; inter adventum autem illorum in Bethlemum, abitumque in patriam, non plures u-
Cap. 4. no die interjungendos. Hinc collatione anni Juliani 42 cum Judaico facta oſtendit, res Herodis & Chriſti, quæ a Joſepho & Evangeliſtis tunc accidiſſe narrantur, intra anguſtum licet 40 dierum ſpatium commode poſſe compingi: qua in re maxima dubio procul poſita eſt ſententiæ hujus difficultas. Ac ne quis Herodem tempore nati Chriſti nondum ægrotaſſe objectet ex Matth. II. 8, reſpondet

Digitized by Google

det, Joſepho teſte Herodis morbum fuiſſe lentum & chronicum, ſatque valida quandoque habuiſſe intervalla, quibus potuerit pati, ut de loco in locum veheretur. Notat viciſſim, Joſephum & Mariam ideo cum recens nato Jeſu, poſt Herodis mortem, ad maturandum ex Ægypto reditum ab Angelo monitos fuiſſe, ut ſacra puerperii legitimo tempore Hieroſolymis celebrari poſſent, cum ad iter ex Ægypto non majore, ſecundum Autorem, opus fuerit quam quatuor dierum ſpatio. Nullo negotio deinde reſpondet ad objectionem ex Luc. III. 1. & 23, repetitis iis quæ ſupra part. 1. c. 4. obſervaverat. Nec minus facile epocham nati Chriſti a ſe ſtabilitam conciliat cum obſcuro & incerto calculo Ephemeriarum. Tantum denique abeſſe putat, ut ſententia illa ſua pugnet cum traditione Venerandæ Antiquitatis, ut quod ſummam rei attinet, annum nempe nativitatis Chriſti, præſtantiſſimos quosque Eccleſiæ Doctores, Juſtinum Martyrem, (ſiquidem ponamus, primam ejus Apologiam oblatam in Decennalibus Antonini) Irenæum, Tertullianum &c. ſecum ſenſiſſe putet; quod vero ſpectat tempus anni autumnale, in eo Chriſti nativitatem collocaſſe non modo ex recentioribus Beroaldum, Scaligerum aliosque, ſed & ex veteribus Cyrillum ac Clementem Alexandrinos.

Cap. 5. Cap. 6. Cap. 7.

Diſſertationem claudit appendix duplex, quarum prior ſedecim numos veteres, ſed jam vulgatos, exhibet atque illuſtrat. Tredecim priores ſub Præſidibus Syriæ cuſi ſunt, annos æræ Antiochenæ referentes, tres ſub Quintilio Varo, quinque ſub Silano, ſinguli ſub Petronio, Flacco, Caſſio, Quadrato & Publ. Licinio Muciano: reliquorum trium unus ſub Tiberio Imp. Pontifice Max. Antiochenorum (qui æram Actiacam etiam ſub Tiberio apud Antiochenos obtinuiſſe docet) & duo Herodis Tetrarchæ. Altera appendix geſta Herodis Magni annalium more non exigua cura & induſtria perſequitur.

JAC. B. QUADRATURA ZONARUM CYCLOIDALIUM PROmota; Problema item Centri grav. Sectoris ſolidi Cycloidici ſolutum.

Conf. Acta Lipſ. p. 316 & 427, Anni 1699.

QUemadmodum Problema Sectionis Angularis in ratione determinata numeri ad numerum Algebraicum eſt, ſed indefinite

TAB. X. Fig. I. te in data ratione quacunque tranſcendens: ita quoque Zonæ Cycloidales quadrabiles, qualis IKDB, algebraice quidem determinantur, ſicubi ratio arcuum AM & AL datur in numeris; indefinite vero & generaliter nulla æquatione algebraica finita exhiberi poſſunt, quamvis interim Problema faciliime conſtruere liceat hoc modo: Sit AC portio Cycloidis, A vertex, AH axis, AQ quadrans Circuli genitoris, H circuli centrum. Fiat AP perpendicularis & æqualis ipſi AH, datoque in ea ubivis puncto G biſecetur GP in R, ac junctæ HG ducatur parallela recta RS. Trajecta porro indefinite recta CF parallela ipſi HQ, quæ ſecet Cycloidem in C, Circulum Genitorem in E & axem in F, abſcindatur in HQ quarta proportionalis ad AH, AG & CE, quæ ſit HT: centro T radio Circuli Genitoris deſcribatur arcus circuli ſecans Cycloidem in duobus punctis, quorum remotius ab axe ſit U, per quod tranſeat recta UN, parallela ipſi HQ, & producta in O, ut ſit NO = HF: erit O ad curvam quandam OSP, quæ rectam RS ſecabit in puncto optato S: hinc enim ſi demittatur in axem SK parallela HQ, eique abſcindatur æqualis HI, ac per K & I agantur rectæ KD & IB, itidem parallelæ ipſi HQ, quæque ſecent Cycloidem in D & B, Circulum Genitorem in M & L, erit & Zona IKDB quadrabilis, h. e. æqualis triangulis rectilineis HAL - HAM + IAL - KAM; & arcus AM ad AL in ratione data AG ad AH, ut requirebatur. Demonſtrationem, quæ intellecta noſtra analyſi p. 427 A. 1699 neminem latere poteſt, addere ſuperſedeo. Inventio porro Sectoris ſolidi IBAD (fig. III, Tab. IV, Act. 1699) oriundi ex converſione Sectoris plani IAB circa axem AI, qui centrum grav. habeat algebraice determinabile, calculum requirit prolixum magis, quam arduum: Salvo enim hujus errore reperio, quod poſita $AH = 1$, ſumtaque $AK = \frac{1}{2} + \sqrt{\frac{1}{2}}$, & $KI = \frac{2}{3} + \frac{4}{3}\sqrt{\frac{1}{2}}$, diſtantia centri grav. Sectoris a vertice A ſit futura $\overline{9 + 22\sqrt{\frac{1}{2}}} : \overline{6 + 30\sqrt{\frac{1}{2}}}$.

DE FABA S. IGNATII EXCERPTA QUÆDAM EX EPIſtola P. Camelli ad J. Rayum & J. Petiverum, exhibita in Actis Anglicanis Societatis Regiæ, A. 1699. p. 87. ſeqq.

FAbæ S. Ignatii, quas Indus *Igaſur*, & *Mananaog*, i. e. Victorioſas; Hiſpanus nucleos, ſeu pepitas de *Byſayas*, aut *Catbalogan* vo-

Digitized by Google

TAB.
Fig.

Google

vocat, legitimæ ſunt Serapionis Nuces Vomicæ, quæ recentes ab argentea lanugine ſplendent, & inæquales, variæque formæ deprehenduntur. Harum non raro viginti quatuor in fructu quodam Melone majore, (qui delicatiſſima cuticula lævi, ſplendente & viroris luridi, ſubter quam alius cortex deliteſcit ſubſtantiæ quaſi lapideſcentis, cooperitur) coarctantur, carne quadam flava & molli interjecta. Sequitur hic fructus florem ſuum, & ſoboles eſt plantæ *Catalongay* & *Cantara* dictæ; quæ arbores quasvis altiſſimas ſeſe involvendo ſcandit, & truncum lignoſum, levem, poroſum, ad brachii quandoque craſſitiem accedentem, corticem ſcabrum, craſſum & cinereum, atque folia ampla, nervoſa, amara obtinet. Fabæ exſiccatæ avellanæ nuci cum putamine pares, nodoſæ, duriſſimæ, diaphanæ, & quaſi corneæ ſubſtantiæ ſunt, ſaporis ſemine citri multo intenſius amari, coloris autem inter album & glaucum medij, prout & ipſe Serapio tradidit. In inſulis Philippinis, quæ natale ipſis concedunt ſolum, magnarum æſtimantur virium. Potiſſimum præſervare a venenoſo maleficorum, varia aconita ore recondentium, inſufflato halitu, & ab omni veneno, peſte, contagio, incantationibus magicis, philtris &c. immunes præſtare dicuntur eos, a quorum collo amuleti inſtar propendent. Interne vel in infuſo, vel in ſubſtantia ſub pulveris forma, vel fruſtatim aſſumuntur. Vomitum utplurimum concitant, dejectiones quandoque, motus ſpaſmodicos & convulſivos fere ſemper in Hiſpanis, in Indis minime. Ad expellendum venenum vel compeſcendos nimios ſpirituum motus ſi exhibeantur, quocunque tempore, in aliis morbis mane jejuno ſtomacho, ad vomitum ciendum una alterave hora poſt paſtum ad ℈ß cum aliis levioribus emeticis ſumuntur. Collaudantur præterea nucum harum vires in febri tertiana & quartana; ad urinam & menſes provocandos; ſecundinam, fœtum mortuum, lumbricos pellendos; partum difficilem promovendum; dolorem colicum ſedandum; cruditates ventriculi, diarrhœam, teneſmum, hepatis atque lienis obſtructiones tollendas, &c. Nucis fragmentum, viperæ aliorumve animalium morſui, aut vulneri telo venenato inflicto impoſitum, venenum lapidis Colubrini inſtar adhærendo extrahit; ad hæmorrhagias cæteroquin ſiſtendas pulvis commendatur. In Catalepſi, Apoplexia,

Paralyſi, Lethargo, Epilepſia, Aſthmate, Catarrho ſuffocativo & Odontalgia, fruſtellum linguæ ſuppoſitum apophlegmatiſmi vices ſuſtinet, ita ut hoc modo agonizantes quaſi reſuſcitati fuerint, ut res ſuas componere adhuc valuerint. Oleum tandem per infuſionem, & aliud compoſitum ex nucibus paratur, iisdem viribus celebre.

EXPLICATIO FIGURARUM.

TAB. X. Fig. II. III. IV. — Fig. II. exhibet florem cum foliis plantæ Catolongay.
III. fructum illius plantæ, melone majorem.
IV. quatuor nuces vomicas legitimas Serapionis ſeu Fabas S. Ignatii.

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

ANonymi, Henrici Hammondi Paraphraſis & Annotationes in Nov. Teſt. vindicatæ. 362
Anonymi Chriſtianismus illuſtratus quoad hodiernas de Quietiſmo controverſias. 484
Anonymi Diſpunctio Notarum XL, quas Scriptor anonymus Emin. Cardin. Sfondrati libro inuſſit. 385
Anonymi Hiſtoria Flagellantium. 414
Anonymi Defenſio libri, Anguis in herba latens. 456
Annati (*Petri*) *Methodicus ad Poſitivam Theologiam Apparatus.* 537
Beſcheffer (*Germani*) *Declaratio data Ill. Archiepiſcopo Pariſienſi.* 383
Blackmore (*Richardi*) *Paraphraſis libri Jobi &c.* 298
Le Blanc (*Auguſtini*) *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis Divinæ gratiæ ſub Clemente VIII & Paulo V.* 317

Bos

Bos (*Lamberti*) *Diatribæ, in quibus Novi Fœderis loca e profanis auctoribus Græcis illuſtrantur.* 419
Braunii (*Joannis*) *Selecta ſacra.* 289
Burneti (*Gilberti*) *Expoſitio XXXIX Articulorum Eccleſiæ Anglicanæ.* 354
Calverii (*Caſparis*) *Fiſſuræ Sionis, h. e. de Schiſmatibus ac Controverſiis, quæ Eccleſiam Domini agitarunt.* 504
Carpzovii (*Jo. Benedicti*) *Diſputationes Academicæ.* 46
Charmot (*Nicolai*) *de cultu, quem Sinenſes Confucio & Defunctis exhibent.* 173
Clementis *Alexandrini Operum Supplementum cum præfatione Thomæ Ittigii.* 451
Cypriani (*Ernesti Salomonis*) *Annotationes in S. Hieronymi Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum.* 449
Delle (*Claudii*) *Hiſtoria aut Antiquitates Status Monaſtici & Religioſi.* 64
Doucin (*Ludov.*) *Hiſtoria Origeniſmi.* 471
Gobieni (*Caroli*) *Explanatio Cultus, quem Sinenſes Confucio & Defunctis exhibent.* 169
Grabii (*Jo. Erneſti*) *Spicilegium SS. Patrum ut & Hæreticorum Seculi II. Tom. I.* 271
Gregorii (*S. Georgii Florentii*) *Epiſcopi Turonenſis Opera omnia.* 437
Harduini (*Joannis*) *Chronologia Veteris Teſtamenti ad Vulgatam verſionem exacta & nummis antiquis illuſtrata.* 180
Von der Hardt (*Hermanni*) *Magnum Oecumenicum Conſtantienſe Concilium, ſex tomis comprehenſum.* 241
Hartmanni (*Philippi Jacobi*) *de rebus geſtis Chriſtianorum ſub Apoſtolis.* 398
S. Hieronymi *Catalogus Scriptorum Eccleſiaſticorum.* 449
Hofmanni (*Sigiſmundi*) *Cor Judæorum difficulter admodum convertendum.* 365
Jaqueloti *Diſſertationes de Meſſia.* 149
Ittigii (*Thomæ*) *Operum Clementis Alexandrini Supplementum, cum Faſciculo Obſervationum Miſcellanearum.* 451
Kidder (*Richardi*) *Bathonienſis & Wellenſis Epiſcopi Demonſtratio Meſſiæ. Pars III.* 539

Lomeieri (*Joannis*) *Additamenta in Jac. Lydii Agoniſticam Sacram.* 536
Lydii (*Jacobi*) *Agoniſtica Sacra.* 535
Du Mas *Hiſtoria quinque Propoſitionum Janſenii.* 214
Matthiæ (*Chriſtiani*) *Antilogia Biblica.* 22
Mayeri (*Jo. Friderici*) *de Romani Pontificis Electione Commentarius, una cum Acceſſionibus.* 544
Nicholls (*Guilielmi*) *Collocutionis cum Theiſta Pars IV.* 325
Petavii (*Dionyſii*) *Dogmata Theologica.* 230
Petitdidier (*Matthæi*) *Diſſertationes Hiſtoricæ, Criticæ, Chronologicæ in S. Sripturam Vet. Teſt.* 16
Pfeifferi (*Auguſti*) *Anti-Calviniſmus.* 431
Du Pin (*Lud. Ell.*) *Præfatio ad Biblia Sacra.* 1
Bibliotheca nova Scriptorum Eccleſiaſticorum
- - *Tomus X.* 32
- - *Tomus XI.* 56
- - *Tomus XII.* 97
La Placette (*Joannis*) *Tractatus de auctoritate ſenſuum contra Tranſubſtantiationem.* 225
Pontaſii (*Joannis*) *Sacra Scriptura ubique ſibi conſtans.* 18
Le Roux (*Sebaſtiani*) *Concordia quatuor Evangeliſtarum.* 82
Schelguigii (*Samuelis*) *Quakeriſmus refutatus.* 106
Schmidii (*Jo. Andreæ*) *Conſilium. de Centuriatorum Magdeburgenſium emendatione, defenſione atque continuatione.* 448
Strimeſii (*Samuelis*) *Critica Concionatoria cum Appendice de Gratia Dei univerſali & particulari.* 313
Surenhuſii (*Guilielmi*) *Miſchna, ſive totius Hebræorum Juris ſyſtema.* 127
Treviſani (*Bernhardi*) *Meditationes de Immortalitate Animæ.* 429
Van Till (*Salomonis*) *Phoſphorus Propheticus, ſeu Moſis & Habakuki vaticinia novo commentario illuſtrata &c.* 545
Witſii (*Hermanni*) *Miſcellaneorum Sacrorum Tomus alter.* 284

II. Libri Juridici.

BEtſii (*Nicolai*) *tractatus de Statutis, Pactis & Conſuetudinibus Familiarum Illuſtrium, cum Notis Jo. Schilteri.* 90

Bruſſe-

Digitized by Google

Bruſſelii (*Philiberti*) *tractatus de Conditionibus Teſtamentorum, Contractuum & Pactorum.* 229
Duran (*Pauli*) *de Conditionibus impoſſibilibus, contractibus & teſtamentis adſcriptis.* 229
Harprecht (*Ferdinandi Chriſtophori*) *Conſiliorum Tubingenſium*
- - *Volumen V.* 30
- - *Volumen VI.* 223
- - *Tractatus de Renunciatione Acquaſtus Conjugalis.* 135
Huberi (*Ulrici*) *Eunomia Romana, ſive Cenſura Cenſura Juris Juſtinianai.* 161
Krebs (*Philippi Helfrici*) *Tractatus Politico-Juridicus de Ligno & Lapide.* 316
De Lyncker (*Nicolai Chriſtophori*) *Rerum in Dicaſteriis Jenenſibus deciſarum Centuria quinque.* 224
Schilteri (*Joannis*) *de Pace Religioſa liber ſingularis.* 405
Surenhuſii (*Guilielmi*) *Miſchna, ſive totius Hebræorum Juris Syſtema.* 127
Weſtenbergii (*Jo. Ortwini*) *Principia Juris ſecundum ordinemn Iſtitutionum Juſtin.* 90

III. Libri Medici & Phyſici.

ANdry (*Nicolai*) *Tractatus de generatione Vermium in corpore humano.* 519
P. Camelli *epiſtola de Faba S. Ignatii, ſeu genuina Serapionis Nuce Vomica.* 552
Chevalerii (*Nicolai*) *Deſcriptio fragmenti Ambræ gryſeæ 182 librarum.* 466
Cowperi (*Guilielmi*) *de magni tendinis ſuram inter & calcem tranſverſim diſſecti, ſutura interveniente, unitione.* 23
- - *Deſcriptio duarum glandularum una cum ductibus excretoriis in corpore humano detectarum.* 255
Du Hamel (*Jo. Baptiſtæ*) *Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ* 108
Hartmanni (*Philippi Jacobi*) *ſuccincta Succini Pruſſici Hiſtoria & Demonſtratio.* 332

Digitized by Google

Mery (*Johannis*) *Obſervationes de modo ſecandi & extrahendi Calculum. Syſtema novum de Circulatione Sanguinis in fœtu humano per foramen ovale.* 460
Paſcalii (*Joannis*) *Tractatus de Thermis Borbonicis.* 494
Rau (*Jo. Jacobi*) *Reſponſio ad Defenſionem Frid. Ruyſchii.* 232
Riedlini (*Viti*) *Linearum Medicarum Annus V.* 254
Ruyſchii (*Frederici*) *Reſponſio ad Epiſtolam Anatomicam Chriſtiani Wedelii de Oculorum Tunicis.* 433
Senguerdi (*Wolferdi*) *Inquiſitiones Experimentales.* 314
Tyſonis (*Eduardi*) *Pygmæi Anatome, cum Cercopitheci, Simiæ & Hominis Anatomia comparata.* 506
Volckameri (*Jo. Georgii*) *Flora Noribergenſis, ſive Catalogus Plantarum in agro Noribergenſi tam ſponte naſcentium, quam exoticarum.* 526
Wedelii (*Georgii Wolfgang*) *Exercitationes Semiotico-Pathologica.* 367
Woodward (*Joannis*) *Meditationes & Experimenta circa Vegetationem.* 87

IV. Libri Mathematici.

Bartſchii (*Jacobi*) *Tabulæ manuales Logarithmicæ.* 381
Bernoullii (*Jacobi*) *Solutio propria Problematis Iſoperimetrici.* 261
- - *Nova Methodus expedite determinandi Radios oſculi ſeu Curvaturæ in Curvis quibusvis Algebraicis.* 508
- - *Quadratura Zonarum cycloidalium promota; problema item centri grav. Sectoris ſolidi cycloidici ſolutum.* 551
Bernoullii (*Joannis*) *de Solido rotundo minimæ reſiſtentiæ.* 208
- - *Augmentum ad novas ſpatiorum Cycloidalium Quadraturas, & de Centro gravitatis quadam.* 266
Eiſenſchmid (*Jo. Caſp.*) *Tabulæ manuales Logarithmicæ.* 381
Gregorii (*Davidis*) *Reſponſio ad Animadverſionem in Catenariam ſuam.* 301

de

- - de *Quadratura partium Lunulæ Hippocratis Chii.* 306
Du Hamel (*Jo. Baptiſtæ*) *Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ.* 108
Kepleri (*Joannis*) *Tabulæ manuales Logarithmicæ.* 381
Leibnitii (*Godofredi Guilielmi*) *Reſponſio ad Dn. Nic. Fatii Duillerii imputationes. Acceſſit nova Artis Analyticæ promotio &c.* 198
De Monforte (*Antonii*) *de Siderum intervallis & magnitudinibus: de Problematum determinatione.* 124
De Moralec *Nova Machina pro attollendis aquis.* 139
Savery (*Thomæ*) *Machina aquam ope ignis attollens.* 29
Sturmii (*Jo. Chriſtophori*) *Matheſis juvenilis.* 370
Walliſii (*Joannis*) *Operum Mathematicorum Volumen III.* 193
- - *Epiſtola concernens Quadraturam partium Lunulæ Hippocratis Chii.* 306

V. Libri Hiſtorici.

ANonymi Hiſtoria Henrici II ultimi Ducis Montmorencii. 40
Anonymi Deſcriptio Aulæ Portugallicæ ſub moderno Rege Petro II. 467
Begeri (*Laurentii*) *Numiſmatum Romanorum, quæ in cimeliarchio Electorali Brandenburgico aſſervantur, Series ſelecta.* 145
Le Blanc (*Auguſtini*) *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ ſub Clemente VIII & Paulo V.* 337.
Connor (*Bernardi*) *Hiſtoria Poloniæ.* 77
Crenii (*Thomæ*) *Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum Pars VI.* 92
- - *Pars VII.* 236
Delle (*Claudii*) *Hiſtoria ſtatus Monaſtici & Religioſi.* 64
Deſeine (*Franciſci*) *Novum Italiæ Itinerarium.* 94
Doucin (*Ludovici*) *Hiſtoria Origeniſmi.* 471
Le Gendre (*Ludovici*) *Specimen Hiſtoriæ Regni Ludovici Magni.* 141
Gregorii (*S. Georgii Florentii*) *Turonenſis Epiſcopi Opera omnia.* 437
Hackii (*Guilielmi*) *Sylloge variorum Itinerum.* 443
Du Hamel (*Jo. Baptiſtæ*) *Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ.* 108
Har-

Harduini (*Joannis*) *Chronologia Veteris Teſtamenti.* 180
Henninii (*Henr. Chriſtiani*) *Annotationes in Jac. Tollii Epiſtolas Itinerarias.* 274
Hieronymi *Catalogus Scriptorum Eccleſiaſticorum.* 449
Lloyd (*Guilielmi*) *Series Chronologica Olympiadum, Pythiadum, Iſthmiadum, Nemeadum.* 380
Marini *Vita Procli Philoſophi Platonici, cum notis Jo. Alberti Fabricii.* 426
Du Mas *Hiſtoria quinque Propoſitionum Janſenii.* 214
Mayeri (*Jo. Friderici*) *de Romani Pontificis Electione Commentarius una cum Acceſſionibus.* 544
Mulleri (*Joannis Sebaſtiani*) *Annales Electoralis Ducalisque Domus Saxonicæ ab A. 1400 ad A. 1700.* 409
Nicolſon (*Guilielmi*) *Bibliotheca Hiſtorica Anglicana Pars III.* 244
De Piles *Hiſtoria Compendioſa Vitæ Pictorum.* 532
De Rabutin, *Comitis de Buſſy, Hiſtoria Ludovici XIV Regis Franciæ & Navarræ.* 142
Ruinart (*Theoderici*) *Opera Gregorii Turonenſis Epiſcopi.* 437
Sagittarii (*Caſparis*) *Hiſtoria Gothana plenior.* 158
Schudt (*Jo. Jacobi*) *Compendium Hiſtoriæ Judaicæ ex Gentilium Scriptoribus.* 512
Smithi (*Thomæ*) *Vita Joannis Gravii.* 514
Tenzelii (*Wilhelmi Ernesti*) *Diſcurſus de inventione Typographiæ in Germania.* 152
- - *Margaretha Auſtriaca, Electricis Saxoniæ, verus dies emortualis demonſtratus.* 155
Toland (*Joannes*) *Vita Johannis Miltoni.* 372
Tollii (*Jacobi*) *Epiſtolæ Itinerariæ.* 274

VI. Philoſophici & Philologici Miſcellanei.

Begeri (*Laurentii*) *Theſauri Electoralis Brandenburgici Continuatio &c.* 145
Bos (*Lamberti*) *Diatribæ, in quibus Novi Fœderis loca e profanis autoribus illuſtrantur.* 419
Caninii (*Angeli*) *Helleniſmus.* 397

Cau-

Cauſci (*Michaëlis Angeli*) *de la Chauſſe gemmæ antiquæ delineatæ.* 481
Ciampini (*Joannis*) *Veterum Monimentorum, in quibus præcipue Muſiva opera illuſtrantur, Pars II.* 446
Crenii (*Thomæ*) *Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum*
- - *Pars VI.* 92
- - *Pars VII.* 236
- - *Theſaurus librorum Philologicorum, & Hiſtoricorum.* 396
- - *Præfatio ad Angeli Caninii Helleniſmum.* 397
Dacier (*Andreæ*) *Vita Platonis, & in ejusdem opera Notæ.* 49
Dryden (*Joannis*) *Fabulæ antiquæ & modernæ ex Homero, Ovidio, Boccacio & Chaucero, Anglico carmine translatæ, una cum Poematibus propriis.* 321
Fabricii (*Jo. Alberti*) *Prolegomena & Notæ in vitam Procli, ſcriptore Marino,* 426
Faliſci (*Gratii*) *Cynegeticon.* 94
Giannettaſii (*Nicolai Parthenii*) *Bellica,* 297
Henninii (*Henr. Chriſtiani*) *Annotationes in Epiſtolas Itinerarias Jac. Tollii.* 274
Johnſon (*Thomæ*) *Notæ in Cynegeticon Faliſci & Nemeſiani.* 94
Leti (*Gregorii*) *Epiſtolæ,* 12
Ludolphi (*Jobi*) *Theatrum Mundi, ſeu Deſcriptio rerum Seculo XVII geſtarum.* 85
Nemeſiani (*M. A. Olympii*) *Cynegeticon.* 94
Platonis *Opera in linguam Gallicam translata.* 49
Taſſoni (*Alexandri*) *Annotationes in Vocabularium Academicorum della Cruſca.* 132
Temple (*Guilielmi*) *Epiſtolæ,* 445
Treviſani (*Bernhardi*) *Meditationes de Immortalitate Animæ.* 429

INDEX RERUM
NOTABILIORUM
in hoc Volumine obviarum.

Digitized by Google

ABbates *quando baculo paſtorali uti cœperint?* 69
Academiæ *Regiæ Scientiarum Pariſienſis hiſtoria & obſervationes,* 118. *ſqq.*
- - *della Cruſca ſeu Furfurariorum Vocabularium emendatum.* 132. *ſeqq.*
De Acido & *Alcali hypotheſis exploſa.* 525
Actio *ad palinodiam cum criminali ad fuſtigationem poteſt conjungi.* 229
Adoptandi *facultas num caſtratis recte abjudicata?* 164
Advocatiæ *Quedlinburgenſis origo.* 410
Ægypti *Regum ac Dynaſtiarum catalogi exploſi.* 183
Ægyptiorum *Delta cum Fœderato Belgio comparatum.* 296
Æra *Chriſti vulgaris incerta falſisque nixa fundamentis.* 547
- - *quando fuerit recepta?* 547
Aeris *vis motrix.* 110
- *atmoſphærici natura & affectiones variæ.* 315
Alberti *Auſtriaci favor erga Jeſuitas.* 344
Albigenſes *hæreſeos accuſati.* 39
Albinus *(Petrus) notatus.* 557
Alcali *productum eſt ignis.* 498
De Alcali & *Acido hypotheſis exploſa.* 525
Alchymiſtici *impoſtores.* 278. 281
In Algebra *uſus artis combinatoriæ.* 207
Algebraica *inventa Academiæ Regiæ Scientiarum,* 109. *ſeqq.*
Algebraicæ *literæ indiſcriminatim adhibitæ non ſatis utiles.* 208
Alexandri *(Natalis) contentiones cum Jeſuitis.* 339
Ambra *num idem quod ſuccinum?* 333
Ambræ *gryſeæ fragmentum raræ magnitudinis.* 466
- *generatio & virtutes.* 467
Amor *Dei non excludit penitus amorem ſui ipſius.* 485. 498.
- *noſtri non tollendus, ſed amori Numinis ſubmittendus.* 490
Analyſis *problematis, Solidi rotundi minimæ reſiſtentiæ, conſtructi.* 209
Analytica *Curva, faciei cujusdam hominis lineamenta deſignans.* 196
Analyticæ *artis nova promotio ex deſignatione per numeros aſſumtitios loco literarum.* 206. *ſeqq.*
In Analyticis *uſus numerorum fictitiorum.* 208
Analyticorum *problematum determinatio.* 126
Anaſtaſius *Sinaita notatus.* 454
Anatome *Pygmæi.* 506

Ana-

Anatomicæ *obſervationes Academia Regia Scientiarum*. 109. *ſq.*
Angeli *nomine in Scriptura S. eximium quidque venit.* 397
Angioſpermæ *planta qua?* 527
In Anglia *num Jus Romanum receptum?* 248
- - *qualis olim moneta?* 2 0. *ſeqq.*
Angliæ *Regum ſigilla.* 246. *ſeqq.* 253
- - *tituli varii.* 247
- - *numiſmata.* 250. *ſeqq.*
Anglicanæ *Eccleſia doctrina articulis* 39 *comprehenſa*. 354. *ſeqq.*
Animæ *beate defunctorum num ſtatim ad viſionem Dei intuitivam admittantur?* 59 *ſeqq.*
Animæ *immortalitas demonſtrata.* 429. *ſeqq.*
- - *humana eſſentia.* 430
Annatus (*Petrus*) *notatus.* 539
Annui *orbis parallaxis quomodo inveſtiganda?* 125
- - *ſenſibilis.* 197
Anticolica *remedia.* 255
Anthelminthicis *ſolis cedit lues Venerea.* 523
Anthelminthicum *emplaſtrum aliaque remedia.* 525
Antimonii *radiis Solaribus calcinati pondus augetur.* 109
Apoſtoli *num omnes cruentam mortem ſubierint?* 274
- - *num Epiſtolas ſuas ad Judæos, an ad Gentiles ſcripſerint?* 290. *ſeqq.*
- - *in prima Chriſtianorum Societate regentes ariſtocratici.* 400
Aqua *num principium vegetabilium?* 87. *ſeqq.*
- *terreſtribus & mineralibus corpuſculis impragnata.* 87
- - *a frigore dilatatur.* 109
Aquæ *ſimplicis potus num humores pravos generet?* 526
Aquis *in altum tollendis nova machina.* 139
Arbores *in ſylvis ſuccidendi jus reſtrictum.* 318
Ariani *unde dicti Exocionitæ?* 456
Ariſtotelis *librorum in Gallia fata.* 38
Arnaldi (*Antonii*) *geſta in controverſia Janſeniſtica.* 219. *ſeqq.*
Arnaldus (*Antonius*) *refutatus.* 232
Arteria *aorta & pulmonalis in adultis æquales, inæquales in fœtu.* 465
Articuli *fidei & articuli doctrinæ non confundendi.* 357
Arthritis *per iram expugnata.* 255
Aſcarides *ut lardo evocentur?* 525
Aſſyriorum *Regum nomina nova ratione explicata.* 184
Aſtronomicæ *obſervationes Academia Regia Scientiarum*. 109. *ſeqq.*

Atmoſphæræ *terreſtris altitudo.* 125

Atmoſphærici *aëris naturâ & affectiones.* 395

Aves *num ex aqua, an ex terra creatæ?* 19

Auguſti *œcumenica Deſcriptio tempore Chriſti facta, qualis?* 548

Autocheiria *tentata ab opifice num efficiat apud Collegium?* 228

De Auxiliis gratiæ *controverſia inter Dominicanos & Jeſuitas.* 337. *ſeqq.*

BAculi *Paſtoralis antiquitas.* 68. *ſeqq.*

Baji (*Michaëlis*) *doctrina damnata.* 216

Balænarum *feracius mare Auſtrale, quam Septentrionale.* 444

Balſamus *ſuccineus Hartmanni.* 335

Ante Baptiſmum *decedentes infantes quo ſenſu dici poſſint carere culpa propria?* 386

- - *num damnentur?* 387

Baronii *Cardinalis invectiva in doctrinam Ludovici Molinæ.* 345

Bartiſchianum *inſtrumentum correctum.* 233 435

Bartſchii *tabulæ Logarithmicæ.* 381

Beguardorum *ſecta.* 63

Bellarmini *Cardinalis inconſtantia in cauſa Ludovici Molinæ.* 345. 346. 349.

- - *Controverſiarum diſcrepantes editiones.* 347

Bellica *ars nitidiſſimo carmine deſcripta.* 297

Bellidis *virtus humores reſolvendi.* 255

Benedictinorum *fervor in libro de Imitatione Chriſti Thomæ de Kempis abjudicando.* 101. *ſq.*

Bibliorum *vulgata verſio commendata.* 181.

Bibliotheca *Anglicana Juridica.* 243. *ſeqq.*

- - *Berolinenſis.* 277

- - *Cæſarea Vindobonenſis.* 280

- - *Dresdenſis.* 278

- - *Guelferbytana.* 275

Bigamiæ *pœna num infligenda adultero, cui uxor ignoſcere noluit, ſi aliam uxorem duxerit?* 227

Bilibra *Vorſtii refutata.* 542

Borbonienſium *thermarum deſcriptio.* 494. *ſeqq.*

- - *Vide* Thermæ.

Brandenburgicæ *Domus Unio hæreditaria cum Domo Saxonica & Haſſiaca.* 413

Brandenburgici *cimeliarchii numiſmata.* 145

Burggraviorum *a Dohna genealogia.* 13. *ſeqq.*

CAinan *a Luca Genealogiæ Joſephi inſertus, cur a Moſe omiſſus?* 182

Cali-

Calidi *fotus frequentioris occaſione contracta cataracta oculi.* 369
Calviniana *dogmata refutata.* 431
Camillus Glorioſus *notatus.* 127
Cancer *mammæ notabilis.* 370
In Cancroſæ *mammæ doloribus ſedandis vis radicis Seleri.* 254
Canon *Veteris Teſtamenti vindicatus.* 326. *ſeqq.*
De Canum *venaticorum cultura Scriptores.* 95
Carmelitarum *Ordo num ab Elia Propheta fundatus?* 73. *ſeqq.*
Carnifici *num curatio agrorum permittenda?* 228
Carolus *I. Rex Angliæ num auctor libri* Εἰκὼν Βασιλικὴ? 376
Caſtratis *facultas adoptandi abjudicata.* 164
Cataracta *oculi occaſione fotus calidi frequentioris contracta.* 369
Catenaria *Dav. Gregorii defenſa.* 301. *ſeqq.*
Caupones *cereviſiarii num teneantur de recepto?* 229
Cauſam *plenam effectui integro reſpondere, axioma eſt Metaphyſicum circa motum.* 196
Centri *gravitatis ſectoris ſolidi cylindracei problema ſolutum.* 551
De Centuriis *Magdeburgenſibus defendendis, emendandis, continuandis Conſilium.* 448
Cephalæa *occaſione futurarum in cranio deficientium enata.* 368
Cercopithecorum *ſpecies veterum Cynocephali, Satyri, Sphinges.* 508
Cerebri *ventriculos in duobus pueris hydrocephalis quanta ſeri copia occuparit?* 113
- - *portionis per nares excretio.* 369
Chaldaica *lingua num antiquior quam Hebræa?* 9. 16
Characteriſticæ *notæ maximum meditandi ſubſidium.* 208
Chauceri *Poëtæ Angli elogium & character.* 323. *ſeqq.*
Chimæræ *nonnullæ illuſtratæ.* 481
Chinenſes. *Vide Sinenſes.*
Chorea *S. Viti, morbus in Germania obſervatus.* 369
Choroideæ *tunicæ duplici lamella conſtantis ſtructura vaſculoſa.* 434
Chriſti *genealogia explicata.* 188
- - *Deſcenſus ad Inferos varie explicatus.* 358
- - *Meritum quatenus ad infantes ante Baptiſmum mortuos pertineat?* 388
- - *nati annus, menſis, dies.* 547. *ſeqq.*
- - *nativitas in diem 25 Decembris conjecta Ethnicorum imitatione.* 547. *ſeqq.*
- - *nativitas num in brumam inciderit?* 548

Digitized by Google

- - ad diem 21 Oct. anni Juliani 42 fixa. 547. 549. ſeqq.
Chriſtianæ Religionis veritas aſſerta. 149. ſeqq. 330. ſeqq.
- - Eccleſia facies ſub Apoſtolis. 398. ſeqq.
- - Reipublica primæva quæ forma regiminis? 400. ſeqq.
Chriſtophorſonus notatus. 454
Chriſtus fueritne Nazaræus? 71. ſeqq.
- Summus Sacerdos. 294
Chronologia Veteris Teſtamenti illuſtrata. 180
Chryſoſtomus cur in exilium pulſus? 479
Chymica experimenta Academiæ Regiæ Scientiarum. 109. ſeqq.
Ciliares nervi. 434
Ciliaris ligamenti conformatio. 434. 437
- - proceſſus conformatio. 434. 436
Cingarorum per Hungariam conditio. 283
Circulatio ſanguinis in fœtu nova ratione per foramen ovale deſcripta & adſtructa. 464. 465
Clavius notatus. 127
Clemens VII Pontifex quibus artibus impeditus fuerit, quo minus Moliniſmum proſcriberet? 348. ſeqq.
Clementis Alexandrini de Salute divitum libelli fata. 451
- - Adumbrationes in Catholicas quaſdam Epiſtolas, & Fragmenta. 452
- - Scripta cur Apocrypha a Gelaſio dicta? 453
- - num ab omni errore immunia? 453
- - - hiſtoria latronis a Joanne Evangeliſta converſi. 454
Clericus (Joannes) refutatus. 362
Cochinilla quid? 525
In S. Cœna num Corpus & Sanguis Chriſti ſint præſentia? 361
Le Cointe (Carolus) refutatus. 442
Colicam adverſus remedi[illegible] 255
Combinatoriæ artis uſus in Algebra. 207
Cometæ ab Academia Regia Scientiarum obſervati. 113. ſeqq.
Conchæ margaritiferæ. 281
Concilia primi ſeculi fictitia. 455
Concilii Conſtantienſis Hiſtoria. 97
- - - Acta. 241. ſeqq.
- quinti Acta num integra, an mutilata? 480
Concilio generali num ſubjecti Romani Pontifices? 98
Confeſſio in tortura facta num revocabilis? 228.
Confraternitas hæreditaria inter Domum Saxonicam & Haſſiacam. 413
Confucius quo cultu a Sinenſibus afficiatur? 170. ſeqq. 175. ſeqq.

Digitized by Google

Congregationum *de Auxiliis gratiæ Divinæ Hiſtoria*. 337. 347 *ſq.*
Conjugalis *aequaſtus renunciatio.* 135. *ſeqq.*
Conſtantienſis *Concilii Hiſtoria*. 97
- - - *Acta locupletiſſima.* 241. *ſeqq.*
Conſularia *Romanorum numiſmata.* 147
Controverſiarum *Janſeniſticarum origo & progreſſus.* 216. *ſeqq.*
Copal *reſina num ſuccinum?* 333
Cörberi *(Caſpari) obitus.* 290
Cornua *cervina arboribus inolita.* 276. *ſeqq.*
In Cranio *deficientes futuræ cauſa cephalææ.* 368
Creditores *abſolute privilegiati in concurſu æquali jure gaudent.* 31
Crepuſculinæ *materiæ altitudo.* 125
Cruces *ſtationales quæ?* 447
Curva *analytica faciei cujusdam hominis lineamenta deſignans.* 196
Curvarum *quarundam algebraicarum oſculi radios determinandi methodus.* 508
Curvatura *navis quæ utiliſſima?* 211
Cuſano *Cardinali jam olim conſiderata Cyclois.* 197
Cyclois *Cuſano & Bovillo jam olim conſiderata.* 197
Cycloidalium *ſpatiorum Quadraturæ augmentum novum.* 266. *ſeqq.* 551
Cycloidum *contractarum ſegmenta quadrabilia quomodo determinentur?* 270
Cynegeticorum *Scriptores.* 95
Cynocephali *veterum ſpecies ſunt cercopithecorum.* 508
Cypriani *Epiſtola ad Stephanum ſitne genuina?* 455
Cyſtis *fellea leonis ſeptem veluti ſepimentis interſtincta.* 119
DAmaſi *opera genuina, an ſuppoſita?* 456
Danielis *ſeptuaginta hebdomades nova ratione explicatæ.* 188
Danielis *(Gabrielis) contentiones cum Natali Alexandro.* 340
Debitorum *abſolute privilegiatorum in concurſu creditorum æqualis conditio.* 31
Dei *voluntas antecedens & conſequens quomodo diſtinguantur?* 389. 394
- - *Salvifica univerſalis aſſerta.* 390. *ſeqq.*
Delta *Ægyptiorum cum Fœderato Belgio comparatum.* 296
Demetrii *Alexandrini Epiſcopi odium in Origenem unde?* 471 473
Didymus *Alexandrinus Origenis ſectator.* 477
Dionyſii *Exigui æra Chriſti vulgaris incerta falſisque nixa fundamentis.* 547

fere

- - *ſero recepta.* 547
Divortium *ex variis cauſis licitum.* 227. 375
A Dohna *Burggraviorum genealogia.* 13.
Domesday *Book, liber cenſualis Angliæ.* 248
Dominicanorum *cum Facultate Theologica Pariſienſi diſſidia.* 38
- - *cum Jeſuitis de Auxiliis Gratiæ Divinæ controverſia.* 337. *ſeqq.*
Domino *num imputari queat culpa ſervi aut ancillæ?* 224
Dramata *Joannis Dryden laudata.* 322
Dryden (*Joannis*) *elogium & ſcripta quædam.* 321. 379
Duacenſis *Academia cum Jeſuitis contentiones.* 3-3
EBræa *lingua diverſa a Chaldaica.* 9. *ſeqq.*
- - *eadem cum Cananea.* 9. *ſeqq.*
Eccleſiæ *Chriſtianæ facies ſub Apoſtolis.* 398. *ſeqq.*
- *Schiſmatum hiſtoria.* 504 *ſeqq.*
Eccleſiaſtica *bona quatenus ſecularisari poſſint?* 408
Eclipſes *Planetarum variæ obſervatæ.* 109. *ſeqq.*
Edomiticorum *Regum ſeries Gen. XXXVI* 8
Edzardi (*Eſdræ*) *in convertendis Judæis dexteritas.* 543
Elias *num fundaverit Ordinem Carmelitarum?* 73
Eliæ *Prophetæ veſtitus.* 72
Emplaſtrum *anthelminthicum.* 525
In Empyemate *bis feliciter facta paracenteſis thoracis.* 254
- - *latente obſervata per ſex menſes ſalivatio.* 369
Emtori *periculum rei venditæ ſuſtinendum, etſi venditor dominium rei, donec pretium exſolvatur, ſibi reſervaverit.* 32
Epicum *poema num in libro Jobi expreſſum?* 299
Epiſcopos *inter & Presbyteros diſcrimen.* 232
Epiſtolæ *variorum.* 93. 195. *ſeqq.* 237
Eraſmus *refutatus.* 64. *ſq.* 73
Eſdræ *uni num omnes Vet. Teſt. libri tribuendi?* 325
Evangeliſtarum *concordia.* 82. 541. *ſeqq.*
Exocionitæ *cur dicti Ariani?* 456
Expenſas *in foro num ſolvere teneatur, cui pœna capitis in fuſtigationem aut multam pecuniariam converſa eſt?* 227
Experimenta *Academiæ Regiæ Scientiarum.* 109. *ſeqq.*
FAba *S. Ignatii.* 552. *ſeqq.*
Fabricius (*Georgius*) *correctus.* 157
Faciei *cujusdam hominis lineamenta deſignans Curva analytica.* 196

Digitized by Google

In Falcidiam *de legatis detrahendam imputantur fructus tempore intermedio percepti.* 226
Fellea *cyſtis in leone ſeptem veluti ſepimentis interſtincta.* 119
Ferri *in æs commutatio.* 483
– *in magnetem commutatio.* 120
Feudi *dominus mente captum ad ſucceſſionem feudalem admittere poteſt, invitis ſimultaneè inveſtitis.* 227
Fides *num contradicat ſenſibus?* 530. *ſeqq.*
In Fiſtula *ani proſunt oſſa ſepiæ calcinata.* 255
Fixarum *Stellarum diſtantiæ a Terra per parallaxin orbis annui inveſtigandæ modus.* 125
Flagellantium *hæreſi infecta aliquando Thuringia.* 410
- - - *hiſtoria.* 414. *ſeqq.*
Flagellationum *in Eccleſia Romana uſus a Gentibus derivatus* 416
– *impugnatus.* 414
- - *olim incognitus.* 417
In Fœtu *circulatio ſanguinis nova ratione per foramen ovale deſcripta & defenſa.* 464. *ſeqq.*
Fornicum *firmitas unde?* 302
Franciæ *Hiſtorici quantum debeant Gregorio Turonenſi?* 438
Friderici *II Imperatoris contentiones cum Romanis Pontificibus.* 32. *ſeqq.*
Fridericus *Placidus Elector Saxoniæ quo die obierit?* 156
Fridericus *Sapiens Elector Saxoniæ titulo Locum tenentis Generalis Imperii decoratus.* 411
Frigoris *vis in aqua dilatanda.* 109. 111. 121
Fructiferæ *Societatis in Germania origo & Directores.* 413. *ſq.*
Fuſtigatio *an ab omni Magiſtratu merum imperium habente mutari in multam pecuniariam poſſit?* 228
GAllorum *in Luſitania commoda quibus mediis procurentur?* 470
Gemmæ *antiquæ illuſtratæ.* 481
Genealogiarum *fabuloſarum Judæi magis quam ipſi Gentiles ſtudioſi.* 291
Genevenſis *urbis diſſidia civilia.* 15
Gentiles *& Chriſtianæ religionis ignari num æternæ ſalutis capaces?* 360. 395
Geometrica *inventa Academiæ Regiæ Scientiarum.* 110
Georgii *Barbati, Ducis Saxoniæ, fruſtraneum pro conſervanda Religione Romano-Catholica ſtudium.* 411
Gerſon *(Joannes) num auctor libri de Imitatione Chriſti?* 102 *ſeqq.*
Glandulæ *duæ novæ cum vaſis excretoriis in pene detectæ mucoſæ, earumque uſus.* 255. *ſq.*

Digitized by Google

Gonorrhœæ *Venerea materia unde?* 260
Græca *Eccleſia num ob negatam Spiritus S. a Filio proceſſionem illico damnanda?* 360
Gratia *Dei univerſalis ut a particulari diſtinguatur?* 313
- - *aſſerta.* 390. *ſeqq.*
- - *ſufficiens quo ſenſu efficax?* 392
- - *num uberior aliquando reprobis quam electis, e.g. Judæ quam Petro detur?* 393
- - *num obduratis plane ſubtracta?* 383. 393.
De Gratia *Divina controverſia inter Jeſuitas & Dominicanos.* 337. *ſeqq.*
Gravii (*Joannis*) *Vita & Scripta.* 514. *ſeqq.*
Gregorii (*Davidis*) *Catenaria defenſa.* 301
Gregorii *Nazianzeni teſtamentum.* 66. *ſq.*
Gregorii *Turonenſis Operum editiones variæ.* 437
- - *in Hiſtoria Francica auctoritas.* 438
- - *Scripta genuina & ſpuria.* 440
- - *Hiſtoria Francorum num interpolata ab alio?* 442
Gretſerus (*Jacobus*) *flagellationum ſpontanearum patronus refutatus.* 418
Grotius (*Hugo*) *refutatus.* 232
In Grue *Africana ſtructura Tracheæ.* 118
Gruum *cum Pygmæis certamen haud mere fabuloſum.* 507
Gummi *origo.* 88
Guttenbergius *Typographiæ inventor.* 154
Gymnoſpermæ *plantæ quæ?* 527
HAbakuki *Prophetia explicata.* 546
Hæreſiarcharum *quorundam fragmenta.* 272
Hæreſium *numerus præter cauſam multiplicatus.* 404
Hammondus (*Henricus*) *vindicatus.* 361
Harduinus (*Johannes*) *refutatus.* 455
Haſſiacæ *Domus Confraternitas cum Domo Saxonica.* 413
Hebdomades *LXX apud Danielem nova ratione expoſitæ.* 188
Heinſius (*Daniel*) *notatus.* 422
Herodis *Aſcalonitæ tempora inveſtigata.* 549. 551
Herodoti *cum Chronologia Veteris Teſtamenti conſenſio.* 180
Hieronymus *emendatus.* 450
- - *Origeniſtarum adverſarius.* 477
- - *Auguſtinum aliquandiu adverſarium expertus.* 477
Hieroſolymitana *Chriſtianorum*

Digitized by Google

Eccleſia ex Politia & Ariſtocratia mixta. 400
Hippocratis *Lunulæ partium Quadratura.* 306. *ſeqq.*
Hiſtoria *Ludovici XIV Galliæ Regis.* 141. 142
- *Gothana.* 158.
- *Judaica.* 181. *ſeqq.* 512. *ſq.*
- *Janſeniſmi.* 214. *ſeqq.*
- *Pictorum.* 532. *ſeqq.*
- *Congregationum de Auxiliis gratiæ* 337. 347. *ſeqq.*
- *Saxonica.* 409
- *Flagellantium.* 414
- *Luſitanica.* 468
- *Joannis II Regis Luſitaniæ.* 469
- *Origeniſmi.* 471
- *Schiſmatum & Controverſiarum Eccleſiaſticarum.* 504
- *Henrici II ultimi Ducis Montmorancii.* 40. *ſqq.*
- *Status Monaſtici.* 64. *ſeqq.*
- *Poloniæ.* 77
- *Seculi XVII.* 85
- *Concilii Conſtantienſis.* 97
- *Academiæ Regiæ Scientiarum.* 108
Homerus *cum Virgilio comparatus.* 323
Horologiorum *variatio pro diverſitate regionum.* 111
Hoſpitalius *Marchio explicatus.* 211
Huberi (*Ulrici*) *vita & obitus.* 168
In Hydrocephalicis *quanta ſeri copia ventriculos cerebri occuparit?* 113
In Hydrophobia *ſeu Rabie canina unde averſio ab omnibus liquidis?* 368
Hydropicorum *ſerum ſale volatili fœtum.* 117
Hyoſciami *ſuccus traumaticus.* 254
JAcobo *Apoſtolo num permiſſum fuerit ingredi in SanctumSanctorum?* 71
Janſenii *quinque Propoſitiones quo ſenſu ab Innocentio X damnatæ?* 217. *ſq.*
Janſeniſmi *Hiſtoria.* 214. *ſeqq.*
Janſeniſtarum *inter ſe diſſenſiones.* 221
Janſeniſticarum *controverſiarum Scriptores.* 215
Jeſuitæ *quatenus probent cultum, quem Sinenſes Confucio & Defunctis exhibent?* 170. 173 *ſeqq.*
Jeſuitarum *cum Dominicanis controverſiæ de Auxiliis gratiæ Hiſtoria.* 337
- - *Theologia fluctuans.* 341. *ſeqq.*
- - *receſſus a doctrina D. Thomæ ab ipſo licet Ignatio præſcripta.* 342 *ſeqq.*
- - *artes in impedienda*

Pontificum Romanorum definitione controverſia de Auxiliis gratiæ. 347. *ſeqq.*
- - *Moralis doctrina examinata.* 493.
Ignatianarum *epiſtolarum mango non Apollinariſta, ſed Arianus.* 273
S. Ignatii *patria & ſcripta.* 271. 273
Ignis *uſus in attollendis aquis.* 29
Ignorantia *num a peccato abſolvat?* 395
De Imitatione Chriſti *libri quis auctor?* 100. *ſeqq.*
Immortalitas *animæ aſſerta.* 429. *ſq.*
Imperatorum *Romanorum lites cum Romanis Pontificibus.* 32. 56
Indulgentiarum *in Regno Portugalliæ nundinatio.* 468
Infallibilitas *Romani Pontificis in cauſa Janſeniſmi in diſceptationem vocata.* 217. 222
Infantes *ante Baptiſmum decedentes quo ſenſu dici poſſint carere culpa propria?* 386
- - - *num damnentur?* 387. 389
- - - *num conſequantur beneficium æternæ vitæ præſtantius?* 388
Ad Inferos *deſcenſus Chriſti varie explicatus.* 358
Innocentii *XII Rom. Pont. obitus Chronoſticho notatus.* 544.
Inquiſitionum *ſacrarum auctoritas exploſa.* 344
Inſectorum *differentia.* 520
Inſpiratio *librorum ſacrorum aſſerta.* 327. *ſq.*
- - - - - *qualis?* 5. *ſq.*
In Inteſtina *lupi cervarii injectus liquor porta ramos pervaſit.* 118
Inteſtini *in ileo crepatura.* 369
Joachimus *Abbas Floriacenſis num prophetiæ dono fuerit inſtructus?* 35
- - *fueritne hæreticus?* 39
Jobi *liber Anglico carmine deſcriptus.* 298
- - *num poëma Epicum?* 299
- *libri auctor quis?* 183. 300
- *ætas & patria.* 300
Johannes *Baptiſta cur miracula nulla patraverit?* 287
Johannes *Georgius II Elector Saxoniæ Societati Fructiferæ adſcriptus.* 414
Johannis *XXII Pontificis de ſtatu Animæ beate defunctorum ſententia.* 59
Johannis *Pariſienſis ſingularis ſententia de præſentia corporis Chriſti in S. Cœna.* 61
Joſephus *Patriarcha ſub variis nominibus pro Deo cultus.* 294
Ira *remedium contra arthritidem.* 255.
Iridis *oculorum arteriolæ.* 437
Iſchuriæ *deſperatæ ſigna.* 370
Iſraëlis *decem tribus num in America ſuperſint?* 543

Iſo-

Iſoperimetrici *Problematis ſolutio.* 262
Italiæ *Itinerarium.* 94
Italicæ *Linguæ vocabularium Academiæ Furfuratorum emendatum.* 132 *ſeqq.*
Judaica *Hiſtoria.* 181. *ſeqq.*
Judæi *Chriſtum Meſſiam negantes refutati.* 149. 151
- *qua methodo convertendi?* 543. 367
- *jam tempore Chriſti & Apoſtolorum per gentes diſperſi.* 290
Judæorum *flagellationes.* 415
- *Philoſophia* 291. *ſq.* 295.
Jura *circa lignum.* 317
- *circa lapides.* 319
Juris *Romani vindiciæ adverſus obtrectatores.* 162. *ſeqq.*
Jurii (*Petri*) *de Theologia Myſtica tractatus ſub examen vocatus.* 490. *ſeqq.*
Jus *commune Angliæ quodnam?* 244. *ſeqq.*
De Juſtificatione *controverſia.* 288
Juſtiniani *Imperatoris parentes, patria, conjux.* 91
Juſtinianus *Imp. fueritne analphabetus?* 91
Juſtinus *illuſtratus.* 512

KAufungiani *plagii veritas aſſerta.* 156
De Kempis (*Thomas*) *num auctor libri de Imitatione Chriſti?* 100
Keplerus *refutatus.* 548

LAmbecius *confutatus.* 427
De Lapidibus *condita jura.* 319. *ſeqq.*
Launojus (*Joannes*) *refutatus.* 455
Legata *num valeant rupto per agnationem poſthumi teſtamento?* 31
Per Legatarii *liberos num veniant nepotes, ſi is ante teſtatorem moriatur?* 229
Legitima *liberis parentibusque relinquenda.* 92
Leibnitii (*Gothofredi Wilhelmi*) *Epiſtola.* 195. *ſeqq.*
Leon (*Jacobus Jehuda*) *inſignis Rabbinus.* 131
Leopoldi, *Auguſtiſſimi Imperatoris, in communicandis manuſcriptis ad Acta Concilii Conſtantienſis ſpectantibus benignitas.* 243
- *Pinacotheca inſignis.* 281. *ſq.*
Liberi *num luant parentum delicta?* 20
- *apud Sinenſes quanta veneratione Parentes proſequantur?* 170. *ſqq.*
- *naturales Regum Portugalliæ titulo Celſitudinis Regiæ honorantur.* 469
De Ligno *condita jura.* 317. *ſeqq.*
Lingua *Ebræa, an Chaldaica antiquior?* 9. *ſq.* 16.
Lipſius *notatus.* 263
Literæ *Algebraicæ indiſcriminatim adhibitæ non ſatis utiles.* 208

Digitized by Google

Lithotomia *Jacobi Beaulieu deſcripta & improbata.* 461. 462
Lithotomiæ *adminiſtrandæ modus accuratus.* 463
Logarithmicæ *tabulæ Kepleri & Bartſchii.* 381
Logica *ad uſus vitæ communis traducta.* 194
Londinenſis *Magiſtri Civium dignitas.* 15
Longitudines *locorum multo arctiores iis, quæ in tabulis Geographicis deſignantur.* 116
Loquelæ *formatio mechanica.* 193
Lovanienſis *Academiæ cum Jeſuitis contentiones.* 343
Lucretii *luculenta editio à Gerardo de Vries promiſſa.* 278
Ludovici *XIV Galliæ Regis Hiſtoria.* 141. 142
Lullius (*Raymundus*) *hæreſeos accuſatus.* 62
Lumbrici *lati à pleuritico excreti deſcriptio ac delineatio.* 523. 528
Lumen *internum, Quakeriſmi principium.* 106. *ſeqq.* 459
Lunulæ *Hippocrateæ portionum Quadratura.* 307
Lupanaria *num Jure Romano permiſſa?* 165
Luſitaniæ *Hiſtoria.* 467
MAcedoniorum *Reges.* 187
Machina *tollendis in altum aquis.* 29. 139.
Maculæ *in Planetis ab Academia Regia Scientiarum obſervatæ.* 113. *ſeqq.*
Magi *num Chriſtum ſtatim poſt nativitatem adoraverint?* 550
Magiſtratus *civilis poteſtas circa ſacra.* 406
In Magnetem *verſa fruſta rubiginis ferreæ.* 120
In Mamma *cancroſa vis anodyna radicis Seleri.* 254
- - *cancer notabilis.* 370
Mannæ *origo.* 88
Margaretha *Auſtriaca Friderici Placidi Electoris Saxoniæ conjux quo die mortua?* 135
Maritus *adulter, cui uxor ignoſcere non vult, alia ducta uxore, ut adulter, non ut bigamus puniendus.* 227
Martis *Parallaxi diſtantia Solis à Terra inveſtigabilis.* 125
Mater *num tutela liberorum fungi queat quoad bona feudalia?* 226
Mathematica *experimenta ab Academia Regia Scientiarum facta.* 109. *ſeqq.*
Matheſis *juvenilis Sturmiana.* 370
Matrimonium *inter comprivignos num licitum?* 168
Maximilianus *Imperator Pontificis dignitatis Candidatus.* 545
Mechanica *inventa Academiæ Re-*
- - *problemata axiomati Megia Scientiarum.* 109. *ſeqq.*
Meditandi *maximum ſubſidium notæ characteriſticæ.* 208
Meibomii (*Henrici*) *obitus.* 290
ta-

taphyſico tanquam fundamento innixa. 196
Mendici *in ſenio defuncti divitiæ num confiſcari poſſint, tanquam validi mendicantis?* 229
Menſuras *inter & Pondera analogia.* 517
Mentelius (*Johannes*) *num primus inventor typographiæ?* 154
Mercurialis *virgæ vanitas.* 279. 283
De Meſſia *vaticinia in Chriſto adimpleta.* 150. 539. *ſeqq.*
Meſſiæ *dies quo ſenſu ultimi?* 543
Metempſychoſin *num ſtatuerit Pythagoras?* 76
Methodius *fueritne amicus an hoſtis Origenis?* 475
Methodus *menſurandæ Terreſtris diametri.* 125
- - *determinandi radios oſculi Curvarum Algebraicarum.* 508
Mexicanorum *quondam Regum juramenti quis ſenſus?* 317
Miltoni (*Johannis*) *Vita.* 371. *ſeqq.*
Itinera. 373
Scripta. 374
Conjugium infauſtum. 374
Miſchnæ *nova editio.* 127
- - *verſio in Latinam linguam a variis facta.* 129
Molinæ (*Ludovici*) *de Auxiliis gratiæ doctrina num Romæ condemnata?* 338. 344. *ſeqq.*
Molinoſii *Quietiſtarum principis ſyſtema pauciſſimis recte intellectum.* 492
Monachis *olim num licuerit ad aliud vitæ genus tranſire?* 65
- - *num interdicta bonorum poſſeſſio?* 66
Monaſtici *ſtatus hiſtoria & antiquitates.* 64. *ſeqq.*
Monetæ *Anglicanæ ratio.* 250. *ſq.*
Montmorancii *ultimi Ducis Henrici II Hiſtoria.* 40
- - *cur primi Barones Chriſtiani dicti?* 42
Moralis *doctrina Myſticorum comparata cum Morali doctrina Jeſuitarum.* 493
Mortuis *qualem cultum Sinenſes præſtent?* 170. *ſeqq.*
Moſes *num auctor Pentateuchi?* 6. *ſeqq.* 17.
Moſis *Canticum ſeu Vaticinium Deuter. XXXII illuſtratum.* 545
Muſiva *opera a Jo. Ciampino illuſtrata.* 446. *ſeqq.*
Myſtica *diſciplina nec cum virtutibus Theologicis, nec cum Moralibus confundenda.* 484. *ſeqq.*
- - *perceptio eſt arcana Dei in hominis anima operatio.* 485
- - *arte comparari aut certis regulis comprehendi nequit.* 485. 488. 489

num

- - *non neceſſaria ad ſalutem.* 486
- - *ex libris hauriri nequit.* 486. *ſeqq.*
- - *illuſionibus obnoxia.* 487. *ſeqq.*
Myſticæ *Theologiæ natura explicata.* 484. *ſeqq.*
- - *expoſitio Jurii ſub examen vocata.* 490. *ſeqq.*
- - *diſcrimen a perceptione Myſtica.* 491. *ſq.*
- - *Syſtema componi nequit.* 492
Myſticorum *librorum inutilitas.* 486. 488. 492
- - *Scriptorum mira diſſenſio unde?* 488
- - *Comparatio cum Quietiſtis.* 489
- - *Moralis doctrina num præferenda Morali doctrinæ Jeſuitarum?* 493.
NAvaretta (*Dominicus*) *inconſtantiæ accuſatus.* 172
- *defenſus.* 178
Naudæi (*Gabrielis*) *fatum in controverſia de auctore libri de Imitatione Chriſti.* 101 *ſeqq.*
Navis *Curvatura quæ utiliſſima?* 211
Nazaræi *cum Monachis comparati.* 70
Nervi *ciliares.* 434
Newtoni (*Iſaaci*) *elogium.* 203
Nicæni *Canones num plures quam viginti?* 455
In Nicæno *Symbolo quare addita vox Homouſii?* 356
Nitrum *volatile in thermis Borbonicis.* 496. *ſq.*
Notæ *characteriſticæ maximum meditandi ſubſidium.* 208
Nuces *Vomicæ Serapionis genuinæ, earumque vires.* 552
Numerorum *fictitiorum uſus in Analyticis.* 208
Numiſmata *Cimeliarchii Brandenburgici.* 145. *ſeqq.*
- - *Romanorum Conſularia.* 147
- - *Regum Angliæ.* 250
- - *illuſtrata.* 551
OBduratis *num peccata, quæ committunt, imputentur?* 383
- - *num omnis gratia Divina ſubtracta ſit?* 383. 393
Oculorum *tunicæ octo.* 433
- - *adnata tunica vaſa innumera.* 433
- - *tunica Ruyſchiana.* 434. 436
- - *iridis arteriolæ.* 437
Olei *S. Johannis deſcriptio.* 254
Oleorum *deſtillatorum analyſis.* 112
Olfactum *quid ſuaviter afficiat?* 88
Olympiadum *ſeries Chronologica.* 380
Olympiodori *ætas.* 274

locus

- - *locus de triplici purgatione animæ.* 427
Opifex *injuriatus, ſi actionem injuriarum omiſerit, collegio ejicitur.* 229
Orandi *donum num Naturæ, an Gratiæ?* 391
Orbis *annui parallaxis quomodo inveſtiganda?* 125
- - *ſenſibilis.* 197
Origenes *cur a Demetrio Alexandrino Epiſcopo excommunicatus?* 473.
- - *ſenſeritne cum Arianis?* 475. *ſq.*
Origenis *libri Principiorum hæreticis dogmatibus referti.* 472
- - *hæreſis orta ex intempeſtivo ſtudio religionem Chriſtianam Platonicæ Philoſophiæ accommodandi.* 472
- *Adverſarii.* 471. 473. 475. 476
- *poſt obitum fata.* 474. 475. *ſeqq.*
Origeniſmi *hiſtoria.* 471. *ſeqq.*
Originale *peccatum in quo conſiſtat?* 386. *ſeqq.*
Oſculorum *radii in Curvis quibusdam Algebraicis quomodo determinandi?* 508
Oſiris *Ægyptiorum non alius quam Joſephus.* 294. *ſq.*
Ovidius *cum Chaucero Poeta Anglo comparatus.* 323
Ovula *vermium quot modis corpori humano ſe inſinuent?* 520
Ex Ovulis *generatio vermium.* 520
PAchomius *monaſtica diſciplinæ magiſter.* 66
- *Origenis doctrinæ infenſus.* 474
Pacis *Religioſæ in Germania ſancitæ origo & juſtitia.* 405. *ſeqq.*
Ex Pactis *nudis num oriatur obligatio ad agendum efficax?* 164
Pagi *(Antonii) Critica in Annales Baronii.* 143
Palladius, *Epiſcopus Helenopolitanus, Origeniſmo infectus.* 479
Paracenteſis *thoracis in Empyemate feliciter facta.* 254
Per Parallaxin *orbis annui diſtantiæ Fixarum a Terra inveſtigandæ modus.* 125
Parallaxis *orbis annui quomodo inveſtiganda?* 125
- - *ſenſibilis.* 197
Parentibus *defunctis qualem cultum Sinenſes præſtent?* 169. *ſeqq.* 173. *ſeqq.*
Paſchalis *(Blaſii) geſta in controverſia Janſeniſtica.* 219. *ſeq.*
Paulus *JCtus vindicatus.* 167
- *V Pontifex Romanus cur Bullam Moliniſmi condemnatoriam non promulgaverit?* 353
Peccatum *originale in quo conſiſtat?* 386. *ſeqq.*

ex ignorantia num detur? 395
Pendulorum *variatio.* 111
In Pene *detecta glandula duæ nova, earumque uſus.* 255. 256
Pentateuchi *auctor num Moſes?* 6. 17.
- *Samaritani cum Ebræo collatio.* 12. 16
Pes *antiquorum Romanorum.* 517
Petavius (*Dionyſius*) *ab Arianiſmi ſuſpicione vindicatus.* 230
- - *Patrum antiquiorum cultor.* 231
Petri *II Regis Portugalliæ elogium.* 468
Phalangoſis *medela chirurgica.* 233
Phariſæi *Judæorum Philoſophi.* 292
Phariſæorum *Ordo laudatus.* 74
Philippus *Imperator fueritne Chriſtianus?* 474
Philoponi *de æternitate Mundi opus.* 428
Phyſicæ *obſervationes Academiæ Regiæ Scientiarum.* 109. *ſeqq.*
Pictoriæ *artis idea.* 533
Pictorum *celebriorum vitæ.* 532
Planetæ, *præter Terram, num a rationalibus creaturis habitentur?* 301
Planetarum *a Terra diſtantia quomodo inveſtiganda?* 125
- - *Semidiameter vera.* 125
Plantæ *quæ angioſpermæ, quæ gymnoſpermæ?* 527
Plantarum *nutritio terreisne magis, an aqueis particulis debeatur?* 87. *ſeqq.*
- *analyſes ab Academia Regia Scientiarum facta.* 110. *ſeqq.*
- *Noribergenſium catalogus.* 526
Platonis *elogium.* 49. *ſeqq.*
- *Philoſophia.* 52
- *Commentatores.* 55
A Pleuritico *excretus lumbricus latus miræ magnitudinis.* 523. 526
Plica *Polonica num tuto ſecetur?* 81
- *brutis etiam familiaris?* 81
Poëtæ *veteres, Græci & Latini, in linguam Anglicam translati.* 322
Poloniæ *Hiſtoria.* 77. *ſeqq.*
Polycrates *explicatus.* 450
Polypi *ſigna* 369
Pontifex *Maximus olim apud Judæos typus Chriſti.* 293
- *Romanus quo ſenſu Epiſcopus Generalis dici poſſit?* 538
- *quo ritu eligatur?* 544
Pontifices *Romani num Concilio univerſali ſubjecti?* 98
Pontificum *Romanorum geſta adverſus Fridericum II Imperatorem.* 32. *ſeqq.*
- - *Schiſmatis origo.* 60
- - *Infallibilitas in cauſa*

Janſeniſtica in dubium vocata. 217. 222
- *Bullæ ſibi contradicentes.* 392
- *ſumma in Regno Portugalliæ auctoritas.* 468. 470
Portugallicæ *Aulæ Deſcriptio.* 467
In Portugalliæ *Regno quanta auctoritas Romani Pontificis?* 468. 470
- *Libri Regum naturales Regiæ Celſitudinis titulo honorantur.* 469
Poſneri (*Caſpari*) *obitus.* 289
Poſſeſſio *in hæredes ipſo jure ſine pravia apprehenſione tranſiens, fictane an vera?* 227
De Prædeſtinatione *controverſia.* 361. 394
Pragenſis *pinacotheca in arce Regia.* 279
Presbyteros *inter & Epiſcopos diſcrimen.* 232
Privilegium *per non uſum non tollitur.* 227
Problemata *Mathematica publice proponi intereſt.* 199. *ſq.*
Problematis *ſolidi rotundi minima reſiſtentia conſtructi analyſis.* 209
- *Iſoperimetrici ſolutio.* 261
- *centri gravitatis ſectoris ſolidi cycloidici ſolutio.* 551
Problematum *Analyticorum determinatio.* 126
- - *Mechanicorum omnium fundamentum axioma Metaphyſicum.* 196
Procidentia *uteri & in virginibus obſervata.* 370
Procli *Philoſophi Platonici vita.* 426. *ſeqq.*
- *Scriptorum accuratus catalogus.* 428
- Επιχειρήματα *num hodieque extent?* 428
Pruſſici *Succini deſcriptio.* 332
Pulmonalis *arteria & aorta in adultis æquales, inæquales in fœtu.* 465
Pupillæ *dilatatio & conſtrictio quibus organis peragatur?* 434
Purgatio *animæ triplex ex mente Platonicorum.* 427
Pygmæi *anatome.* 506
Pygmæi *certa ſimiarum ſpecies.* 507
- *cum pumilionibus non confundendi.* 508
- *num certent cum gruibus?* 507
Pyramidum *Ægypti deſcriptio & uſus.* 516
Pythagoras *monaſticæ cujusdam diſciplinæ auctor.* 75
- *num Metempſychoſin ſtatuerit?* 76
- *fueritne Propheta Ezechiel?* 76

Quadrabilia *ſegmenta cycloidum contractarum quomodo determinentur?* 270
Quadratura *portionum Lunulæ Hippocrateæ.* 307
Quadraturarum *zonarum cycloidalium novum augmentum.* 266. *ſq.* 551.

Quakeriſmus *confutatus*. 106. *ſqq.* 456. *ſeqq.*
Quakerorum *principium univerſale Lumen internum*. 106. *ſeqq.*
Quedlinburgenſis *Advocatia quomodo Domui Saxonicæ acquiſita?* 410
Quietiſtæ *cum Origeniſtis comparati.* 478
- *cum Myſticis comparati.* 489. 491

In RAbie *canina unde averſio ab omnibus liquidis?* 368
Raderus *notatus.* 457
Radii *oſculorum in Curvis quibusdam Algebraicis quomodo determinandi?* 508
Rechabitæ *qui?* 287
Reformati *Pacis Religioſæ in Germania participes.* 407. *ſq.*
Reformationis *Eccleſiaſticæ in Germania ſuſceptæ juſtitia aſſerta.* 405. *ſeqq.*
Reipublicæ *Chriſtianæ primæva forma.* 400. *ſeqq.*
- - *ærarium.* 402
Religionis *Chriſtianæ veritas aſſerta.* 149. *ſeqq.* 330. *ſeqq.*
Religionum, *Pontificiæ, Evangelicæ, Reformatæ comparatio.* 505
Religioſæ *Pacis in Germania ſancitæ juſtitia.* 406
Religioſi *ſtatus hiſtoria & antiquitas.* 64. *ſeqq.*
Renaldinus *notatus.* 127
Reſurrectio *mortuorum num clare in Vet. Teſt. revelata?* 150
Retinæ *tunicæ conformatio.* 435
Revelationes *pro Moliniſmo defendendo ficta.* 346. *ſq.*
Romæ *urbis origo in gemma expreſſa.* 483
Romani *Juris vindiciæ adverſus obtrectatores.* 162. *ſeqq.*
Romani *Pontifices. Vide* Pontifices.
Romanorum *Anti-Paparum origo.* 60
Rosweidæ *ſtudium Thomæ de Kempis vindicandi librum de Imitatione Chriſti.* 101
Rudolphi Auguſti, *Sereniſſimi Brunsvicenſium Ducis, elogium.* 242. 244
Rufi (*Conradi Mutiani*) *Epiſtolæ edendæ.* 159
Ruyſchiana *oculorum tunica.* 434

SAbbathum *ſecundo-primum unde?* 84
Saccharum *in copia ingeſtum adverſus vermes commendatur.* 525
Sacramentum *Confirmationis num ex Clementis Hiſtoria latronis a Johanne Evangeliſta converſi probari poſſit?* 454
Sacrificii, *quod Sinenſes Parentibus defunctis & Confucio offerunt, cerimoniæ.* 173. *ſeqq.*
Sal *in fodinis gravius, quam cum libero aëri eſt expoſitum.* 82
- - *volatile in hydropicorum ſero.* 117

Salis

Salis *fodina in Polonia.* 81
Salivatio *in Empyemate latente.* 369
Salomon *auctor libri Jobi.* 183
Samaritanarum *literarum antiquitas.* 11
Sammarthanorum *in Gallia Chriſtiana error.* 441
Sanguineus *vomitus interdum vaſi debetur brevi in ventriculum hianti.* 369
Sanguinis *in fœtu circulatio nova ratione per foramen ovale explicata.* 464. *ſq.*
Satyri *veterum ſpecies cercopithecorum.* 508
Saxonicæ *Domus Hiſtoria.* 409 *ſeqq.*
- - *Jus in ditiones Juliacenſes.* 412
- - *Unio hereditaria cum Brandenburgica & Haſſiaca Domo.* 413
- - *Confraternitas hareditaria cum Domo Haſſiaca.* 413
Scaliger *refutatus.* 549
Schiſmatis *in Eccleſia Romana oborti origo.* 60
Schooten *notatus.* 127
De Scientia *Media lites.* 342. *ſeqq.*
Scientiæ *mediæ primus inventor quis?* 345
Slerσticæ *tunicæ vaſcula nova.* 434
Scripturæ *S. Veſt. Teſt. num qui libri deperditi?* 2
- - *num ipſa etiam verba Divinitus fuerint inſpirata?* 5
- - *Verſio Vulgata quo ſenſu dicatur authentica?* 12. 17. 181
- - *Divina auctoritas aſſerta.* 326. *ſeqq.*
- - *vera eloquentia vindicata.* 328
- - *methodus defenſa.* 329
- - *obſcuritas unde?* 329
Scripturæ *S. loca illuſtrata.*
Gen. I. 20. 19
20. 20
II. 19. 19
17. 20
III. 15. 150
XXXVI. 1. ſeqq. 8
Exod. I. 8. 20
XIV. 20. 20
Levit. XII. 2. 4. 21
Num. XII. 1. 21
XXI. 14. 2
Deut. V. 1. 22
XXXII. 2. ſeqq. 545
I. Reg. XII. 8. 184
II. Paral. X. 8. 184
XV. 19. 184
XXIV. 20. 84
Pſalm. LXXIIX. 25. 397
Eſai. VI. 1. ſeqq. 295
Ezech. VIII. 14. 294
Dan. IX. 24. ſeqq. 188
Hab. 1. ſeqq. 546
Hagg. II. 6. 540. 542

Digitized by Google

Matth. I. 1. ſeqq. 188
II. 11. 419
V. 17. 540
VIII. 32. 541
X. 34. 540
XI. 5. 530
XXI. 41. 84
XXIII. 35. 84
XXVII. 60. 419
Marc. XI. 13. 420
XIV. 30. 541
Luc. I. 17. 18 420
III. 1. 23. 548
36. 182
IV. 24. ſeqq. 189
XI. 41. 420
XII. 29. 420
XVII. 35. 420
XVIII. 13. 420
XX. 16. 84
35. 420
XXIV. 38. 39. 530
Joh. I. 45. 420
II. 15. 421
VII. 20. 421
XVII. 9. 390
Act. I. 13. 421
II. 24. 421
V. 3. 421
36. 421
XVI. 13. 421
XVII. 14. 421
XXVII. 13. 422
Rom. I. 24. 394
V. 1. 2. 422
VII. 21. 422
IX. 3. 285
20. 422
XII. 1. 423
XIII. 13. 423
I. Cor. IV. 13. 423
IX. 27. 45
XI. 7. 19
II. Cor. IV. 2. 423
Gal. III. 1. 423
IV. 22. ſeqq. 286
Eph. VI. 15. 536
Philipp. II. 6. 423
IV. 3. 274
Coloſſ. I. 13. 291
II. 8. 291
15. 292
I. Theſſ. III. 10. 424
II. Theſſ. II. 7. 424
I. Petri III. 19. 558
I. Joh. IV. 18. 425
Hebr. VI. 4. 424
X. 12. 424
XI. 37. 72
Apoc. VII. 14. 536
VIII. 1. ſeqq. 293
Scribæ *publici apud Judæos olim fuerintne Prophetæ?* 3
Scroti *tunica carnoſa in duos ſacculos ſphæroideos expanſa deſcribitur.* 233
- - *in dubium vocatur.* 235
Seculum *num cum anno nonageſimo nono finiatur?* 153
Segmenta *cycloidum contractarum quadrabilia quomodo determinentur?* 220

Se-

Seleri *radicis vis anodyna in mamma cancroſa.* 254
Seneſchalli (*Michaelis*) *ſententia de anno, menſe & die nati Chriſti.* 547
Senſus, *ratio, fides, tria lumina ſibi ſubordinata.* 530
Senſuum *auctoritate deſtructum dogma de Tranſubſtantiatione* 529
- *certitudo aſſerta.* 530
Sepiæ *oſſa calcinata in fiſtula ani proſunt.* 255
Serapionis *nuces vomica genuina.* 552
Seri *copia magna in ventriculis cerebri in hydrocephalis deprehenſa.* 113
Serum *hydropicorum ſale volatili fœtum.* 117
Sfondratus *Cardinalis vidicatus.* 385. *ſeqq.*
- - *refutatus.* 455
Sigillis *quando & privati in Anglia uti cœperint?* 249
Sigillorum, *quibus Anglia Reges uſi, varietas.* 246. *ſq.* 253
Sigiſmundi, *Herbipolitani Epiſcopi, filii Friderici Bellicoſi Electoris Saxoniæ, fata.* 410
Simiarum *ſpecies Pygmæi.* 507
Simon (*Richardus*) *refutatus.* 3. *ſeqq.* 236
Sinenſes *qualem cultum Confucio & Defunctis exhibeant?* 169 *ſq.* 173. *ſeqq.*
- *literati num Athei?* 179
Situla rapta, *poema Alexandri Taſſani.* 133
Smectymnus, *liber.* 374
Societatis *Fructiferæ in Germania origo & Directores.* 413. *ſq.*
Socrates, *Hiſtoria Eccleſiaſtica ſcriptor, refutatus.* 475
Solidi *rotundi minima reſiſtentia constructi problematis analyſis.* 209
- *Sectoris cycloidici centri gravitatis problema ſolutum.* 551
Solis *a Terra diſtantia unde petenda, & quanta?* 125
Solium, *vermis ſpecies, deſcriptum ac depictum.* 519. *ſqq.*
In Somno *a fœminis admiſſa ſtupra.* 228
Specifica *cephalica, hepatica &c. aſſerta.* 526
Spermatici *vermes non habendi pro re toto genere præternaturali.* 521
Sphinges *veterum ſpecies cercopithecorum.* 508
Spinoza *refutatus.* 325
De Spiritus *S. proceſſione a Patre & Filio controverſia num tanti momenti?* 359. *ſq.*
Sterling *quale moneta genus Angliæ?* 251
Stifferi (*Jo. Andreæ*) *obitus.* 290
Strauchius (*Ægidius*) *refutatus.* 550
Stupra *an a fœminis in ſomno admitti poſſint?* 228
Subſtantia *quatenus a ſenſibus percipiatur?* 531.

Succini *Pruſſici hiſtoria*, 332. *ſeqq.*
- - - *generatio*, 333. *ſq.*
- - - *matrix*. 334
Succiniferæ *regiones quæ?* 333
Succino *incluſa animalcula aliaque unde?* 335
Sues *num Dæmonis poteſtati recte a Chriſto permiſſi?* 541
Suidas *emendatus*. 91
Surdus *loqui doctus*. 194
Symbolicorum *librorum apud Proteſtantes auctoritas, tum Laicorum, tum Clericorum reſpectu*. 357
Symbolorum *in prima Eccleſia varietas*. 355
Symbolum *Eccleſiæ Anglicanæ 39 articulis comprehenſum*. 354
- *qua polleat auctoritate?* 357
Syndico *præcedentia præ Conſule aſſerta*. 229
TAbaci *uſus frequentior mortem accelerat*. 526
Tabellarius *pecuniam fidei ſuæ creditam amittens ad reſtitutionem jure adigitur*. 224
Tæniarũ *ſeu lumbricorum latorum inteſtinalium duæ ſpecies*. 522
Talmudici *operis utilitas*. 295
Taſſoni (*Alexandri*) *elogium & ſcripta*. 132. *ſq.*
Taxus *non arboris ſolum, ſed & animalis nomen*. 73
Templarii *juſtene an injuria fuerint extincti?* 57. *ſeqq.*
Tendinis *magni in tibia defecti ſutura*. 23
De Tendinum *ſutura diſſenſus Auctorum*. 26
A Terra *quanta diſtantia Solis?* 125
- *diſtantia Planetarum quomodo inveſtiganda?* 125
- - *Fixarum diſtantia*. 125
Terra *num principium vegetabilium?* 87. *ſeqq.*
Terrarum *fertilium analyſis*. 112
Terreſtris *diametri menſurandæ methodus*. 125
- - *magnitudo*. 125
- *atmoſphæra altitudo*. 125
Teſtamenti *Novi loca e profanis auctoribus Græcis illuſtrata*. 419
Teſti *num aliquando non credendum niſi in tortura?* 167
Thammuz *Ezech. VIII quis?* 294
Theophilus *Alexandrinus Epiſcopus Origeniſtarum & Chryſoſtomi perſecutor*. 478. *ſq.*
Thermarum *Borbonienſium deſcriptio*. 494
- - *generatio*. 495. 499.
- - *ſubſtantia contenta*. 496.
- - *vires*. 500
- - *uſus*. 502. 503
- - *nitrum volatile*. 496. *ſq.*
- *evaporatio quomodo inſtituenda?* 497. *ſq.*
Themoſcopiorum *indicia fallacia*. 315. *ſeqq.*
Thomas *de Aquino num auctor Summæ Tripartitæ?* 37
Thoracis *paracenteſis in Empyemate bis feliciter facta*. 254

In

In Tortura *facta confeſſio num revocabilis?* 228
Tracheæ *in grue Africana ſtructura.* 118
Tranſubſtantiationis *dogma ſenſuum auctoritate refutatum.* 529
Trepanum *tertia demum ſeptimana feliciter applicatum.* 254
Tribonianus *notatus.* 165
S. Trinitatis *myſterium num rationi contrarium?* 152
- - - - *ab univerſali Eccleſiarum conſenſu probatum.* 359
Tunica *carnoſa ſcroti in duos ſacculos ſphæroideos expanſa.* 233
- - *in dubium vocata.* 435
- *oculorum Ruyſchiana.* 434. 436
Tunicæ *oculorum* [illegible]. 433
- - *adnata vaſa innumera.* 433
- *ſclerotica vaſcula nova.* 433
- *choroidea, duplici lamella conſtantis, ſtructura vaſculoſa.* 434
- *retinæ conformatio.* 435
Typographia *ubi & a quo inventa?* 152. *ſeqq.*
V
Valdenſes *hæreſeos accuſati.* 39
Valentiæ (*Gregorii*) *fatum.* 351
Valla (*Laurentius*) *num hæreſeos fuerit ſuſpectus?* 100
Variolofarum *cruſtularum deglutitio innexia.* 254
Vegetabilium *principium num terra, an aqua?* 87. *ſeqq.*
Velthemii (*Valentini*) *obitus.* 289
Venatoriæ *artis Scriptores.* 95
Venerea *lues ſolis cedit anthelminthicis.* 523
Vermium *generatio ex ovulis.* 520
- - *in humano corpore differentia.* 521. *ſq.*
- - *metamorphoſis.* 523
- - *inteſtinalium ſymptomata, ſigna, curatio.* 523. 524. 525
Veſicula *fellea leonis ſeptem veluti ſepimentis interſtincta.* 110
Veſtimenta *Monachorum Eccleſiæ Orientalis.* 67
Viduæ *maritos non elugentes num infamia notandæ?* 165
- *in Hungaria contemptim habentur.* 282
Vincentius *Bellovacenſis num auctor Speculi Moralis?* 36
Virgilius *cum Homero comparatus.* 323
Virginum *cur in Hungaria tam exiguus numerus?* 282
Vitriolum *Pruſſicum Martiale* 336
Ad Ulcera *antiqua remedium.* 254
Ulpianus *vindicatus.* 164. 165. 166
Vomicæ *nuces Serapionis genuinæ.* 552
Vorſtius (*Guilielmus*) *refutatus.* 542
Voſſius (*Iſaacus*) *notatus.* 295

Urphedam jurare renuens reus quomodo compellendus? 227
Ualerius refutatus. 549
Uteri procidentia & in virginibus obſervata. 370
Uvæ paſſæ contra vermes commendata. 525
Uulgata Bibliorum verſio quo ſenſu authentica? 12. 17. 182
WEiſſenbornii (Johannis) obitus. 289
Welleri (Hieronymi) opera edenda. 290
XAngti quid Sinenſibus? 179
ZAcharias Matth. XXIII. 25. num Barachiæ filius? 84
Zonarum cycloidalium quadraturarum novum augmentum. 266. ſq. 551

ERRATA.

P. 247. lin. 30. pro *Eduardus* IV, lege *Eduardus VI.* P. 345. lin. pen. pro *univerſos*, lege *univerſi.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google